
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
18 K
15

IOANNIS HVCHERI

BELLOVACI, CONSILIARII, MEDICIQVE regij, & Monspeliensium Medicorum Cancellarij,

DE STERILITATE VTRIVSQVE SEXVS,

Opus in quatuor libros distributum, & nunc primùm in lucem editum: cui annexus est liber DE DIAETA ET THERAPEIA PVERORVM.








AVRELIÆ ALLOBROGVM,
APVD SAMVELEM CRISPINVM.

M. DCX.





PRÆFATIO TOTIVS OPERIS.



VSQVAM naturæ maius, quàm in propagāda sobole studium: nusquam naturæ maior, quàm in educanda fouendáque sobole charitas & beneuolentia; nusquam naturæ præclarior quàm in erudienda sobole operibus ad vitam necessariis prudentia reluxit. Neque verò in sublimi tantùm hominum, medióque brutorum: sed infimo quoque stirpium ordine, ista naturæ indoles semper viguit. Omnibus enim viuentium generibus commune generationis principium semen largita est, ex quo speciei suæ simili-

mum fœtum excitant. Hæc enim vniuoca generatio eſt, ſicuti quæ ex putredine fit, ſuóque ortui diſſimilis, æquiuoca dicitur. Semen autem hoc maxima naturæ ſolertia aduerſus externas iniurias vbique conſeruatur. Aliàs enim in plantarum genere corticibus pulpáque fructuum, pomorúmque tegitur: aliàs nucleis ligneis munitur, aliàs denique aculeatis ariſtis ambitur. In animalibus quoque quàm accuratè idē ſemen in partibus eorum genitalibus elaboret, & ad opportunum generationis vſum accumulet, neminem ſane niſi amentem, ſuíque ipſius ignarū latere poteſt. Scilicet propria viuentium omnium natura, diuina quædam eſt facultas, æternitatis ſuę conſcia, eiúſque in omnibus viuentibus percupida: quam cùm in ſingulis ob conſtitutionis ſuæ primordiorum repugnantiam non poſſit: in pſis certè ſpeciebus vniuerſim conſe-

quatur.

quatur. Itaque amborum ſexuum coitus, ſeminúmque mixtionis flagrantem cupiditatem animantibus omnibus generationis cauſâ indidit: quæ homines quidem omni tempore ob exquiſitam ſuam temperiem ſeminíſque vbertatem; bruta autem certis tantùm ſpatiis, laceſſat. Plãtarum quoque confuſis ſexibus eandem libidinem nullus detraxerit, qui earum radices, ſtolonéſque luxurioſè pullulare, ratis ſtatíſque tempeſtatibus meminerit. Communis ergo eſt viuentibus omnibus maximéque naturalis procreandi facultas, quâ ſeſe à mortali & diſſolubili conditione quodammodo vindicent.

Iam verò ſingularis naturæ eiuſdem induſtria in conſeruandis fœminarum conceptibus quem niſi prorſus ſtolidum præ admiratione non ſtupefaciat? Illa enim primùm vtero muliebri tanquam marſupio quodam

arctissimè obsignato commissa sexuum semina tantisper continet, dum partibus suis omnibus, fœtus ipsi exornati sint, quos deinceps cohibito intus materno sanguine sic alit sensimque auget, dum grandiores ipsos recluso angustiori vtero, tanquam patefacto quodam ergastulo foras excludat. Mox verò eodem sanguine in lactis speciem mutato eosdem semper sustinet, donec solidiores & duriores cibos exertis dentibus conficiant.

Vnde quæso ista in gignendis alendísque fœtibus tanta parentum propensio & beneuolentia, nisi à vehementi quadam insitæ naturæ sollicitatione oriri potest? Quæ enim vis nisi naturæ ipsius, matres cogit vt puerperij vix dum defunctæ cruciatibus, infantes cruore, muco & sordidissima illuuie fluentes protinus excipiant, abstergeant, & linteolis mollissi-

lissimis foueant, suísque vberibus & pectori admoueant, atque exosculentur? Vnde ista liberorum cura, cumprimùm adoleuerint, vt disciplinis omnibus Philosophicis, politicis, ethicísque, quæstuosis etiam, & ad vitam tuendam necessariis artibus ipsos erudiendos maximis suis sumptibus curent? Neque enim parentes ipsi labescente ætate sua mutuum ab illis subsidium maturè affuturum sperare possint, aut emolumentum aliquod, quale ipsi agricolæ ex vinearum agrorúmque cultu, gallinarum accubitu, vaccarúmque enixu percipere solent: cùm sit infantium educatio difficilis admodum, anxia & sollicita, accretio lenta, atque indoles dubia valdè & perobscura. An liberos diligant, quòd viaticum imbecilli senes, aut sepulturæ honorem & epitaphia ab illis mortui exspectent? Atqui diuites & opulenti parentes exspectatio-

ne iſta facillimè careant, multóque plures orbis ſenibus clientes, quàm Danao filiæ aſſidere ſolent, à quibus vigilantiùs multò quàm à pueris ipſis etiam coluntur, quòd illi alienam hæreditatem ficto obſequio ambiant, hi propriam ſibíque iure ipſo debitam vendicent. Inde accidit vt multis clientum penuriam fœcunditas ſæpè attulerit, quorum copiam orbitas paulò ante iiſdem conciliaſſet. An quòd à liberis eximium aliquod ſtemmatis ſui decus promittant? At ignotum vitæ eorum ſpatium eſt, vt immaturis eorum funeribus parentes mœrere ſæpius, quàm pueros parentum caſibus contingat. Omitto quàm ſit ingenium puerorum fallax, lubricum & ad vitium procliue, vt ab illis contemni, derideri, illudíque & clariſſima ſua nomina dedecorari, opéſque obſcœniſſimo luxu, ſumptúque profuſiſſimo dilapidari, moribundi ſenes

miſera-

miserabiliter ingemiscant. Quòd si qui fortasse egregiis virtutibus & facinoribus eximiis, virili ætate sua excellant, ab illis tamen parentes mortui non delectentur. Neque enim Platonem Athenis in Academia, neque Aristotelem in Lyceo disputantes, neque Euripidem & Sophoclem suas in theatro recitantes comœdias, neque Cæsarem de orbe triumphantem sui patres viderunt.

Nequaquam ergo priuatis suis commodis homines, sed tacitis naturæ institutis stimulísque intestinis ad gignendam, alendam, & erudiendam prolem suam concitantur.

Sed enim brutorum connubia coitúsque spontaneos, nullo aut legum metu coactos, aut præmio inuitatos, aut voluptatis venereæ spe inflammatos, qui sedulò animaduerterit, profecto libidinem eorum, & procreandi cupiditatem prorsus naturalem esse,

nunquam dubitet, multóque minus ſi quàm fortiter prolis ſuæ ſecuritati conſulant, ſtudioſè perſpexerit. Nota eſt gallinarum aduerſus miluorum, canum & ſerpentum inſidias, pro ſalute pullorum ſuorum audacia. Nota perdicum in abducendis à ſuo grege venatoribus aſtutia. Notus canicularum ardor, vt catulos ſuos periculo ſubducant. Noti denique leonum, vrſorúmque in obuios inſidiatores pro incolumitate ſuorum furor & impetus. Quod ſi eorundem brutorum in educanda prole ſua diligentiam ſummam exploremus, vt puſillam primùm proprio alant cibo, deinde grandiorem quæritando paſtui aſſuefaciant, eandémque ad vitam operibus neceſſarijs volatu & natatu erudiant, an naturæ vim in illis non admiremur, cùm timidis audaciam, ignauis induſtriam, voracibus frugalitatem & temperantiam pro ſalute ſuorum afferat?
Iure

Iure itaque hominum cœlibatus olim nuptiarúmque tarditas apud clarissimos populos Athenienses, Lacedæmonios, Romanos tanquam turpissima crimina, & à naturæ iustissimis legibus alienissima sugillabantur: quinetiam apud sanctissimam Israelitarum gentem fœcunditatis naturale desiderium tantùm valuit, vt eius gratiâ quorundam etiam incestus & adulteria apud illam tolerata videantur. Sic puellarum cum patre Lotho concubitus pœna caruit, quòd creditum sit illarum hoc fuisse consilium, vt hominum genus quod Sodomitano incendio consumptum opinabantur, instauraretur. Sic Sara Abrahami vxor nonagenaria quòd se effœtam esse putaret, Agaram ancillam marito suo tradidit, ex qua Ismaelem sustulit. Sic Tamar socerò suo Iudæ conceptus desiderio sese prostituit: tanta est in natura sobolis & propagatio-

nis cupiditas, vt ſacras etiam leges ac non profanas tantum per ipſam peſſumdari, & ſterilitatem tanquam teterrimum hoſtem ab omnibus abhorreri odióque haberi contingat, eò quòd præſtantiſſimis naturæ muneribus, liberorum ſucceſſione, noſtríque nominis clariſſima memoria, tanquam nunquam fuerimus, nos ipſos orbare ſoleat. Inde eſt, quòd Anna illa Samuelis mater orbitatem ſuam miſerè luxiſſe legitur. Inde, quòd Hebræi olim ſterilitatem tanquam Deo odioſam, qui Abrahamo numeroſiſſimam prolem ex Iſaaco promiſerat, execrati ſunt: & defuncti fratris ſine liberis vxorem à ſuperſtite fratre duci oportuit, vt hic illi veluti ſemen ſuſcitaret. Multi propterea quotidie nuptias diutius neglectas orbitatis tædio ſeniores contrahere videntur, vt in recentem prolem, fugacem animam ſuam vitámque veluti deponant,

nant, ſicque quodammodo reuiuiſcant.

Mihi quidem duplex coniugium contigit, vnum cum lectiſſima optiméque morata & habita puella Petronella Dauide: alterum biennio ab illius obitu, cum cordatiſſima & ingenioſiſſima fœmina vidua, Ioanna de Metreau. Prius illud per viginti perpetuos annos infœcundum & mihi ſterile fuit: poſterius fœcundum, ex quo liberos duos Henricum & Petrum corpore animóque ſatis præſtantes intra proximos duos annos ſuſtuli, quorum educatione & domeſtica in primis literis inſtitutione tam valde iam ſenior oblector, vt iſtam ſenectutis meæ fœlicitatem maximam eſſe ducam.

Cùm ergo mulieres meas ſæpe inter ſe compararem, multúmque & diu mecum cogitarem, cur cùm vtraque optimè morata, ſana & integra æta-

te eſſet, vna tamen orba, altera fœcunda mihi fuerit, omnes interim ſterilitatis manifeſtas & naturales cauſas quæcumque vtrique ſexui ſeorſum poſſunt eſſe infenſæ, diligenter obſeruaui, earúmque remedia, tum ex recentium veterúmque monumentis annotata, tum induſtria noſtra excogitata, crebróque & longo vſu comprobata, duobus libris explicaui: obſcuras autem, & à natura ipſa hominúmque ſenſu remotas, quibus potuimus coniecturis perſcrutati ſumus, eáſque libello vno complexi. Hanc enim artis noſtræ particulam vnam quam ſeriò excolerem mihi ſelegi, reliquas verò collegas noſtros Saportam, Varandæum, Pradilleum, Bellouacum, & Dortomannum fœliciſſimis ingeniis ſuis, & diuturnis lucubrationibus ſtudioſè elaboraturos eſſe confido.

Enimuero ſummotis ferè omnibus

bus ab vtroque ſexu ſterilitatis cauſis, fœcundóque coniugum adornato congreſſu: mox grauiditatis nonimeſtres, vel decimeſtres potius ærumnæ, partúſque impatibiles ferè labores mihi occurrerunt, quos cùm ſalutaribus auxiliis noſtris carere iniquiſſimum duxiſſem, eadem alio libello explicari volui. Puerorum denique difficilis & laborioſa educatio, variáque primæ illius ætatis molliſſimæ & moleſtiſſima ſymptomata therapeuticis præceptis noſtris multò magis quàm reliquæ ætates indigere viſa ſunt: eáque ſubinde alio libello à nobis decurſa ſunt.

Fuit ergo tandem ex his partibus cōſtitutum opuſculum, totidémque libellis expoſitum; quod in lucem prodire hominúmque noſtrorum examen ſubire maturius fortaſſe voluimus, ídque tantùm vt audi-

tis doctorum ſententiis idipſum accuratiùs recoquamus, elaboremus, perpoliamus. Sic enim Horatianum illud de perpetua per annos nouem poematum ſuppreſſione conſilium interpretor, pro cuiuſlibet operis diuturna & accurata elaboratione: quæ tamen non tam priuata & domeſtica meditatione, quàm alienorum iudiciorum per multiplicatas editiones comparatione conſtet. Sic enim Apelles poſt tabulam latitans exceptis ſpectatorum iudiciis mirabilem illam Veneris imaginem perfecit. Sic vrſi vrſulorum ſuorum informitatem ſenſim diúque lambendo reformant. Sic denique ſcientiæ artéſque omnes mutuis doctorum & artificum diſſidiis ſemper creuerunt.

Multis ſanè veterum recentiúmque Medicorum remediis noſtra locupletaui, eorúmque conſiliis artem noſtram

noſtram ne quando turpiter erraret diligenter communiui, ſuppreſſis tamen interim auctorum nominibus, libriſque, tum quòd doctrinæ breuitati ſtuderem, tum quòd apud eruditos qui doctrinæ fontes agnoſcent, iſtorum gloriæ tacendo etiam ſatis: apud ineruditos nominando nunquam ſatis conſultum fore confiderem. Ergo omnibus iſtis ſtudij mei ducibus & magiſtris gloriam penè totàm, diſcipulis noſtris vſum plurimum reſeruaui.

Mihi certè vni totum inueniendi colligendíque & deſcribendi huiuſce argumenti laborem aſſumpſi, quem ſi ab vtriſque laudari probaríque ſenſero, ſummas à me illis debitas gratias libentiſſimè agnoſcam. Illum enim doctis nunquam: ſed diſcipulis noſtris aliquando profuturum eſſe ſperaui, omninóque

ab illis veniam pro laude peto: laudatus abundè, non fastiditus si tibi lector
ero.





INDEX

CAPITVM OMNIVM QVO ORDINE IN HIS LIBRIS de Sterilitate tractantur.

Libri primi.

Cura-

LIBRI SECVNDI.

Libri tertii.

De

Curatio

LIBRI QVARTI.

EX LIB. DE DIAETA PVERORVM.

De

IOAN-



IOANNIS HVCHERI BELLOVACI CONSILIARII MEDICIQVE REGII, ET MONSPELIENSIVM Medicorum Cancellarij, de Sterilitate vtriusque sexus,

LIBER PRIMVS, DE STERILITATE VIRILI.

Quibus signis coniiciendum sit vtrùm mari an fœmina insit Sterilitas.

STERILITAS gentibus omnibus populísque odiosa semper fuit, cuius causa sanctissima coniugia, aut Iudicum sententiis, seiugari, aut implacabilibus coniugum ipsorum luctibus & dissidiis solent infestari. Est autem Symptoma hoc mari, fœminæque cõmune: suum enim vterque sexus symbolũ ad generationẽ confert & principiũ: Mas quidem energeticum in semine suo fœcundo, quod in muliebrem sinũ per penem instillat, fœmina verò patheticum in sanguine suo menstruo, & in fœcundo semine; ac prȩterea locũ ad conceptionem fœtus eiusdémque gestationem idoneum sub-

miniſtrat. Quare ex vitiis tum virilis ſeminis,& pudendi : tum muliebris ſanguinis, ſeminis,& vteri, ſterilitas oboritur. Huius peculiarem in virili ſexu therapiam hoc libro proſequemur, eas duntaxat cauſas attingentes, quæ Medico & phyſico iudice poſſunt explicari:occultas autem &trans naturę ordinem poſitas ſuo lóco enodabimus. Eſt igitur Sterilitas ſymptoma primi generis, functio ſcilicet generatricis facultatis læſa vel impedita: Inſita autem eſt facultas illa in ſemine, & in eo tria ad fœcunditatem requirit:conuenientem quantitatem, iuſtam temperiē, & decentē immiſſionē, vnde fit vt tribus ex cauſis, ſterilitas in maribus oriatur: Primò quidē ex inconuenienti ſeminis quantitate. Sicut enim ex minore quātitate partes omnes fœtus ſuſcitari, riteq; cōformari nō poſſunt, ita maior eiuſdē moles à fœminino vndiq; peruadi nō poteſt, neq; muliebri vtero cōtineri, ſed eum emollit laxátq; impenſius. Secundo ex vitiata tēperie. Quum enim ſeminis tēperies inſtrumētum ſit facultatis generatricis, læſo inſtrumento conſequenter læditur actio ad quam erat deſtinatum. Tertio ex inconuenienti eiuſdem immiſſione. Quamuis enim iuſtam habeat tū quantitatem tum qualitatem, niſi tamen rectè & conueniēter immittatur & infundatur, irrita erit talis immiſſio. Ex his tribus ſterilitatis cauſis duæ priores facultatem generatricem lædere, poſterior impedire eandem dicitur. Porro violantur ſeminis temperies,& ſubſtantia à cauſis tam externis quàm internis. Externarum quidem aliæ calorem natiuum extinguūt, vt rigor aëris, ſubmerſio in gelidam, cibi crudiores & frigidiores : cuiuſmodi ſunt fructus præcoces, acetaria, frigidę intemperantior potatio: aliæ

aliæ eundem calorem dissipant, vt labor vehementior, d'arrhœa, lienteria, inediæ, & vigiliæ immodicæ, diuturnus mœror: aliæ denique eundem opprimunt, vt ebrietas, & ingluuies, quorum omnium soboles est cruditas, à qua semen liquidum, tenue, & quod consequens est, infœcundum suscitatur. Ita etiam si causæ externæ in caliditatem, siccitatem, aut humiditatem conspirent, similem intemperiem inurunt semini, ob quã sterile quoque fit, nisi à contrariis fœminini seminis, & menstrui, intemperiebus temperetur. Ad externas quoque & euidentes causas referri poteſt coniugum ipsorum dissidiũ, quod vel ex morum dissimilitudine, vel deformitate, similiue causa suscitatur. Debent enim duo illa semina mutua quadam beneuolentia copulari, & quasi ex duobus animalibus fieri vnum. Internarum causarum, aliæ sunt insitæ, vt ætas iunior, seniórue: habitus plus æquo vel obesior, vel macilentior: & natura intemperata; aliæ aduentitiæ, vt contracta immoderato victu intemperies, aut in toto corpore, aut in aliquo viscere, eiusdem obstructio, tumor, vlcus, à quibus hydrops, icterus, febris lenta, aliique huiusmodi morbi suscitãtur, quibus qui tenentur, aut nullum aut omnino infœcundum semen producunt, vtpote quod neque vtili constet materia, neque spirituum benignitate perfundatur. Peculiariter verò sterilitatem accersunt testium vasorúmque seminalium affectus, vt intemperies, contusio, attritio, exilitas, occultatio in ventre & alij id genus. Atque hæ omnes causæ lædentium serie continentur.

Facultatem verò generatricem impediunt solius mentulæ affectus, qui vel à natura insiti sunt, & à

mala conformatione, vt breuitas, vel lõgitudo immodica, tenuitas, crassities, atonia, obliquitas, reflexio: vel ascititij vt paralysis, obstructio à caruncula in vtero subnascente, gonorrhœa, priapismus, satyriasis, atque hæ omnes causæ sigillatim hoc libro sunt examinandæ, si prius docuerimus quibus indiciis coniectãdum, vtrùm in mare an in fœmina insit sterilitas.

Experimentorum locus est apud Aristotelem li. 2. de generatione animal. cap. 7. Primum est de semine vtriusque sexus in aquam infuso. Quod enim subsidet fœcunditatem, quod per superficiem fluitat, sterilitatem arguit: hoc enim cruditatem, illud probam concoctionem sequitur. Alterum experimentum mulierum proprium est ex suffitu aromatum subtus ad pudendum facto vestibus circumtẽsis. Si enim odor ad os per nares euehatur, fœcunditatem, secus sterilitatem denũciat: hoc experimentum Aristoteles mutuatus est ab Hippocrate 5. Apho. 44. Certius tamen est experimentum ex allio expurgato & pessi forma dormituræ subdito: neque tamen omnem sterilitatem significat hoc experimentum: sed eam tantùm quæ ex obstructione vel astrictione, tum vteri, tum vasorum oritur: his enim occlusis aditus ad nares vaporibus intercluditur. Quartum experimentum petitur ex collyriis in oculos instillatis, quorũ colore infecta saliua fœcunditatem, aliàs sterilitatem denunciat. Hoc enim experimento colligimus, vtrùm meatus oculorum clausi sint an aperti, ex quibus maximam seminis copiam defluere colligit Aristoteles ex oculorum languore & attenuatione, post effrænem concubitum: qui tamen casus potius ab exhaustis spiritibus est,

eſt, quibus tumere & lucere oculi ſolent. Aliud experimentum eſt de ſulphure viuo vrinę inſperſo, ex qua ſi prodeāt vermiculi fœcūditas, ſecus ſterilitas denūciatur. Aliud deſumitur ex hordeo in vrina cōiugū ſeorſim macerato: ſi deinde ſepultū decimo die germinet fœcunditatem, aliàs ſterilitatem indicat. Aliud eſt de manipulis duobus foliorum viridium maluę, vel lactucæ, vel alterius herbæ ſeorſim vrina cōiugum irroratis per aliquot dies. Quę enim prius tabuerit, eius ſterilitatem prodit, cuius vrina fuit irrigata. Aliud deniq; eſt de furfurib. pari portione in vrina quoque ſeorſim maceratis per decē dies. Qui enim citiùs vermes proferent, fœcunditatem illius declarant, cuius vrina immerſi fuerant. Ex his omnibus experimentis vnicum ab Auicenna probatur tanquam indubitatum, ſcilicet de ſemine in aquam infuſo. Cætera minus certa, fallaciáque ſunt. Fœcunditas igitur ſeminis dignoſcitur ex craſſitie, lentore, albedine, ſpuma, quantitate mediocri, & eiuſdem eiaculatione cum voluptate: quodcunque autem ab his notis longius euariat, infœcundum & ſterile cenſendum eſt. Calidius igitur ſemen eſt, ſi craſſius, parciuſque eſt (prę ſertim ſi caliditati iuncta ſit ſiccitas) nonnihil flaueſcens, pruriginoſum, genitalia acrimonia quadam feriens, vnde natura eſt libidinoſa, & genitalia vicinæque partes pilis abundant. Quod ſi ad caliditatem accedat humiditas, copioſius magis quàm albicans, ſed minus craſſum & pruriginoſum euadit ſemen. Frigidius ſemen crudū & liquidū eſt, nullo pruritu coëuntes afficiens, tunc venus ignauior eſt, eiuſq; deſiderium aut nullū aut exiguum, fœminini mores, & verecundi: penis tardior erectio, eiuſdemque & vicinarū partium gla-

brities. Quod si frigiditati iuncta sit humiditas, copiosum, sed aqueum, si siccitas, perpaucum emittitur semen. Atque hę omnes intemperies, vbi excesserint sterilitatem arguũt. Vt igitur certa methodo progrediamur, primò de causis sterilitatis externis & euidentibus agemus, postea ad internas accedemus.

Curatio sterilitatis à causis externis.

STerilitas quæcunque ex praua diæta sine vllis corporis, viscerum, aut pudendi virilis pręter naturã affectib. marib. accidit, contrario victu remouenda est. Calidius ergo sicciusque semen dissimili victu tẽperandũ, ac primò cibis euchymis quidem, sed frigidis humidisque, cuiusmodi sunt carnes capreolorum, agnorum, vitulorum, præsertim lacte educatorum, porcellorum, pullorum, quæ vel frigidiorib. herbis elixandæ, vt lactuca, borragine, buglosso, oxalide, portulaca; vel assandæ & succis acidis condiendę, vt omphacio, granatorum succo, aurantiorum, oxalidis. Ex vsu quoque erunt panatellæ, amygdalata, pisces fluuiatiles elixati, æstiui fructus, vt pruna & cerasa; refrigerat quoque & humectat lac asininum & caprillum, aut potius eius serũ mane sumptum. Panis sit albus sed insulsus: vinum oligophorum album vel rubellum, mediocriter lymphatum; aer temperatus sit vel frigidiusculus: conueniet etiam balneum vel ex aqua fluuiatili tepida, vel ex decocto herbarum frigidiorum: denique labor immoderatus, immodicæ vigiliæ & iracundia fugiẽda. Frigidiori verò & humidiori semini corrigendo conueniunt, panis albus, salsus, anisatus, carnes veruecum, gallinarum, caponum, passerum,

rum, perdicum, pipionum, vel tostæ & aromate aliquo conditæ, vel elixatæ cum herbis calidiorib. cuiusmodi sunt eruca, nasturtium, mentha, hyssopus. Cōueniunt etiam pisces saxatiles tosti, & aromate aliquo conditi, vt cinnamomo, nuce moschata, zingibere, fructus sicciores, vt dactyli, passulæ, pistacia, caricæ, nuclei pinei, conditura zingiberis, corticum mali aurantij, seminum anisi, fœniculi, carui, in vltima mensa: vinum quoque competit rubrum generosum modicè lymphatum, vigiliæ, & exercitatio moderata. Quod si accidat seminis inopia ex aëre æstiuo vel hyemali (ille enim seminis substantiam digerit, hic extinguit, vnde paucissimæ aues mēse Iulio & Ianuario fœtificare solēt) ex inedia, labore, vigiliis, mœrore, iugibus curis, attētóq; nimis studio, hæc omnia seminis detrimenta declinabit sapiens coniux, splendidā, opiparā, & hilarem vitam venereis sermonibus, lectionibus, muliebribúsque lasciuiis conditam traducens. Et quia vt dictum est frequentissimę sunt dissidiorum & sterilitatis inter coniuges causæ, tū ingeniorū disparitas, morúmq; peruicacia, tū corporū deformitas, & alieni amores, horum omnium propria sunt & opportuna apud sapientes remedia. Primū enim alieni amores celeriter profligantur, mutuáque coniugum beneuolentia, quæ fœcūditatis parens est, redintegratur non solum morum indole, aut corporum venustate, sed multo magis voluptate, quæ venerei concubitus comes est. Hęc vero accendi solet tum internis remediis cardiacis & calidis, à quibus caloris & spirituum omnium substantia ingeminetur, impetúsque eorundem concitetur: tum externis etiam, partes obscœnas odore suo, calore & acri-

monia quadam titillātibus. Huius generis sunt præstantissima Ambra, moschus, ciueta, liquore conuenienti aut oleo soluta, sed quia cariora hęc sunt, viliora vsurpātur: penis igitur ciueta perunctus aut moscho soluto cum pauco oleo liliaceo, nō solùm ad venerem excitatur, sed mulieris quoq; ignauiam ad venerem discutit. Simile est pessarium ex ladani ℥ ß pyrethr. ʒ ij galliæ moschatæ ℈ iiij simul solutis in puluerem, & exceptis pauco cottone moschato & serico rubro, vt fiat pessarium digitali magnitudine, altissimè in vuluam dormituræ inserendum. Simile & hoc est. ℞ rad. galangæ cyperi, pyrethri, calam. arom. an. ʒ j. trochiscorum galliæ mosch. ʒ ß: vel moschi optimi ℈ j. fiat puluis, excipiatur pauco melle instar opiatæ: obducatur testibus & peni cum multa fricatione coituri mariti. Simile & hoc sit. ℞ olei laurini ℥ j de spica ℥ ß muschatellini ʒ ij nucis mosch. piperis longi, zingiberis an. ʒ j rad. pyrethri ℥ ß ciuetæ, vel moschi ℈ j ceræ parum: fiat vnguentum illinendum in introitu lecti vesperi. Simile denique est cubebarum masticatarum cum saluia admotarum. Ad voluptatem quoq; confert virginalis pudendi muliebris astrictio, pręsertim à partu, ex balneo, potúque astringente, vel ex pessulis similibus, aut emplastris à lotione fotúue appositis. vt, ℞ rad. bistortæ ℥ j balaustiorum, nucum cupressi, calycum glandium an. ℥ ß foliorum tapsi barbati, vel caudæ equinæ & absinthij an. m. j. rosarum rubr. p. j. decoquantur in aqua pluuiali & vino astringenti. vel ℞ pulueris gallarū nucum cupressi & aluminis an. ℥ ß excipiatur pauco cottone & serico rubro, fiátque pessulus ex vino astringenti, immittēdus post finitum lochio-

rum

rum exitum.Ex eodem puluere cum oleo myrtino & cera alba fiat emplastrum ori pudendi admouendum,post lotionem & fotum.

Quæ sequuntur philtra amatoria coniugum amorem mutuũ reuocare tueríque proprietate occulta creduntur. Huiusmodi est corniculæ cerebrum,quæ viua capta sit & necata, cum melle mixtũ,pudendóque virili applicatum ante coitum. Eadem est vis ouorum eius fractorum & appositorum : Item damarum stercus , & cum oleo tepido dissolutum , item fel apri & hirci & lupi cum oleo calido mixtum & applicatum.Cor quoque hirundinis vstum & ex vino deglutitum mulierem à viro secedere prohibet , sicuti adulteri quoque odium inducitur si ranæ fluuiatilis naturâ arundine transfixâ , surculus eiusdem in menstruis mulieris defigatur,sicque ait Plin.lib.32.ca.5.ranæ ad cauenda adulteria legibus sunt vtiliores.Electariũ deniq; ad veneris oblectationem & incendiũ ita fingatur. ℞.Cinnamomi electi & lumborum scincorũ an. ℥ j. seminis nasturtij,erucæ,pastinacæ,ceparum alb.an. ʒ j trium piperum, rad.pyrethri & gummi arabici an. ʒ j ß nucleorum pini, pistaciorum,dactylorũ & auellanarum,amygdalarũ dulc.pulpæ nucis Indicę, corticum citri & zingiberis viridis conditi an. ʒ j linguę anseris,cerebri passerum an. ℥ ß linguæ auis, testiculorum vulpis,tauríque an. ʒ ij misceantur omnia simul cum melle, addẽdo moschi optimi ʒ ß ambrę grizęe ℈ j fiátque opiata,de qua dẽtur mane, sed præsertim vesperi ʒ iij cum pauco vino dulci.

Iam verò conceptum ex prauitate morum odiũ cõsilio & ratione delendum est,monenda sedulo vxor est,vt honesto proboq; suo viro morem gerat,

petulanti & contumelioſo tātiſper blandiatur, dum obſequium ſuū aut ætas, aut proborum conſuetudo peruerſitatem mariti, morūque aſperitatem mitigauerit. Mariti quoq; erga moroſam & peruicacem vxorem ſimile ſit cōſilium & officium: obſequium enim amicitiam & familiaritatem: diſſidium, inimicitiam & ſterilitatem parit.

Deformitas denique eiuſque tædium ſanitate virtutum leniēdum eſt, quæ prima eſt maximéque expetenda pulchritudinis ſpecies, & animis cōiugum inter ſe diſſidentium conciliandis aptiſſima: quanquam corporum quoque pulchritudo negligenda nō eſt, quin potius quæ à natura eſt ſtudioſè conſeruāda: ſunt enim artis partes duæ, vna coſmetica, quę naturalem tuetur: altera commotica, quæ deficientem aſciſcit. Ac naturalis quidē pulchritudo ex moderata corporis tēperie & ſymmetria, quam vegetus calor, euſarchus habitus, & cōgrua partiū compages cōſequatur, à Galeno definitur libro ad Thraſybulū, & ab Ariſtotele primo Rhetoric. ex actionibus partium integris & ad vitā neceſſariis. Coſmetica igitur medicinæ pars eſt Galeno lib. I. κατὰ τόπυς, cuius eſt ea quæ ſecundū naturā ſunt, omnia accuratè cuſtodire, cōſtátque mundicie corporis cultuſq; nitore & cōcinnitate, qualis ab Ouidio in viris probis priuatim laudatur, tametſi in honeſtis matronis & pudicis virginibus minus laudanda ſit; ait enim ille:

Mundiciæ placeant, fuſcentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & ſine labe toga:
Linguáque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec leuis in laxâ pes tibi pelle natet:
Nec mala deformet rigidos tonſura capillos,

Sit

Sit coma, sit doctâ barba resecta manu:
Et nihil emineant & sint sine sordibus vngues,
Inque cauâ nullus stet tibi nare pilus:
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares, vírque patérque gregis.

Altera artis pars Commotica scilicet, fallacem & ascititiam pulchritudinem inducit, & apud plerasq; gẽtes olim probrosa fuit, ideoq; à Philippo Macedonum rege magistratus quidã mendacio capillorum suorum exultans, ex ordine iudicum, teste Plutarcho, motus est, quòd nullam iudicij integritatem in eo esse diceret, qui capillis etiã fucum prætenderet: Gal. quoq; à medicorum munere eam remouit, lenonúmque & mangonum propriam esse statuit lib. κατὰ τόπους: multi tamen præclarissimi olim medici eam sibi notã esse voluerunt, vt Heraclides Tarẽtinus, Archigenes Crito, neque eius exercitationem sibi indecoram esse duxerũt, quoties reginarũ & heroinarum votis satisfacere cogerentur, quibus etiã addo quædam pudicarum virginum & honestarum matronarum vitia formam dedecorantia, posse sine vllo artificũ dedecore dissimulari: Itaque veterum exemplis permoti posteriores medici, vt Fallopius Rondel. multíq; alij muliebres fucos studiosè prosequuti sunt, quib⁹ omissis, vnius fœtoris curationem ex quacũque parte prodeat breuiter attingã, quippe ad disiungẽdos amãtium animos, hoc nullũ maius, magisq; tetrum venenũ est. Est autem pulchritudinis ad amorem & beneuolentiam tanta vis, vt in quibuscunque hominibus ipsa elucet, vnũquemque ad eos amãdum mirificè inflãmet, neq; id quidẽ stultè & leuiter: quidquid enim animę cognatũ est, pulchrũ sit oportet, ideóq; amãdũ & expetẽ-

dum. Quod rursus appetendũ est, aut est aut videtur bonum (ita quidẽ disputãte Cælio) Itaque pulchrũ bonũque eodẽ nomine Hebræo vocatur טוב quod à pulchritudine bonitas vix vnquam sciungatur, ideóq; vulgus etiã cõspecto homine formoso gaudet, informis occursu dolet: scilicet illũ faustũ & auspicatum, hunc infaustum & ominosum arbitratur.

Est igitur fœtor duplex, vnus nõ naturalis, à cibis vel multis & corruptis, vel putrefactis. Alter est prę ter naturã, nẽpe symptoma odoris deprauati, quod vel corruptela substãtiæ partium, vel antiquum aliquod vlcus, vel obstructio à putrido humore suscitauit. Est autem odor qualitas odorabilis in vapore cõsidens qui expirare solet à corpore calido tenuíque & modicè humido, vel parum sicco. Nam à ficciori crassóque, siue calido, siue frigido nullus odor spirat. Odorum genus duplex est, vnum bene olentiũ ob familiaritatem & sympathiam cum spiritu animali: alterum graueolẽtium ob antipathiam, estque sine nomine multiplex: odoris percipiẽdi vnus est sensus, scilicet odoratus, vnũ instrumentũ princeps, vel vẽtriculi cerebri anteriores, vel potius propagines duę mãmillares & papillares ob similitudinem dictæ, cum ventriculis continuæ, & ad initium ossis ethmoidis cõtinentes, quæ intra cranium conditę sũt mollissimæ & rarissimæ, vt vapores odoratos facillime admittãt & diiudicẽt, vel certè ad vẽtriculos ipsos transferãt. Nasi meatus duo, qui nares dicũtur, ossisque ethmoidis peruia foramina principi parti subseruiunt, conferũt tamẽ etiã ad ventriculorũ cerebri pituitæ expurgationem & ad respirationem. Quamobrẽ obstructis illis cerebri propaginibus ab excrementis ventriculorum, vt per grauedines

uedines &destillationes,& meatib.nariũ vt à polypo tuberculo,ossisq; ethmoidis foraminib. à crassa & resiccata pituita,odorandi vis perit,aut certè debilior fit,sicuti ab excellenti odore obliterari solet. Pariter à corruptela substãtię narium,ab vlcere antiquo & ab humoris putredine in processibus, vel osse ethmoide idẽ sensus deprauatur.Fœtoris spiritus origo duplex est,vna à caussis nõ naturalibus,vt à putribus eduliis esitatis, aut quæ celeriter putrescant;altera interna eaque per idiopathiam nasi & oris partiumque, ex quibus componuntur: tum per sympathiam partium vicinarum, quarum vapores suscipiunt,vt cerebri,pulmonum,thoracis.

Curatio duplex est, vna methodica & artificiosa, altera fucata, vel vt dicunt palliatiua. Hæc constat medicamentis quibusdam odoratis vel ore continendis, vel in ventriculum deuorandis,cuiusmodi sunt inter simplicia,radix Zedoariæ,angelicę,semẽ anisi,cumini,mastiche,cortex citri,vel limonis,agal locum.Hæc enim cõmanducata, aut eorundem decoctum spiritus graueolentiam emẽdãt. In eundẽ finem vsurpantur composita,vt, ℞. Galliæ mosch. nucis mosch. macis,spicæ nardi, corticis citri, xylaloes an.ʒ.j.bulliant simul cum vino ad ablutionem oris,vel ex iisdem pulueratis, vinoque exceptis fiãt globuli inter dentes gestandi, vel pilulæ, de quibus deuoret duas mane,& totidem ore cõtineat interdiu.Tales sunt muscardini vulgo dicti. Fiunt item Italis trochisci vocati muscardini vel à figura,vel à facultate cardiaca, à quibus spiritus gratia mirificè iuuatur, si ore contineantur diutius versenturque. ℞. Gummi Ammoniaci ℥ ß terræ sigillatę ʒ.ij.macerentur in aqua rosarum per duos dies: deinde in

mortarium coniiciantur, addanturque facchari ℥ vj amyli ʒ iij. moschi ex aqua rosacea dissoluti ℈ j. Cõtundantur omnia simul pistillo, & exquisitè misceantur in mortario, tandémque in pastillos digerantur ad ignem vel solem siccandos.

Legitimæ curationis quæ simul cũ symptomate affectum præter naturam exscindit duo sunt scopi: vnus vt excrementa putria diligẽter abstergeãtur, omnisque obstructio aperiatur: alter vt vlcera post detersionem relicta, carne impleantur, & cicatrice tegãtur. Duo sunt instrumẽta, diȩta & chirurgia, sed hȩc præsertim; ac diæta quidẽ cõmunis esto, tum vt satietas fugiatur, putres & molles, humidioréſq; ac putredini opportuni cibi declinẽtur, cuiusmodi sũt panis impurus, carnes iuniorum animalculorum, vt porcellorum, agnorum, capreolorũ, auiũ aquaticarum, tales quoq; sunt pisces nõ saxatiles neque salsi; fructus horæi, vt pruna præcocia, melones, cucurbitæ, vinũ crassum & dulce, omnia iuscula, allia quoq;, cepæ & brassica. Contra quæcumque sunt euchyma & eupepta, edulia & cõdimenta omnia acida aut acria, indéque putredini aduersa seligãtur. Ante pharmaciam affectus curandi signa exponẽda sunt. Idiopathia igitur narium ab vlcere sordido, cancro, polypo, oculis notatur. Sympathia cerebri processuũ & ossis ethmoidis dignoscitur ex pari fœtore ante & post pastũ, quódque cõpressis naribus nullus fœtor ex ore erumpat, quodque clauso ore vicissim ex apertis naribus, fœtidus spiritus exhalet: Sympathia stomachi noscitur, quòd à pastu aut nullus aut cibi odore mixtus efflatur. Idiopathia oris, ex gingiuarũ vlcere sordido, dẽtiſque corruptela sensu detegitur, ex intẽperie calida oris, siti & caliditate. Sympathia pulmonis

pulmonis vlcerati ex vlceris ſignis: thoracis empyici, ex ſputis purulentis albis, ſpiſſis, lentiſque: ſympathia denique ventriculi ex fœtore poſt paſtum obſcuriſſimo ſeſe prodit.

Prognoſtica.

OMnis fœtor malum ſignum eſt, & putredinis interioris index: ſed in phthiſicis pernicioſũ & tabificum. Fœtor ſimorum & gibboſorum eſt incurabilis. Fœtor anhelitus per febres cõtinuas malum ſignũ eſt: libidinoſorum & eorum, qui crapulæ indulgent fœtor facile curatur. Itaq; idiopathia narium ex vlcere, poſt reuulſionem, per purgationem & phlebotomiam ſi vtriuſque indicationes adſint, & poſt deriuationem per cucurbitulas cum ſcarificatione, collo, ſummiſque ſcapulis infigendas, & apophlegmatiſmos, tum demum curabitur per propria vlceris remedia, tergentia, maximéque ſiccãtia & epulotica, de quibus vide chirurgicos libros. Sympathia cerebri proceſſuum, & oſſis ethmoidis, poſt eãdem reuulſionem & deriuationem, curabitur errhinis, tergentibus, incidẽtibus & aperientibus obſtructiones partium prædictarum, tãdémque ſternutatoriis. Idiopathia oris ex gingiuarũ exulceratione, curanda quoque eſt per eaſdem reuulſiones & deriuationes ſi ſint ex vſu, tãdémque per validam deterſionem fricationémque gingiuarum cum linteolo aſpero, donec ſanguis effluat, cui aſtrictio, ſiccatióque validior ſubiungatur, his formulis.

℞. rad. biſtortæ ℥ j foliorum tapſi barbati & caudæ equinæ an. m. j. gallarum, nucum cupreſſi, balauſtiorum, calycum glandiũ an. ℥ j maſtichis ℥ ß roſarũ rub. boli armeniæ an. ʒ ij coquãtur in aqua ferrata, vel vino tortiuo. vel ℞. Aluminis rochæ vſti ℥ ß

balaustiorum, baccarum myrti an. ʒ ij cornu cerui & ambræ citrinæ an. ʒ j moschi gra. iij. fiat puluis, excipiatur pauco melle (vel per se etiam sumatur) fiatque linimentum.

Idiopathia ex cauitate dentis & ciborũ in ea retentorũ putredine, curatur præmissis reuulsionib. & deriuationibus iisdem, tũ extractione eius per forcipem dentarium ὀδοντάγωγὸν dictum si vacillet, vel vstione & tabefactione (si non vacillet) per cauteriũ actuale, vel medicamenta acerrima, vt tãdem siccatus decidat, vel denique limatura cariosæ & rubiginosæ partis, si superficiaria sit: postmodum lotione ex aceto scyllitico mane & vesperi, vel ablutione ex decocto galangæ, caryophyllorum, spicę nardi in aceto, repletione denique cauitatis per frustulum ladani, storacis, benioini aut radicis galangæ &c.

Sympathia ventriculi curatur, primũ vitiosi humoris alteratione per syrupos frigidos, si calidus esse sciti noscatur, vt acetosum simplicẽ: deinde purgatione per pilulas Rufi, de hiera; postremo corroboratione per electarium refrigerans vt triasantalum, diamarg. frigidũ: si verè humor frigidus putrescat, per syrupos calidos, vt de mẽtha, oxymeli scylliticũ coquatur, deinde purgetur pilulis alephanginis & assaieret: Postremo intemperies ventriculi relicta curetur electario aromatico rosato & diagalanga. Sympathia denique pulmonis curabitur propriis phthiseos remediis.

De fœtore alarum.

Particularis alius quoque fœtor est, axillarum, pedũ, pudendique muliebris. Axilla enim pars corporis cum sit concaua & glandulosa, multisque

vasis maioribus prædita, atque calido humidoque temperamento & substantia rara, sudoribus multis patet, inualescente calore, qui cum non perspirent, ob partis abditum situm, vestiumque munimētum facillime putrescunt, in viris præsertim & fœminis rufis vt pote sanguineis, & hominibus libidinosis, vnde Martialis,

Inde Tragus celerésque pili mirandáque matri
Barba.

Fœtor hic axillarum Horatio *Hircus* dicitur, Catullus *caprum* vocat, quando

Sub alis trux habitat caper.

Huius remedia sunt in diæta & pharmacia, vt illa sit non modò temperans & frugalis, sed sicca quoque vel frigida, vel calida, pro naturarum & tēporis anni varietate, pharmacia autem sit, tum purgans & phlegmagoga, tum alterans partē, id est adstringens laxitatē eius, tergensque & exsiccās cohibitos in poris liquores putres, tum denique odorata: sed instituatur tantum alteratio hæc post pilorum rasionem & quidem liquida, aut media forma. ℞. Summitatum myrti, oleæ, laurique an. m. 1. rosarum rub. santali citrini, calami arom. an ʒ ij aluminis rochę ℥ß coquantur in vino rubro & hoc decocto quotidie in introitu lecti pars cum linteolo tepide abluatur, deinde sequenti puluere aspergatur. ℞. Aluminis rochæ ℥ß myrrhę & santali citrini an. ℥ ij galliæ mosch. ʒ ß fiat puluis, aspergatur loco dicto. Pedū quoq; molestissimus est fœtor per æstatē præsertim motusque violentos, ex sudore commoto & putrefacto ob tegumenta perspirationem impedientia, quoties accensus calor serum, id est sudoris materiam è proximis venis in cutem rapit te-

nuem,raramque: Huic fœtori opitulantur præter diætam & purgationem præſcriptam crebra mutatio calceorum,caligarum & linteolorum,quæ ſudoris putris madefactione olere peſſime ſolent: ſed maxime frequentes lotiones è ſimili materia amara, acri, tergente & adſtringente,vt ℞ ſummitatum myrti,foliorum cannarum, vitium, tempore æſtiuo,hyberno verò ſaluiæ, meliſſæ, ſampſuci, lauri, hederæ,lauendulæ an.m.i.roſarum,centaur.minor. an.p.i.ſalis &aluminis an.quartar.j.coquantur omnia vel in lixiuio debili cineris ſarmentorum vel in portionibus paribus aquæ & vini rubri.

℞.lithargyri arg: ℥ ij ſantalorum omnium & roſarum an.ʒ ij fiat puluis, aſpergatur ſuperficiei pedũ poſt lotionem. Pudendi denique muliebris fœtor marito diſplicere ſolet,cuius origo pariter eſt à ſudore, vel etiã humore putrido prę calida & humida loci temperie,rara ſubſtantia,humorum alienorum deſcenſu, menſtrui ſeminiſque reliquiis cohibitis,quorum omnium procliuis eſt ob tectum ſecretumque ab aere locum putredo.Hic quoque fœtor abigendus poſt diætam & pharmaciam præſcriptam, primùm quidem raſione pubis ne qua ſordes illi obhæreſcat, deinde lotione & embregmate ſimili axillarum, cui aliquid pulueris cyperi admiſceri poſſit.

Eiuſdem putredinis ſoboles eſt pediculorũ prouentus planorum & multipedum, quorum ægerrima eſt euulſio: necantur autem celeriter poſt lotionem amaram,acrem detergentemque vnguento ſequente.

℞.olei ℥ iij argenti viui ℥ j ß arungiæ porci ℥ ij miſce diligenter in mortario fiatque vnguentum bis

bis aut ter inducendum partibus obſcœnis.

De grauеolentia totius corporis, & quomodo curanda.

BEneolentia in brutorum genere rara eſt, vnique pantheræ Ariſtotele & Plinio teſtibus peculiaris: ſed tamen cõmunis etiam eſt ictidibus, hoc eſt martibus zebellinis, cercopitheco & hiænæ, quæ cato maiori ſimilis eſt, & zebeth Arabibus dicitur, è cuius veſicula inter pudẽda ſita, odoramenti ſpecies (ciueta dicitur) cochleari argenteo ſemel per ſingulas hebdomadas deraditur: Rariſſima quoque in hominibus eſt niſi fortaſſe in Alexandro Magno referente Plutarcho, ẽ cuius corpore tam iucundus odor expirabat vt odorata fragrantia induſium eius ſatiaret. Graueolentiæ autem proxima cauſſa eſt putredo ſudoris non abſterſi, aut humoris ſeroſi in poros cutis impacti, neque liberè & perfectè diſcuſſi. Ea quidem quibuſdam nationibus gentilitia eſt, vt Recutitis quod Chriſtum non colunt Campeſio credente, ſed multo potius, quòd à ſale, ſalsíſque eduliis ex lege ſua abſtinere cogantur. Origo duplex eſt, vna ab externis cauſſis vt crapula & ingluuie, aut cacochymia humida: ab vtraque enim multiplicatur in ſanguine ſeroſus, crudúſque humor. Ab alis humor hic ex venis in cutis poros euocatur vt ab exercitatione impuris corporibus adhibita, ab æſtu: vel impellitur in eundem vt à ficubus, maximè vero ſi immundities corporis adſit, veſtiũmque mutatio negligatur, vel à libidine & veneris intemperantia à qua tum coctiones perturbantur, tum crudi humores in habitum expelluntur.

Alia origo est ab internis caussis vt temperie humidiori siue calida, siue frigida. Huius graueolentiæ vniuersalis remedium primum est diæta sicca & euchyma, vel calida, vel frigida pro naturarum cœlique varietate, à qua cibi omnes humidiores, crudiores, fatui, molliorísque substantiæ arceantur. Eadem quoque frugalis sit & temperans vt omnis cruditas declinetur. Alterum genus remediorum est tum vacuantium cacochymiam pituitosam è prima secundáque capitis regione, per phlebotomiam vel deiectionem, vel vtramque; tum alterantium & vacuantium caussam coniunctam, id est humores cuti impactos à tertia regione, idque per sudores laconicos commouẽdos, balneis thermalibus & lauacris quæ ex decoctis calidis siccísque tergentibus & odoratis constent, addito etiam sale & alumine ad cutis corroborationem. Talia sunt pro lotione pedum antea descripta; Interna quoque sunt eiusdem caussæ coniunctæ præsidia vacuantia vel per vrinam, sic enim cardui radix in vino decocta, bibitáque copiosam fœtidámque vrinam mouet: vel per sudores vt decoctum guaiacinum. Eadem est φθειριάσεως, id est pedicularis morbi curatio. Eandem quoque graueolentiam vestium & indusiorum fragrantia consopit, per sacculos sericeos odorato aliquo puluere refertos & vestibus indusiísque intermixtos, vt. ℞. pulueris violacei lib. i. pulueris cyperi ℥ j misce condantur in sacculos. vel.

℞. Iridis Florent. ℥ iiij. santali citrini ℥ viij benioini xylaloë, cyperi calami aromatici, schænãthi, corticis citri an. ℥ ß seminis ocymi, lauendulæ an.

ʒ ij moschi optimi ℈ j fiat puluis pariter condendus.

Sic flosculi rosarum pauca zibeta allinuntur & pariter contunduntur.

De sterilitate à caussis internis tum naturalibus, tum non naturalibus, & quomodo curanda sit.

PRoximæ sunt sterilitatis internæ & naturales caussæ tres, natura, ætas & habitus. Natura quidem intemperata, simile seminis vitium profert vnde sterilitas existit, nisi à diuersa seminis fœminini & sanguinis temperie ita reprimatur, vt ex vtriusque mixtione vnum quid temperatum emergat, quod arte non eget ad fœcunditatem. Quod si vtriusque sexus eadem intemperies in sterilitatem conspiret: tum in altero sexuum mutanda est: sed in fœmina potius quam mare, quæ agrorum fertilium instar, vbi temperata est, quodlibet semen fœcundare solet. Duæ autem temperatæ coeuntes naturæ, sunt fœcundiores, sicuti quando temperata vna concurrit cum altera, quæ minus insigniter intẽperata sit. Quando autem propriis signis perspecta fuerit naturarum species, tunc illa primùm victu contrario abrogetur qualis mox exponebatur, deinde medicamentis alterantibus vt calida frigidis, cuiusmodi sunt electuaria dura, molliáque. Illa quidem vt triasantalum, diamarg. frigidũ, diarrhodum Abbatis: hæc conseruæ rosarum, violarum, cichorij: item syrupi de endiuia, acetosus simplex, de agresta, de succo mali aurantij, de limonibus. Hæc omnia ieiuno ventriculo mane multóque tempore ingerantur. Sic frigidiorem reuocant electuaria ca-



lida, vt aromaticum rosatum, diagalanga, diambra, conditura corticis citri, radicis satyrionis, florum rorismarini & saluiæ. Iam verò quoad ætatem, fœcunditas definitur ætate duodecim annorum, & sexaginta annorum in senioribus. Intra supráque nullum veneris incitamentum, aut seminis remedium, est vtile aut necessarium. Aristoteles autem matrimonium celebrandum suadet septimo Politicor. in fœminis quidem à decimo septimo anno, quod tum desierit earum accretio, síntque robustæ & ad ferendos partuum labores & coitus violentiam: in viris à vigesimo quinto ad trigesimum, quia illi tum desinente accretione mentis corporísque præstant robore, possúntque liberos bene valentes tollere, eosque consilio regere & educare ad adolescentiam vsque. Prius verò, vel inualidos vel tardiùs procreant liberos. Tertia naturalis sterilitatis caussa, est habitus vitium duplex, auctæ quantitatis, & eiusdem diminutæ (habitus nomine complectimur externam musculorum corporis superficiem) illa græcis πολυσαρκία, παχυσμὸς vel παχύτης, latinis obesitas, crassities, crassitudo, corpulentia & ventricositas; hæc λεπτότης tenuitas, ἰσχνότης gracilitas & λεπτοτισμὸς attenuatio dicitur. Obesitas igitur est latitudinis & profunditatis excretio ad partes anticas & posticas, extimásque & intimas. Duplex autem est, vna naturalis insitæ temperiei humidioris modicéque frigidæ vel calidæ. Altera non naturalis ascititiæ & ex consuetudine contractæ intemperiei soboles. Vtraque rursus duplex est, vna salubris quę cum sanitate coniuncta est, possúntque obesi sani, omnino obire negotia ciuilia, vigilare, dormire, appete-

re, concoquere, ambulare, currere, ſpirare, denique generare. Altera morboſa eſt, quæ ad extremum craſſitudinis perducta eſt, adeo vt lædat functiones omnes, ideóque ſtupores ſenſuum, inertiam mentis, torporem in motu ob luxuriantem mollitiem cerebri, & ſpirituum craſſitiem inducit, item dyſpnœam, indéque cordis tremorem & palpitationem ob thoracis grauitatem, faſtidium, ob redundantem in ventriculo pituitam, ſitis, famíſque impatientiam, ob paucitatem ſanguinis & venarum anguſtiam, artuum mouendorum impotentiam, vt neque manus ad fricandum aut caput, aut fœmur porrigere poſſint, multo minus generare, tum quod coniungere pudendum nequeant cum muliebri, tum quod ſemen paucum, idque ſterile ſuggerant, vnde neque venerem appetunt, neq; eadē delectantur. Mulieres quoque eadem ſeminis incommoda perſentiſcunt, neque etiam ſemen virile in ſinum vteri excipiunt, ob eius compreſſionem ab augmento pinguiori, neque immiſſum retinent ob mollitiem, aut ſi conceperint abortire ſolent, aut certè pariunt imbecilliores fœtus. Obeſitatis generatrices cauſſæ externæ ſunt, quæcumque aut calorem hebetant, aut alimentum augent, aut vtrumque præſtant, vt aër frigidus, humidus (hinc Scytharum corpora obeſiſſima Ariſtoteli) otium, quies, animi tranquillitas, ſomni diuturnitas, cibi euchymi, plures, & alimentoſi, vt vinum præſertim clarum & dulce, ſiue album, ſiue rubrum. Internæ cauſæ ſunt intemperies humida quidem: ſed non impenſè frigida, calidáve, quæ ſanguine eiúſque oleoſa materia abundet, cuius, quia venarum

angustia totum capere non potest, magna pars extruditur foras, quæ vel in partes frigidas, calidasue, vel in pinguedinem vertitur, vel in habitum, eius deinde accessione & caloris temperati robur, & carnea moles exaggeratur, assimilatione & coctione. Porro obesitas omnis odiosa quidem est: sed differentiæ eius propriis internoscendæ signis, vt putà naturalis à colore albo, mollitie cutis, glabritie, & venarum angustia, nō naturalis & ascititia colore subrubro nigróque, cutis duritie, pilositate, venarum amplitudine, morbosa ex symptomatis functionum ante commemoratis, salubris ex functionum integritate, obesitas denique ex pinguedine detegitur ex albo colore, laxitate totius corporis & frigiditate ad tactum. Quæ ex carne prouenit, illa ex colore albo cum rubore mixto, ex soliditate habitus, ex caliditate ad tactum, agnoscitur. Obesitas omnis tam salubris quam insalubris omni ope declinanda est vt pote quæ non solùm senibus grauis, sed & iuuenibus indecora, & vitæ plerumque noxia sit. Patet enim hic habitus multis obstructionum, phlegmonarum, febrium acutarum hæmorragiarúmque & suffocationis caloris natiui periculis, teste Hippoc. aphor. 44. lib. 2. & Galen. secundo de temperamentis capite 12. quod paucus in venis concludatur sanguis, sicuti pauca vis caloris & vitalis spiritus in arteriis. Omnis porro obesitas arte superabilis est: quæ tamen naturalis & diuturna difficilius remouetur. Obesitatis cuiuscumque quum effectrix caussa, sit temperies præsertim humida: sed modicè tantum frigida vel calida, aptè quidem curabitur diæta

cali-

calida, ſiccáque, quæ tum temperiem mutet, tum materiam obeſitatis diſſipet. Aër igitur comparetur calidior ſicciórque, vel ſole vel igni ſub quo maneat nudus ſi poſſit, aut arena vel cinere à ſole calefactis ſæpiſſimè obruatur: motus ſint vehemẽtes & acuti, quíque laborem, ſudorem & laſſitudinẽ accerſant, eiuſmodi ſunt luctatio, equitatio, luſus pilæ paruæ vel follis magni, foſſio agrorum, dimicatio gladiatorum, curſus vehemens, ídque à cibis coctis, ſomnus breuior ſuper cubile durum non plumaceum, negotia ardua, graues curæ, frequens iracundia, fæcum quotidiana excretio, vel clyſtere acri paulò poſt paſtum, vel pilulis ſtomachicis ante paſtum ſumendis, vt chyli diſtributio impediatur. Ad pharmaciam quoque ſpectat crebra & vehemens purgatio pituitoſi humoris, copioſi ſudores, vel ex decoctis guaiacinis, vel aquis thermalibus vel laconicis: phlebotomia quoque crebra, ſed pauca ob paucitatem ſanguinis, & hirundines non hæmorroidibus tantùm, ſed artubus, aut toti corpori admotæ, electaria denique acerrima qualia ſunt mithridatium, theriaca, confectio anacardina, trochiſci viperini, quorum crebro longóque vſu quoſdam adeò attenuatos fuiſſe teſtatur Gal. libro 14. meth. cap. 15. vt mortui ſint.

Iam verò obeſitati contraria eſt, vt diximus, affectio illa, quæ macies, tenuitas & gracilitas vocatur: nempe carneæ ſubſtantiæ infra naturalem modum diminutio, quæ ſterilitatis quoque effectrix cauſſa eſt: tum ob ſeminis & ſanguinis inopiam, tum ob facultatum naturalium, vitaliúmque & animalium ruinam. Gracilitatis differentiæ ſunt tres præcipuæ. Vna naturalis, ſecunda non naturalis, ter-

tia præter naturam : atque istarum vnaquæque vel confirmata vel imperfecta est, salubris vel morbosa, vniuersalis, toti corpori communis, vel particularis. Naturalis temperiem natiuam sequitur impensiùs siccam frigidámque vel calidam. Alia non naturalis & ascititia è consuetudine est, victúque sanguinem aut non gignente laudatum, aut laudatum promptius resoluente. Quæ præter naturam est, illa morbi symptoma est, vel acutissimi vt febris ardentis & colliquantis, vel diuturni vt febris hecticæ, lentæ, humidi, lienis & hepatis, vlcerationis pulmonis, vermium in intestinis puerorum, & abscessuum in visceribus. Salubris actiones omnes integras tuetur. Denique confirmata est, cum non solum primæ & secundæ humiditates : sed pinguis quoque & carnea substantia, atque adeo primigenius humor partium spermaticarum confectus est, túmque cutis contracta siccatáque cernitur. Non confirmata censetur illa, in qua pinguis tantum & carneæ molis iactura est, ideóque cutis mollis, laxa flaccidáque occurrit tactui, atque hæc omnia ex Gal. 6. Epid. comment. 3. textu 29. Causæ gracilitatis non naturalis externæ sunt, eóque spectant, quæcumque sanguinis copiosi generationem prohibent, vel eundem genitum violentius dissipant, vt aer impendiò siccior, idémque calidior, vel frigidior, (siue temporis, siue regionis ratione) in eóque diuturna nimis mora, item quælibet euacuatio vehemens, vel diuturna vt hæmorrhagia, diarrhœa, sudor, lotium immodicum, laconica, aquarū thermalium, frequentia balnea, exercitationes immoderatæ, vel etiam nullæ (vt enim labore vires dissoluuntur, sic & desidia) frictiones validę, multæque vigi-

vigiliæ,iracundia, curæ graues, & litigatio, victus tenuis tum actu, vt cùm paucum rarúmque alimẽtum, tametsi alimentosum sit, exhibetur, tum potentia, vt cùm copiosum quidem alimentum sed minimùm alens assumitur, vel attenuans etiam vt acres & calidi cibi, vel etiam euchymi, qui aromatis acrioribus & multo sale conditi sint. Electaria quoque acerrima eadem gracilitatis commouendę facultate diuturno vsu præstant vt theriaca,mithridatium,pastilli viperini, quorum longiori vsu quidam non modo attenuati, sed necati etiam sunt apud Gal.14.meth.capite 15. Naturalis maciei caussæ internæ sunt, temperies natiua impensè sicca, eadémque vel calida vel frigida, hæc enim sanguinem parcius gignit,illa citius & copiosius genitum digerendo conficit.

Signa Diagnostica.

MAciem naturalem à calida, siccáque temperie ortam demonstrant venarum latitudo, color subniger & hirsuties:sed eam quæ est à natura frigida, siccáque, affectiones corporum contrariæ, venarum angustia, pauca pilositas, colórque non nigricans designant, insalubrem tum morbus præsens,cuius symptoma est,tum actionum læsio, quarum integritas salubrem adhuc maciem denotat.

Signa Prognostica.

MAcies naturalis & non naturalis, vtraque si salubris sit, expetitur potius quam accusatur, nisi fortasse à mulierculis obesam & turgidulam pulpam pulchritudini tribuentibus.Quæ morbosa est,fere incurabilis est etiam si confirmata non

ſit, ob morbos comites. Quæ confirmata eſt curationem quoque non ſuſcipit,cùm partes ſolidæ humectari nequeant,ex Gal.7.meth. licet enim ſiccitas difficiliùs, quàm humiditas & obeſitas curetur, hæc tamen periculoſior eſt ob facilem exigui caloris & ſpiritus ſuffocationem.

Curatio.

CVrationis ſcopi ſunt tres, vnus eſt multiplicatio ſanguinis temperati ex primæ & ſecundæ coctionis probitate ; alter eiuſdem ad tertiam regionem habitúmque deductio. Tertius eſt ſanguinis attracti retentio dum aſſimiletur. Inſtrumenta duo ſunt, victus & pharmacia. Ille ſit totus analepticus,id eſt refectorius,ab eóq; remoueantur quæcumque puſillum calorem offendunt, extinguendo digerendóve vt algor,æſtus, laſſitudo, cruditas, vigiliæ, mœror, ira,omnéſque animi grauiores affectus. Aër igitur ſit humidiſſimus, idémque calidus, vel frigidus modicè & temperato proximus, qualis natura ſua eſt veris & autumni tempore,aut arte comparetur vt luculentis ignibus per hyemem in conclaui accenſis, per æſtatem patefactis ad Aquilonem feneſtris , ſtratóque foliis & ramis frigidarum plãtarum cubiculo,motus ſit moderatus, ſomnus multus in cubili molli,hilaritas vitæ, curarum, negotiorum arduorum , grauiúmque animi ſymptomatum & veneris ſecuritas. Cibi ſint euchymi & eupepti,quorum facilis ſit concoctio & diſtributio,vt quod robur deeſt ſuppleatur,quódque vacuatum eſt cito reſarciatur, ſint plurimùm humectantes & modicè vel refrigerantes, vel calefacientes,vt lac aſininum, caprillum,quotidie mane & ab vbere ani-

re animalis calens recénsque haustum, vt carnes recentes vitulorum, veruecum, caponum, gallinarum saginatarum, fasianorum, perdicum, & similes rarius tostæ, crebrius elixatæ, earúmque iuscula vt vocant consummata, expressiones, contusiones, cremor hordei, fabarum, cicerum, auenæ, medulla panis albissimi cum multo iure pingui carnium, aut cum aqua & butyro diutius cocta: alioqui enim viscera obstruerent, neque citò faciléque distribuerentur, amygdalatum deniq; ex amygdalis, nucleis pineis & auellanis simul contusis & cum iusculis carnium decoctis. Vinum subcrassum sit, siue rubrum siue album. Hic autem victus parcè & sæpe exhibendus est: egent enim multo cibo macilenti, quem tamen pusillus eorum calor affatim non conficiat: Atque sic primus curationis scopus de multiplicatione sanguinis expeditus est. Secundus expediatur de sanguinis in habitum deductione, quam iuuat cutis & habitus moderata calefactio, totúsq; pertinet ad pharmaciam & remedia. Ex iis primum est balneum aquæ dulcis & calidiusculæ, & diutina pro viribus ægri in eodem mora, idque post coctionem vtramque ventriculi & hepatis absolutã, vt sanguis in habitum laxatum tepido calore alliciatur & excipiatur. Alterum est frictio mollis vel ex manu nuda, vel linteolo etiam veteri, tantúmque ad ruborem & tumorem cutis, vt habitum soluat, poros laxet, sanguinem attrahat & attenuet. Hæc frictio balnei vicem supplebit, dum infirmior est æger. Vtrique, balneo scilicet & frictioni, vnctio rectè subiicitur, præsertim balnei frigidi loco quod macilentis noxium est. Fiat autem ex oleo aliquo crasso lentóque & dulci, non resoluente, quale est

commune, rosatum, omphacinũ, quod attracti sanguinis exhalationem per poros suo lentore infarctos cohibeat. Quartum & quintum remedium non solum sanguinis ex hepate maioribúsque venis penetrationẽ in habitum: sed eiusdem etiam moram in habitu dum assimiletur, calore & lentore suo adiuuant. Illæ sunt dropacis species duæ veteribus cõsuetæ, nostris ob mollitiem & doloris impatientiam ferè exoletæ. Simplex pice arida sola, exiguo oleo liquata densóque & recenti linteolo inducta constat, quæ vniuerso corpori vel parti alimentum nõn sentienti subinde calefacta, recalefactáque obducatur vicissim & auellatur, tandémque diutius hærere sinatur. Vis ei calefaciendi & humectandi inest, & ex altis partibus ad summas & cutaneas sanguinis inuitandi, ibidémque cohibendi, ne ante assimilationem exhalet: mouet enim calorem & spiritum remissum, tum per se, tum ex accidenti præ dolore inflicto. Imponitur autem sæpius rariúsque, vno vel pluribus diebus, pro affectus magnitudine viriúmque ægri, quæ si robustæ sint, repetitum admouendi auellendíque dropacis laborem ferunt, ídque non prærasis pilis cùm affectus magnitudo requirit. Aliàs rasuram præuiam doloris mediocritas suadet. Compositus dropax non sola pice pariter liquata: sed varia preterea materia in varios vsus liquatæ pici admixta constat, vt ad calefaciendum pipere, pyrethro, euphorbio, semine rorisinarini: ad siccandum sale, cinere, sulphure. Vterque dropax substantia aliàs liquida fingitur, cùm vires sunt debiles, sensímque auellitur prærasis pilis, aliàs solidiori, qualis est cerati & emplastri, cùm vires sunt constantiores, túmque non radendi pili, & dropax

affatim auellendus est. Alia denique sunt interna remedia augendo sanguini tantùm destinata, vt turrones, biscocta, pandaleones, panis marcius & bellaria: tum quæ ex medicamentis thoracicis concinnata sunt, cuiusmodi est opiata sequens.

℞. pulpæ nucis Indicæ recentis & non rancidæ ℥ ij amygdalar. dulc. excorticatarum, nucleorum pini lotorum, auellanarum, pistaciorum an. ℥ j. seminis papaueris albi ʒ vj gummi arabici ℥ ß. Contusa omnia exceptáque saccharo dissoluto in aqua communi, fiat opiata de qua capiat mane cochlearia duo vel tria, superdormiendo.

De deiectione inuoluntaria.

INter non naturales caussas sterilitatis, proponitur deiectio mictióque per coitum inuoluntaria, cuius symptomatis caussa proxima est musculi sphincteris, alui & vesicæ relaxatio, cui facultatis retentricis debilitas succedit. Porro relaxatio hæc à penuria spiritus animalis oritur, quem vel ingens voluptas ex affusione acriori seminis, & eius quæ vehementius appetita fuerat mulieris fruitione, vel immodicus coeundi labor dissiparit. Accedit tertia caussa sine qua non tripertita: tum paucitas raritásque spirituum animalium vitaliúmque, tum habitus totius raritas, tum denique mollities & laxitas natiua sphincteris eiúsque fibrarum, quæ non nisi magna vi spirituum contendi possunt: neque enim multus, crassúsque spiritus per habitum densiorem, à graui etiam labore coitus ingentíque voluptate tam promptè discutiatur, aut à tantula spiritus penuria, firmus constánsque musculus relaxetur. Eadem est lipothymiæ, syncopes & mortis aliquando

coitum nimis effrænem consequentis occasio. Proinde duo sunt scopi curationis. Vnus vt copia & crassities spirituum comparetur: Alter vt sphincter ante coitum roboretur: Instrumenta duo, diæta & pharmacia: illa quidem constet victu copioso & quanto concoqui possit, euchymo, crasso, lentóque, calido & humido, vt ex pane albissimo, carnibus recentibus porcellorum, porcorũ, vitulorum, boum, maiorum piscium, ex iusculis crassioribus vt panatellis, hordeatis, orizæ, quibus aspergatur pulueris dulcis plurimum, ex vino rubro crassóque & dulci, somno denique longiore, & hilari vita. Pharmacia sit calida, humida, spirituosa & acris. vt ℞. pulpæ auellanarum & nucleorum pini an. ʒ ß seminis nasturtij ℈ j ambræ grizeę gra. ij moschi gra. iij fiant pilulæ cũ vino deuorandę in introitu lecti. Simile est electarium hoc.

℞. rad. eryngij & satyrionis condit. an. ℥ ij corticis citri conditi, carnis cydoniorum & myrabolanorum, confectionis alkermes an. ℥ ß medullæ nucis Indicæ, auellanarum tostarum & pistachiorum an. ℥ j lumborum stiricẗorum ʒ vj seminis erucæ, rapi, napi, & cępulę an. ʒ ij, ambrę grizeę ℈ ß moschi electi ℈ j cum syrupo de pomis fiat opiata, capiat ʒ iij in introitu lecti.

Sphincter vterque roboratus sæpe & per plures dies fotu & vnctione astringente calidáque regionis ani perinei & pubis.

℞. summitatum myrti, oleastri, absinthij an. m. j. mastichis & corticis thuris an. ℥ ß. scoriæ ferri, balaustiorum & nucum cupressi, gallarum viridium an. ℥ j rosarũ rubrarũ p. j coquãtur omnia in aqua cisternæ & vino rubro. vel ℞. olei myrtini & nardini

dini an. ℥ ij mastichis, sanguinis dracon. gallarum vstarum, carabes & cornu ceruini an. ʒ ij ceræ albæ parum, fiat vnguentum admouendum post fotum iisdem partibus.

De sterilitate à caussis internis præter naturam.

VAriæ cũ sint sterilitatis species, ad duo veluti genera contrahi possunt. Vnum seminis: alterum pudendi virilis vitium spectat. Illius quidem naturales & non naturales caussæ earúmque remedia hactenus proposita sunt. Causæ præter naturam vitiosi seminis deinceps enarrantur curantúrque quæcumque vel per sympathiam, vel per idiopathiam testiculorum ex vitiato semine sterilitatem proferunt. Illæ vero sunt morbi & symptomata tũ totius corporis communia: tum singulorum viscerum propria, quæ si insigniter intẽperata, obstructa, tumefacta & exulcerata fuerint, seminis materiã aut diripiunt, aut temperiem eiusdem labefactant, ex qua à testibus etiam temperatissimis semen euanidum, infœcundum & sterile proferri necesse est, nẽpe ex vitiosa materia productum nec caloris & spirituum puriorum vbertate perfusum, qui è partibus animalibus, vitalibus & naturalibus in semen corriuari solẽt. Occurrit igitur primùm sympathia ab intẽperie insalubri eáque vniuersali & toti corpori communi, cuius origo duplex est: vna à caussis externis impensiùs frigidis, calidísve, humidis aut siccis, altera à caussis internis, humorum scilicet & viscerum vt hepatis, cordis, lienis, pulmonis vitio. Talis accidere solet cachecticis, ictericis, hydropicis, tabidis, lentáque febre aut hectica

laborantibus. Prius genus intemperiei vniuersalis fere sine humore est, victúque solo contrario abigitur, vbi prius species eius tum ex caussarum externarum exuperantia: tum ex symptomatum comitantium conditione explorata fuerit. Calida igitur intemperies, siccáque vt ab æstu, vigiliis, inedia, amoribus &c. abigatur cibis paucis euchymis actu & facultate frigidis, balneis aquarum fluuiatilium, somno multo, quiete, animíque tranquillitate: frigida contra vt quæ prouenit à cœli rigore imbribus hyemalibus, natatione in gelida vel submersione in eandem, discutienda est victu calido, laconicis & balneis aquarum thermalium, litibus & vnguentis ex oleis calidis. Posterius genus intemperiei vniuersalis ex sympathia viscerum, curatur pariter diæta repugnante & remediis internis externísque contrariis vt balneis, litibus, vnguentis hic breuiter indicandis: hoc enim compẽdio sola remediorum genera quæ quisque affectus per sympathiam tam vniuersalem quam particularem fœcunditati officiens indicarit, mihi consilium est annotare, paucorum tantum quæ in vnoquoq; affectu efficacissima sunt explicatione adhibita, quæ tamen omnia in idiopathia testiculorum & colis studiosè prosequemur, omnésque non solum indicationes, quæ ad remediorum genus: sed & eas quæ ad rectum vsum vt puta quantitatem spectant, depromemus.

Particularis viscerum sympathia ex functionum cuiusque propriarum noxâ, vitióque excrementorum & qualitatum corporis sensibilium dignoscitur, vt putà intemperies humida, frigidáque cerebri (calida enim siccáque partis exanguis rarior

est,

est minúsque fœcunditati incommodat) ex dolore graui stupore sensuū motuúmque torpore & mentis inertia, cataphora & veterno, ex pituitosi excrementi multitudine. Vulnus autem & fractura à quibus intemperies frigida inferri solet, signis diagnosticis non egent sed sensu solo. Multo minus venarum pone aures incisio. Cordis intemperies frigida humidáque dignoscitur ex tarditate respirationis, palpitatione, lipothymia, dyspnæa, verecundia, ignauia, timiditate,& inde fit vt à frigido corde paucus spiritus, calórque proueniat qui semen fœcūdet. Calidæ siccæque intemperiei signa sunt contraria.

Intemperies hepatis omnis innotescit ex atrophia sensim inualescente,cachexia,prauóque colore,vel nigricante, aut liuescente vel albicante, vel flauescente pro intemperiei scilicet calidæ frigidęque & humorum discrimine.Hepatis obstructio ex dolore graui dextri hypochondrij, tumores tactu dignoscuntur vel cum febre,vel sine eadem. Lienis affectus eadem ratione dignoscuntur. Ventriculi intemperies vomitu, dolore, coctionis appetentiæ sitísque læsione. Vlcus pulmonis ex spiritu fœtido, febre lenta,vel hectica,sputo cruento & purulento, vnde vitiantur spiritus animales vitalésque.Renum intemperies frigida ex rara crudáque mictione, frigoris ad lumbos sensu,veneris fastidio, & difficili erectione penis. Obstructio à lapide & vlcus ex propriis signis detegenda sunt. Iam verò vt horum omnium therapeia rectè instituatur,cerebri imbecillitas ex intemperie frigida,humidáque quæ multo frequentior est quam calida, curabitur primùm diæta calida,siccáque, deinde purgatione vniuersali

cacochymiæ pituitosæ per pilulas coccias,de agarico,& sine quibus: tum particulari deriuatione eiusdem è cerebro per apophlegmatismos, errhina,& phœnigmos capiti abraso applicandos: postremo intemperies ipsa capitis deletur lotionibus ex decocto plantarum cephalicarum, id est calidarum & siccarum in lixiuio cineris sarmentitij & vino albo sæpius & mane repetitis, pulueribus cephalicis vel capiti aspersis in introitu lecti, vel cucupha noctu diúque gestata, pomis odoratis de collo suspensis & suffitibus: sed efficacissimè quoque curatur electariis mollibus, durísque intrò sumendis in introitu & exitu lecti, vt electario pleres archonticon,theriaca,mythridatio, & conseruis radic. acori,corticis citri, florum anthos & saluiæ & stæchados. Sterilitas ex venarum & arteriarum pone aures præcisione incurabilis est, non ob interceptum quidem seminis materiæ commeatum: sed ob capitis refrigerationem desinente sanguinis affluentia consueta: Eadem est ratio imbecillitatis relictæ à contusione vel vulnere.

Intemperies humida frigidáque cordis post præscriptam diætam calidiorem eandémque cacochymiæ purgationem discutitur electariis calidis siccísque & odoratis intus sumptis,vt diambrę, de gẽmis, diamoschi dulcis, diamarg.calidi, lætificante Galeni & confect.alkerm.conseruis anthos & borraginis, denique epithematis regioni cordis appositis. Ventriculo frigidiori opitulantur,intus quidẽ electarium aromaticũ rosatum,diagalanga,diatriũ pipereon,cõserua cortic. citri, zingib. viridis, florum anthos,vinũ absinthinum & syrupus, foris verò ceratum Galeni pro stomacho, litus ex oleo absinthino,

ſinthino,nardino,de mentha, muſcatellino,ex quibus etiam cum puluere prædictorum electariorum aut ſimili paucáque cera alba fiat vnguentum. Conferunt denique ſacculi puluere ſtomachico farti.

Renibus frigidioribus peculiariter medẽtur intus quidem conſeruæ radic. ſatyrionis & eryngij,& electar. diatrium pipereon, theriaca & mithridatium: foris vnguentum, quod regioni lumborum mane & veſperi impingatur, Tale eſt hoc ℞. olei coſtini ℔ ß olei de ſpica ℥ j. pulueris rad. pyrethri,ſeminis ſtaphiſagriæ,aſſæ odoratæ,maſtich.ſtoracis calamitæ an. ℥ ß ſeminis erucæ & naſturtij an.ʒ ij ceræ albæ.q.ſ. Puluini quoque calido & odorato puluere repleti lumbis dormientium ſubſternantur. Hepati frigido humidóque ſuccurrit intus quidem elect. aromat.roſatum,diagalanga, conſerua cortic.citri, mali limonij, zingib. viridis,vinum abſinthinũ vel cinnamomites: foris vero linimẽtum ex oleo coſtino,maſtichino,de ſpica, abſinthino,nardino, laurino,muſcatellino,ex quibus addita cera alba fiant linimenta:& admixtis pulueribus electariorũ calidorum vnguenta concinnentur. Obſtructiones & tumores ſcirrhoſi hepatis propriis remediis,id eſt incidentibus,tergentibus & roborantibus profligentur. Eadem prorſus therapia eſt ſplenis intẽperierum,obſtructionum,tumorúmque. Pulmonũ quoque tabidorum & vlceratorum remedia ex tergentibus & conſolidantibus mixta ſint.

Vaſorum etiã ſeminariorum noxa ſterilitatẽ inuehit. Sunt autem vena vna,& arteria vna ex vtroq; latere cum exili propagine nerui ſextæ coniugationis ad teſtes vſque producta , ad quos ſeminis materiam,id eſt ſanguinem deferunt, à qua ſeminaria

dicta sunt: sicuti ab officio deferentia siue latores. Itaque sanguine rubere cernuntur nisi paulo supra testem vbi albescere incipit, tum ex propria vi vasorum istorum varicosorum assimilatrice, in quibus flexuosis diutius cunctatur, tum ex irradiente facultate testium spermatopoietica, éstq; tum proximi futuri seminis rudimentum quod à testibus excoquitur & perficitur. Est quidem munus idem vasorum istorum: sed ortus diuersus: dextrorum quidem à vena caua & aorta infra renem, sinistrorum à renalibus, siue emulgentibus venis & arteriis, vnde vulgatum est à dextris & in dextris mares procreari, sicuti à sinistris & ex sinistris fœminas. Neutra substantiam subeunt testiculorum à quibus illæsa integráque diuelli possunt: sed eorum superficiem tantum amplectuntur super epididymidas. Contingit autem ea vasa vel obstrui vel astringi vel contundi, vel denique rumpi, sicque sterilitatem induci: obstructio enim astrictióque, sanguinis ad testiculos commeatum prohibet. Illa à copia: sed multo magis à crassitie & lentore humoris alicuius oritur, hæc à contusione, ab ictu, casu, presśúve grauioris armaturæ à quo visa mihi est in nobili adolescente vtriusque testium atrophia & tabes incurabilis, aut à tumore aliquo grandiori vt bubone, aut à cicatrice inguinum arctiori post curatam enterocelem. Aliàs ruptio eorundem vasorum sed rariùs accidit ex casu sublimiori, ictu aut saltu, cuiusmodi ruptio à ferocioris equi equitatione comperta mihi est in milite funesta, effuso in ventrem & per vesicam omni sanguine. Obstructio curanda est attenuante primum diæta: mox medicamento vacuante cacochymiam pituitosam,
&

& phlebotomia, poſtremo iulepis incidentibus, aperientibus, & balneis, fotibúſque tum laxantibus, tum etiam incidentibus & digerentibus. Aſtrictio ex contuſione externis remediis emollientibus, attenuantibus & reſoluentibus fotibus, balneis & vnguentis. Quæ autem à cicatrice nimis ſtricta prouenit, eiuſdem cicatricis reſolutione & diuiſione curatur, nouęque ſed amplioris inductione. Ruptio ſicuti & ſectio irreparabilis eſt.

Teſtium hiſtoria anotomica.

TEſtes ſiue teſticuli dicti ſunt tanquam virilitatis indices, gemini à numero (quem tamen variare in quibúſdam familiis à Fernelio notatum eſt) dexter maribus, ſiniſter fœminis gignendis magis idoneus eſt. Vterque maribus foris extráque perineum pendet ex muſculo cremaſtere dicto oblongo ſcilicet & gracili à quo releuatur ſine andagoniſta, quia ſua grauitate ſatis reuelluntur in ſenibus præſertim debilibus & ęgris: Animalibus tamen multiparis auibúſque omnibus intus conditi ſunt ob vitæ breuitatem, ſicuti fœminis omnibus ob ſitum vteri cuius ad latera annexi ſunt, vt in eius ſinum ſemen ſuum deponant per vteri cornua. Figura donati ſunt rotunda vel potius ouali, temperie calida, humidáque, ſubſtantia glandulosa, alba ſcilicet, molli & friabili inſtar glandium & quòd venulis arteriiſque frequentibus variè implexis abundant, rara, laxa, atque cauernoſa. Sic enim ſemen copioſum continent & melius percoquunt quàm ſi cauitas adeſſet. Quatuor membranis veſtiti ſunt, duabus communibus vt oſcheo,

id est scroto à cute, altera à panniculo carnoso (vocatur δάρτος) & duabus propriis vna ἐρυθροειδὴς, id est rubea, altera interiori, duriorique & neruosa. Epididymis autem particula est capiti testium virilium adhærens instar parui testiculi, qua muliebres carent. Testiculorum naturalis propriáque functio est seminis fœcundi generatio cui subseruiunt, vasa spermatica & parastatæ, deferẽdo eius materiam eámque præparando: tum vasa eiaculantia, idem semen postquam perfectum est emittendo ad prostatas vesiculas ad ceruicem vesicæ accubantes vbi asseruatur ad necessarios vsus. Itaque in partium principum numero testes collocantur non quod ad vitam præsentem sint necessarij, sed ad futuram seriem natorum propagandam, quæ species quædam est immortalitatis. Neque enim propagatio speciei sine procreatione, sicuti neque hæc sine semine esse potest, quod à solis testibus absoluitur. Est eorundem testium insignis vsus in calore natiuo conseruando augendóque non tam ex insita eorum caliditate siquidem exangues sunt, & glandibus similes, quàm influente & ascititia à seminis præsentia multo spiritu caloréque turgentis, quem per venas, arteriásque in cor & hepar totúmq; corpus refundunt. Itaque testium morbi, temperamenti habitus morúmque mutationem inferunt. Illi enim corpus mediatè recalefaciunt, cor autem & hepar immediatè.

Testium morbi similares.

SVnt autẽ testiculorum morbi omnium generũ. Similares quidem sunt, intemperies tres, frigida sicca,

ſicca, frigida humida, & calida ſicca (nam calida humida fœcunda eſt ſępius) Porro teſticulorũ intemperies aut inſita & naturalis eſt, aut adſcititia, hæcq; duplex tum non naturalis ex victus ratione intemperata, tum præter naturam, idque tum ex ſympathia totius, aut viſceris alicuius, tum idiopathia & propriis affectibus.

Diagnoſis intemperiei inſitæ.

INſitæ intemperiei morboſæ calidæ, ſiccæque (calida humida fœcũdiſſima eſt) ſigna ſunt: venarum ſcroti, peniſque amplitudo, tenuitas cutis & caliditas, pili vicinarum partium vt pubis perinei & fœmorum multi, denſi, criſpi, rudéſque, libidinoſa natura, frequénſque & prompta mentulę erectio ex caloris ſpirituúmque multitudine, paucum ſemen, ſed acre parúmque flaueſcens. Frigidæ contraria ſunt ſigna, cutis frigida rugoſa, male colorata, pauci, raríque pili & læues, tarda vel nulla erectio, deficiente calore & flatu.

Diagnoſis intemperiei adſcititiæ.

ADſcititiæ intemperiei calidæ ſigna ſunt, cutis ſcroti calida venoſa rubea & aliquando tumida ex caloris & ſpirituum affluentia. Frigidæ ſigna ſunt frigiditas manifeſta, venæ exiles, rugæ & ſcabrities cutis eiuſdem ſi iungatur ſiccitas, vel laxitas ab humiditate.

Prognoſis.

INtemperierum inſitarum maior eſt quàm adſcititiarum aduerſus fœcunditatem vis & efficacitas. In vtroque genere frigida ſiccáque, vel humida

maximè nocet. Quoties enim frigiditatis comes est siccitas, paucum & frigidum, quando vero frigida intemperies iuncta est cum humida, liquidum semen eóque euanidum redditur, nisi forté concurrat calidius & vberius muliebre semẽ. Calida siccáque intemperies minus obest, dummodo tamen totum semen frequentiori coitu non exhauriatur, aut crudum adhuc & illaboratum emittatur. Intemperierum denique quàm organicorum & communiũ morborum facilior est curatio. Intemperiei adscititiæ per sympathiam totius corporis, aut viscerũ, tres sunt curationis scopi, Primus vt sanguis temperatus deinceps cumuletur idonea diæta. Secundus vt sanguis antea congestus temperetur, tum per phlebotomiam (si eius indicatio adsit) tum per purgationẽ excremẽtitij humoris cũ sanguine mixti. Tertius vt ipsa viscerum & testiculorum intemperies amoueatur. At eius intemperiei quæ idiopathica est, tam insita quàm aduentitia duo tantum scopi sunt necessarij, nẽpe vt victus sit intemperiei contrarius, sicuti & remedia quæ parti affectæ applicantur, quæ topica dici solent.

Intemperiei calidæ curatio.

QVare in intẽperie calida siccáque; diæta frigida, humidáque qualis antea descripta est, deinde purgatio cholagoga instituatur ex rhei infusione, medulla cassię, syrupo rosato, electuario dia prun. solut. & de succo rosarũ. Phlebotomia in cubito purgationi præponenda: sed emollienti clysteri postponenda est. Postrema est refrigeratio per topica testium & scroti, pubis & perinei regioni admouenda, tantisper dum calor alienus restinguatur

tur incipiente partis leui liuore ne in contrariam intemperiem frigidam testes labantur, magísque desperatam sterilitatem inuehant. Topica autem hæc, fotus embrochationis, vnguenti & cataplasmatis forma vsurpentur. Exempli gratiâ.

℞. aquarum lactucæ, nenuph. solani, rosarum an. ℥ iiij aceti rosati ℥ ij camphoræ ʒ j foueantur partes hoc liquore tepido cum spleniis, inebriatis, expressísque & appositis mane & vesperi, ídque sæpius.

Ex herbarum istarum decoctis validiores, ex succis earundem validissimi fotus fiant. Mox à fotu vnctio vel cataplasma huiusmodi administretur.

℞. olei nenuph. papau: & rosacei an. ℥ ij aceti ros. ℥ ß albumen oui vnius, camphoræ ʒ ß misce diligenter, fiat oxyrrhodinum, quod multo efficacius euaserit addita vnguenti populeonis ℥ ß vel mucilag: seminis psillij ℥ j.

Similia prostant in pharmacopoliis. vnguentum refrigerans Gal. vnguētum alb. camphoratum, populeum, ceratum santal: & vnguentum rosaceum. Simile & hoc est,

℞. olei nenuph. & papau: an. ℥ ij seminis lact. & papau. alb. an. ʒ j ~~feminis~~ psillij ʒ ij camphoræ ℈ j ceræ alb. q. s. fiat vnguentum.

Cataplasma autem fiat è succis frigidarum plantarum lactucæ, solani, papau. albi, & hyoscyani coctis ad ignem cum farina hordei, vel denique ex ipsis herbis contusis mixtísque cum eadem farina. Sua etiam vis est refrigerandi internorum præsidiorum vt syruporum de nenuphare, de papauere, de acetositate citri, de limonibus (qui vel per se,

vel cum aqua acetosæ & lactucæ iuleporum instar mane sumantur) vt etiam conseruarum ros. rub. viol. nenuph. florum & electariorum frigidorum vt triasantali, diamarg. frig. quale etiam est hoc. ℞. sem. papau. alb. hyoscham. alb. & lact. an ʒ ij seminis acetosæ ʒ j coralli rubri, santal. alb. rubríque an. ʒ ß fiat puluis, qui excipiatur saccharo aqua ros. dissoluto, & formentur tabellæ ponderis ʒ iij capiat vnam duabus horis ante singulos pastus.

Eiusdem intemperiei calidæ symptomata sunt libido insatiabilis, nocturna pollutio, habitus extenuatio, virium omnium ruina. Libido ardens sterilitatẽ tandẽ accersit, quia per hãc eiicitur crudius semen. Nocturna pollutio eandem ferè noxã fœcũditati infert, eiúsque caussa proxima est facultatis expultricis irritatio ab imaginatrice facultate percepta, per somnum non solum nocturnũ sed etiam diurnum. Antecedens caussa est titillatio testium & vasorum spermaticorum vel à copioso minis semine (vt in sanguineis & iuuenibus lautè victitãtibus) vel acri, eóque vel à victu calidiori, vel à viscerum testiúmque intemperie calidiori. Per somnum autẽ ferè incidit, sicuti & per vigilias ex attenta veneris cogitation e, quod tum collecto calore præcordia æstuent, renésque & vasa spermatica, maximè si in cubili plumeo & calido super lumbos dormiatur, quanquam accidit etiam ab imaginatione nocturna formosæ mulieris alicuius. Quare quæ à victu calido est, frigidioribus epulis, obsoniis & potionibus arceatur: quæ à copioso nimis sanguine vel acri, eodem victu refrigerante prohibeatur, phlebotomia, purgatione, multóq; labore & studio, peculiari denique testiculorum refrigeratione. Præceps quoque

que per coitum & à coitu virium dissipatio, lipothymia & syncope confestim reuocetur, electariis calidis, siccísque odoratis & vaporosis quibus spirituosa substantia instauretur; talis est confectio alkermes, de hyacintho & de moscho, quæ cõfectiones cum aqua cœlesti, aut imperiali, aut ardenti sumãtur, quanquam harum etiam aquarum per se eximia vis est ad lipothymiã, odoramẽta quoq; prosunt naribus obiecta moschi, diambræ, ciuetæ, aspersio denique faciei ab aqua frigida ne præ raritate habitus prætenues spiritus digerantur. At quæ sensim incidit viriũ omnium ruina & habitus extenuatio, sensim refocillanda est victu analeptico antè exposito qui calidus sit humidus euchymus & eupeptus.

Frigida intemperies testiculorum quæ vel à victu frigido, vel per sympathiam viscerum aliorum frigidiorum orta est tribus scopis curatur, primo vt sanguis calidior victu idoneo multiplicetur, altero vt serosus & pituitosus humor ab vtili sanguine secretus vi purgantis medicamenti excernatur, tertio vt intemperies ipsa contrariis topicis deleatur. Quæ idiopathica est siue insita, siue adscititia præ refrigeratione peculiari vt aëris rigentis, aquæ alsiosæ, & medicamenti frigidi diutina appositione, curatur tantum duobus aliis scopis excepta purgatione. Diæta itaque sit calida humidáque vel sicca, euchyma, eupeptos, sed vaporosa etiam & acris: vt non solum sanguinis sed vaporum quoque acrium & spirituum copia multiplicetur, à quibus tum vasa seminaria, testésque ad deiectionem sollicitentur, tum penis ipse distendatur & erigatur. Huiusmodi est victus analepticus

paulo ante descriptus cui ad flatuū cumulationem addantur radices rapi, napi, pastinacæ, cepæ, allia &c. folia viridia menthæ, nasturtij, erucæ, legumina vt fabæ, pisa, cicera, lentes, faseoli elixata cum iure pingui: sed horum obsoniorum genera omnia condienda sunt puluere aromatico vt non solum copia, sed acrimonia etiam subsit flatuum, vt.

℞. cinnamomi ℥ ß zingib. nucis mosch. piperis longi an. ℥ j. moschi optimi ℈ j sacchari albiss. ℥ iiij fiat puluis.

Ex eodem puluere & lib.i. panis sacchari conficiatur sal sacerdotalis dictus, id est cōdimentarius.

Pharmacia autem duplex esto: vna interna, altera externa. Illa viscerum testiúmque calorem foueat, flatúsque acres excitet; Eiusmodi sunt conseruæ rad. eryngij, satyrionis, zingiberis viridis, cardui radix cruda vel cocta, semina cepæ, erucæ, nasturtij, raphani, napi, rapi, vrticæ, macropiper, cinnamomum, cardamomū, macis & nux moschata, amygdalæ dulces, auellanæ, scinci & à proprietate occulta roborātes penem, priapi tauri, arietis, hirci, verris, apri, vulpis eorúmque testiculi.

Eiusmodi quoque sunt electarium diamoschum, confectio alkerm. & de hyacintho, mithridatium pleres archonticon cum moscho. Formulæ tales ex tempore præscribantur. ℞. rad. eryngij & satyrionis an. ℥ ij nucleorum pini, amygdalarum dulc. auellanarum, pistachiorum, nucis indicæ an. ℥ ß seminis erucæ, napi, rapíque, linguæ auis, piperis longi an. ʒ ij caudæ scincorum ʒ iij cinnam. & zingib. an. ʒ j moschi optimi ʒ ß ambræ griz. ℈ ß fiat puluis excipiendus melle vt fiat opiata mane & vespe-

ri ad

ri ad ſemunciam vſurpanda ſuperbibendo parum vini hippocratici.

Efficaciſsima eſt & ſequens opiata.

℞. butyri rec. ℥ iiij vitellos ouorum ſex, rad. zedoarię, ſatyrionis, eryng. & zingib. cond. an. ℥ ij nucis indicæ, pulpę auellanarum toſtarum, amygd. dulc. dactylorum & piſtachiorum an. ℥ j ß lumborum ſtinctorum ʒ vj, priapi tauri, teſticulorum leporis, vulpis & gallorum an ℥ j ſeminis erucæ, naſturtij, cinnam. caryoph. piperis lõg. nucis moſchatę & ſeminis ſinapi an. ℥ ß contuſa leuiter omnia coquantur in lacte quod primæ coctioni ſuperfuerit; tandémque adde mellis optimi lib. ij moſchi optimi ʒ ij fiat opiata vtenda pariter.

Externa pharmacia ſit quoque calida humidáque vel ſicca, conſtétque fotibus, embrochationibus, vnguentis, & emplaſtris quæ non ſolum regioni teſticulorum, ſed perinei quoque pubis & lũborum regioni admoueatur quod ſeminaria vaſa teſtibus intemperatis ſæpe condoleſcant. fotus ergo fiat ex decocto plantarum calidarum verbenæ, ſaluiæ, pulegij, menthæ, meliſſæ, ſummitatum lauri, hederæ, roriſmarini, lauendulæ, in vino generoſo. Embrochatio ex oleo coſtino de caſtoreo, de ſpica, laurino & muſchatellino, quibus addita pauca cera fiat linimentum. Quod ſi addatur pluſculum pulueris vnguentum euadet, aut etiam emplaſtrum in eum qui ſequitur modum. ℞. olei laurini, coſtini an. ℥ ij olei de ſpica & muſchatellini an. ℥ ß pulueris cyperi ʒ ij baccarum iuniperi, cardamomi, ſeminis erucæ & ſinapi an. ʒ j ciuetæ ʒ ß ceræ parum, fiat vnguentum. Horum denique omnium tã

internorum,quam externorum prorogetur in tres menses vel dimidium annum,aut integrum etiam annum. Tunc enim nisi vir generarit, aut mulier conceperit,desperanda fœcunditas est, & sterilitatis remedia omnino respuenda. atque hi sunt qui frigidi dicuntur,non quidem maleficiati de quibus postea.

De testiculorum vitiosa magnitudine,eiusdémque curatione.

IN morbis organicis testium prima numeratur magnitudo vel supra vel infra naturam, vtraque autem aut insita est aut adscititia. Amplitudo quidem insita ab vtili & abundante fit semine validáq; natura seu facultate conformatrice,deinde à nutritionis vbertate.Adscititia duplex quoque est. Vel enim nō naturalis est vt à crebra frictione,vnctione,pice,aliísque calefacientibus caussis sanguinem & alimentum copiosum deducentibus : aut contra naturam est ex intemperie frigida siccáque,vel humida, à tumore aliquo præter naturam nec suppurato nec resoluto.Paruitas naturalis contra, tum ex seminis penuria, tum ex facultate cōformatrice inualida debilíque calore oritur. Non naturalis à multiplici concubitu exhauriēte semen propriúmque testium alimentum & ab aliqua perfrigeratione externa,ob quam neque seminis materiam trahere,neque proprium alimentum concoquere possunt.Quæ præter naturam est,ab aliquo præter naturam affectu inducitur,vel proprio vt vulnere & vlcere:nam cum sanie seminalis quoque substantia effunditur pársque ipsa refrigeratur:vel per sympathiam vasorum deferentium obstructorum vt præ con-

contusione lumborum ab ictu, casuve: vel astrictorum vt à tumore vel cicatrice inguinis in curanda enterocele, aut præcisione simul cum teste. De vtraque magnitudinis specie historiam legeris Nicolai Massæ in epistolis.

Porro magnitudo aucta tum naturalis, tum non naturalis fœcunditati non officit: sed auget potius salacitatem multiplicato semine: sed quæ contra naturam est curatione eget sicuti & duæ priores ob deformitatem & ambulationis impedimentum. Paruitas autem omnis fœcunditati aduersa curationem indicat.

Curationis igitur auctæ magnitudinis scopi duo sunt, vnus ne distributio copiosi alimenti ad testes fiat. Alter ne ab iisdem attrahatur. Primus comparatur diætæ tenuitate & testiculorum quiete: si non modo vitetur coitus: sed suspensi etiam apta deligatione per linea subligacula seruentur: sic enim ex otio frigidiores & ad tractionem alimenti languidiores euadunt, deinde vacuationibus frequentibus tum insignibus, vt phlebotomia & purgatione, tum obscuris vt sedulo studio, vigiliis, & labore, à quibus sensim fit sanguinis & caloris resolutio. Alterum scopum consequimur testium refrigeratione qua non solum substantia eorum densior reddatur: sed facultas etiam tractrix obtundatur. Topica ergo refrigerantia, tum liquida vt fotus, litúsque, tum media forma vt linimenti, vnguenti, & cataplasmatis fingatur, apponantúrq; non modo ad testium regionem sed peritonei etiam pubis & lumborum. Fotus ergo fiat ex decocto foliorum & radicum hyoscyami albi, papaueris albi, lactucæ, solani, cicutæ in oxycrato. Cataplasma ex iis-

dẽ foliis coctis & cõtusis, mixtísque cũ polenta, vel certè ex succis eorundem crudorum cum farina eadem ad ignem confusis; Litus ex oleo papaueris, nenuph. & rosarum mixta aceti albi parte sexta, quibus oleis addita pauca cera linimentum fiat, sicuti puluerum mixto triente vnguentum. Horum materia sit ex seminibus lactucæ, papaueris & hyoscyami albi cerusæ lotæ & terræ sigillatæ: sed vtendi modus esto dum liuescere pars incipiat, ne in intemperiem frigidam incurabilem sterilémque testes præcipitentur. Paruitas autem contrariis omino scopis curanda est. Prior est vt ad testes alimentum prouocetur, posterior vt ab iisdem validè attrahatur. Est igitur ad priorem scopum consequendum necessaria analeptica diæta & vacuationum omnium tã insignium quam obscurarum fuga: moderata venus colatur quo sint testes alimenti auidiores. Posterior comparatur crebra frictione, picatione, vnctione, fotu & cataplasmate ex materia calida vt excitatus testium calor plus alimenti attrahat concoquátque, & substantiam laxiorem & copiosioris sanguinis capacem reddat. Neque interim electaria calida & vaporosa omittenda sunt, quæ omnia sicuti & topica calida in curatione intemperiei frigidæ eorundem sunt annotata.

De situ mutato testiculorum, eiusdémque curatione.

AD organicos quoque testiculorum morbos pertinent, cremasterum musculorum à quibus fulciuntur, paralysis & conuulsio. Hæc quidem vel à sicca & præcalida intemperie nuda, vt per febres

bres acutas, vel à repletione fluxúque crassi, lentique humoris pituitosi, substantiam nerui intus dilatantis & contrahentis oritur. Illa verò prouenit ab astrictione natâ aut ex tumore aliquo aut contusione, præ ictu graui casúque. Aliàs prouenit ab obstructione nerui aqueo humore perfusi: traque enim causa spiritus animalis & facultatis sensificæ motiuæque in neruum distributionem prohibet. Signa sunt quod conuulsionis, dolor perpetuus comes est, permanente sensu propter spiritus liberè per superficiei poros influentes, cum alioqui in paralysi tollatur sensus. Præterea conuulsionis ab inanitione caussa est febris ardentior, sicuti paralyseos ab astrictione signum est contusio ab ictu, casuue. Quæ ab inanitione cõuulsio fit, lethalis est Hippocrati primo progn. quæ verò à repletione, illa sicuti & paralysis curanda est obseruatis iisdem qui aduersus intẽperiem frigidã testiculorum scopis, scilicet vt victus calidus siccúsque adhibeatur, deinde vt cacochymia pituitosa expurgetur, postremò vt caussa cõiuncta humórque neruum distendens vel emolliens discutiatur, tum per insignes vacuationes vt sudores, laconicis, aquis thermalibus & decoctis guaiacinis aut similibus excitandos: tum etiam obscuras & insensiles per topica calida siccáq; sensim & sine sensu discutientia, qualia sunt exposita in intemperie frigida curanda. At verò paralysis ab astrictione & contusione præter expositos scopos phlebotomiam reuulsoriã exigit ab initio, victúmque frigidiorem & topica repellentia quæ tandem in declinatione mutentur in resoluentia.

Scroti χάλασις vel mollificatio.

Situs quoque mutati species est ῥάκωσις Paulo dicta, relaxatio scilicet vel mollificatio scroti, testibus nihilominus in sua sede remanentibus, id est non conuulsis neque resolutis. Est autem scrotum vel scortum testium inuolucrum, cutis nempe tenuis & valde rugosa testes obuoluens, vnde græcis dicta ὄσχεος & μαρσύπιον quasi bursa, & ἀγγεῖον, id est vasculum, ab officio. Latinis autem à similitudine sacculi coriacei. vocabant enim scortea quæcumque aluta aut pelle constabant. Porrò relaxatur cutis hæc ab intemperie humida per sympathiam hypogastrij partiúmque eius. Ea quidem fœcunditati nō officit: sed fœditatem viro insedendique difficultatem, mulieri tædium parit. Curatur itaq; iisdem scopis tribus & instrumentis, vt diæta calida siccáque, purgatione cacochymię pituitosę, & exsiccatione, astrictionéque per topica calida, sicca & astringentia, de quibus antea in intemperie humida frigidáque testium. Chirurgicam curationem leges apud Paulum lib. 6. cap. 6.

Testiculorum occultatio.

Vitiosi situs: sed tamen naturalis, species quoque est testiculorum intra ventrem & peritoneum occultatio, vnde foras in scrotum cum suis vasis spermaticis per peritonei productionē emergunt, per ætatis aut coitus vehementis auctam caliditatem, de qua testiū eruptione Iphidis fabula vltima lib. 9. metamorph. nec non historię de multis aliis è fœminis in mares mutatis, apud Pliniū lib. 7. cap. 4. audiendæ sunt, aut de clitoride nimis lōga apud Æthiopes, & Ægyptios, cuius amputādæ modū docet Paulus. Neque verò propterea existimandum geni-

genitales partes vtriusq; sexus solo situ inter se differre. Nam & quoad formam, & quoad structuram differunt. In fœminis, ceruicis vteri inuersæ, vna est cauitas, eáque perampla, penis verò tres sunt, binæ quidem duorum ligamentorum, tertia verò vrinæ seminíq; cõmunis est, súntque omnes exiguæ. fundũ quoque inuersum vteri scroto dissimile est, hoc enim cutis quædam tenuis & rugosa est, vteri verò membrana interna crassa densáque est, & carnea, omníque genere villorum contexta. Vide Aueigam in vltimum caput lib. 6. de locis. Porro hic testium situs per se quidem fœcunditati nõ officit, cùm testibus præter situm nihil desit ad perfectã seminis elaborationem, non vasa præparantia & eiaculantia: sed proba tantùm temperies & valida facultas, quæ ob caloris infirmitatem illos foras extrudere non potuit. Quamobrem tentanda curatio est non tam reductionis quam intemperiei temperandæ caussa, sicuti expositum est in frigida testiculorum intemperie.

De morbis communibus.

VTriusque testiculi auulsio excisióque saluis etiam integrísque ambobus vasis spermaticis sterilitatem incurabilem inuehit, quod testiculorum proprium munus sit seminis fœcundi perfectio: alterutrius tamen sed dextri potissimum integritas fœcunditatem fouet, ideóque temperies eius accuratè conseruanda roborandáque est remediis in frigida intemperie propositis.

Vlcus vulnúsque vtriusque, vel alterius testiculorum sterilitatem sæpe inuehit ob intemperiẽ frigidiorem: vel exhalãte eorum calore natiuo, vel

aura ſubſtantiam eorum ſubeunte, vel proprio alimentó cum ſanie & excrementis excluſo, vel medicamentorum frigidorum appoſitione, vel denique cicatricis aſtrictione. Eadem eſt tumorum præter naturam phlegmonoſorum, ſcirrhoſorũ aliorúmq; noxa, ob eandem teſticulorum intemperiem frigidam, calore ſcilicet vel oppreſſo à multitudine fluxionis, vel extincto à frigiditate eiuſdem & medicamentorũ repellentiũ, vel diſſoluto per medicamẽta digerentia, proinde iſti ſterilitatis ſpeciei quam vulnus, vlcúſque aut tumor aliquis inuexerit medendum erit, vt intemperiei frigidæ.

De compreßione & contuſione teſticulorum.

DVæ ſunt ſolutionis reliquæ differentiæ, aliàs fortuitæ ex inopinato ictu, caſúue & violenta corporũm grauium durorúmq; occurſione vel incurſione: aliàs volũtariæ & artificioſæ in eunuchis olim ita vocatis ἀπὸ τῆς εὐνῆς à lecto & verbo ἔχειν habere, quod thalamis mulierum ſine vlla pudicitiæ earum ſuſpicione præficerentur, Fuerunt autem eorum ſpecies duæ. Alij enim dicti ſunt thlaſiæ ἀπὸ τοῦ θλᾶν quod comprimere eſt, & ſpadones ἀπὸ τοῦ σπᾶν trahere, quod eorum adhuc iuniorum teſtes aqua calida præmolliti tantiſper comprimerentur donec tota earum ſubſtantia diſpulſa nuſquam appareret.

De affectibus paraſtatarum & vaſorum deferentium.

VAſa deferentia & eiaculantia à proprio munere dicta ſunt, quod excoctũ in teſtibus ſemen deferant, in quibus contineatur & aſſeruetur ad coi-

coitus vſque tempus, quo calore multóque ſpiritu turgens in proprium eiaculantium ductum euadat. Hic enim ex duobus vnus fit ad radicem penis: ad cuius medium cum vrethra coit, fitque vnicus ex duobus ſemini vrinæque communis. Sunt autem vaſa illa duo deferentibus continuata,& à teſtibus per eandem peritonei productionem per quam in ſcrotum præparantia deuoluuntur, ſupra idem pectinis os reuoluuntur ad veſicæ latera eiúſque ceruicem, vbi in multiplices eius glandulas inſeruntur ſeménque deponunt quæ paraſtatæ ἀδενοειδεῖς id eſt glanduloſi, vocantur, præter quas aliæ duæ ſunt glandulæ ad penis radicem quarum munus eſt oleoſa & veluti ſaliuali quadam húmiditate vrethram irrigare ne vrinæ acrimonia lædatur. Paraſtatarum glanduloſarum & eiaculantium vaſorum affectus ſunt Gonorrhœa, phlegmone, mictio cruenta & purulenta. Eſt autem Gonorrhœa duplex, vna vera,altera falſa: vtraque duplex quoque eſt. Vna ſeminis cocti, & eſt naturalis actio facultatis expultricis irritatæ à copia vel acrimonia ſeminis & calida earum partium intemperie quæ antea curata eſt ſub nomine nocturnæ pollutionis. Altera eſt ſymptomatica ex debilitate retentricis facultatis earundem partium, ideóque aſſidua inuoluntaria ſine tentigine & voluptate vlla,ſemine aquoſo cruentóque continenter fluente. Symptoma igitur eſt intemperiei tum humidæ & naturalis (ſicuti ſphincteris veſicæ) tum frigidæ, vt à frigidiori aliqua cauſſa externa vt ſeſſione ſuper lapidem, crebra natatione in gelida, vel applicatione frigidiorum medicamentorum, aut ab inanitione immodica,

aut immatura,qualis impuberum eſt, aut recens e-tiam maritatorum aliquando ſymptoma eſt conuulſiui cuiuſdam affectus non proprij quidem cum muſculi non ſint;ſed per ſympathiam totius corporis aut partis conuulſæ. Contractis enim illis ſemē exprimitur è paraſtatis in vrethram vt per epilepſię acceſſionem accidere ſolet. Condoleſcunt etiam partes illę toti corpori paralytico aut parti paralyticæ cum qua ſimul laxantur & emolliuntur. Debilior itaque facultas retentrix vaſorum deferētium & paraſtatarum glanduloſarum aſſiduò quidquid affluit tum ſemen tum alimentum diffluere ſinit. Plurimum autem affluit ſanguinis ob conſuetudinem.

Prognoſticum.

QVare inueterata Gonorrhœa non ſolum fœcunditatem delet: ſed omnes quoque functiones animales, vitales, naturales ſubuertit, hinc mētis inertia, fatuitas, obliuio, ſenſuum ſtupor, motuū torpor, tremórq; & artuū dolor, hinc ignauia, mœror, metus morúmq; peruerſitás, hinc cruditas, vomitus, facies decolor, totus denique habitus, extrema tandem macies & irreparabilis marcor propter aſſiduum ſeminis effluxum coctionúmq; noxā.

Curatio.

ERgo Gonorrhœa, vt ſymptoma eſt retentricis facultatis debilitatę, idq; ob humidam vel etiā frigidam vaſorum deferētium & paraſtatarū intēperiē, duobus curatur ſcopis & inſtrumētis, vnus eſt vt ſanguis craſſior ſicciórq; cumuletur, ex quo ſemē minus tenue & liquidum excitetur per diætā ſicciorem

rem & astringentem, posterior vt partium intemperies deleatur per topica, internáque modicè siccantia, calefacientia & astringentia.

Diæta igitur constet aëre calido siccóque, pane albo, vino rubro, crassóque, iusculis crassioribus ex oriza, semoula, phidiis & leguminibus, fructibus, vt amygdalatis & auellanis tostis, nucleis pineis & pistaciis item tostis ne plus seminis congeratur, sorbis, mespillis, cydoneis.

Topica medicamenta fotus vnguenti & cerati specie è calidis siccísque & astringentibus mixta adhibeatur perineo, pubi, lumbísque & scroto: sed præmissa leui purgatione phlegmagoga.

℞ rad. bistortæ & cyperi an. quart. ß foliorũ saluiæ oleastri, menthæ & myrti an. m. j. seminis viticis & cumini torrefactorum an. ℥ j santal. citr. calam: arom. mastich. balaust. & aluminis an. ℥ ß rosarum p. j. coquantur in æquis partibus aquæ ferratæ aut cisternæ & vini rubri tortiui post finitam coctionem additi, hoc decocto foueantur regiones prædictæ cum filtris mane & vesperi per horam.

℞. olei de castoreo costini & myrtini an. ℥ ij olei muscat. ℥ ß. olei caryophyllorum ʒ ij. mastic. cortic. thur. santal. citr. aluminis vsti an. ʒ ij seminis viticis, cumini & plantag. torrefacti an. ʒ j ß boli arme. terrę sigill. an. ʒ j adde ziuetę ℈ j moschi optimi ℈ ß ceræ alb. parum. fiat vnguentum applicetur iisdem partibus post fotum fricando multum cum pauco vino. Ex iisdem oleis sine cera fiat embrochatio, cum cera linimentum simile, & hoc est efficacissimum.

℞. olibani. ℥ j acaciæ hypocist. sanguinis drac. gallarum vstarum & ladani an. ʒ ij olei mastichini &

de ſpica an. ℥ ij ceræ albæ parum, fiat vnguentum.

Interna præſidia calfaciendi ſiccãdique & aſtringendi ſemenque incraſſandi facultate eadem polleant.

℞. rad. ſymphyti ℥ j conſer. roſarum & acori an. ℥ j conditura cortic. citr. carnis cydonior. nucis iuglandis & myrobal. an. ʒ ij ſeminis viticis, menthæ, naſturtij toſtorum an ʒ j terræ ſigill. & maſtic. an. ʒ ß moſchi optimi ℈ j ambræ griſeæ gr. octo cum ſyrupo de mentha fiat opiata, capiat ſingulis matutinis cum pauco vino tortiuo.

℞. ſantal. citr. maſtic. & roſarum rub. an. ʒ ij cinnam. nucis moſch. ſeminis viticis, menthæ & naſturtij torrefactorũ an. ʒ j zingib. viridis, caryoph. balauſtiorum & corall. rub. an. ʒ ß moſchi ambræ griſeæ gra. vj. ℈ ß ſacchari roſ. ad pondus omnium. fiat puluis capiat ʒ ij horis duabus ante paſtum ſuperbibendo vt ſuprà. idem puluis exceptus ſaccharo aqua roſarum diſſoluto redigatur in tabellas ponderis ʒ ij vel trium quarum vſus ſit idem.

Quod ſi gonorrhœę ortus ſit per ſympathiam ex conuulſione aut paralyſi totius corporis vel partis (vt in acceſſu epileptico contingit) remediis quæ vtrique affectui propria ſint & præterea topicis curetur. Quod ſi ex eiuſdem retentricis infirmitate per effrænem concubitum effuſo toto ſemine hæmorrhagia, ſanguiniſque excretio obrepſerit, tum cohibẽda eſt promptiſſimè per reuulſiones omnes vt frictiones, ligationes brachiorum, applicationes cucurbitularum in hypochondriis, in ilibus & in lumbis, per topica refrigerantia & aſtringentia ad perineum, pubem & lumbos admouenda, tum denique per potiones frigidas & aſtringentes ex quibus

ſuccus

ſuccus plãtag. efficaciſſimus eſt ad ℥ iij vel quatuor, denique corporis moles & facultatum robur inſtaurandum eſt victu analeptico, frequenter antea deſcripto ex carnium euchymarum decoctis vt vocant conſummatis expreſſionibus carnium iuribus concretis vino rubro & dulci. Hanc quoque inſtaurationem plurimum adiuuet hoc electarium.

℞. Ben albi & rubri, zedoar. macis nucis moſch. cinnã. & croci an. ʒ ß ligni aloes, ſeminis baſiliconis an. ʒ j margarit. hyacinth. ſmaragdi, gummi Arab. raſuræ ebor. cepæ crudæ an. ʒ ß nucleorum pini, piſtaciorum, amygd. dulc. auellanar. an ℥ ß moſchi optimi ʒ ß ambræ griz. ℈ ß panis ſacchari q. ſ. fiat puluis, capiat cochlear vnum ante paſtus.

Regio quoque ſtomachi in hac gonorrhœa debilioris, vnguento calido ſiccóque & aſtringenti mane & veſperi munienda eſt, quale eſt ceratũ ſtomachicum Gal. & hoc ſequens.

℞. olei nardini & maſtich. an. ℥ ij muſcatellini ℥ ß ladani maſtic. & benioini an. ʒ ij nucis moſch. macis acaciæ & hypociſt. an. ʒ j ceræ alb. parũ moſchi optimi & ambræ griz. an. grana vj.

De Gonorrhœa virulenta.

EST Gonorrhœæ falſæ ſpecies quædam, qua non ſemen coctum crudúmve ſed corruptũ excrementum nunc albicans & purulentum, aliàs liuidũ, vireſcens, citrinum, idque vel liquidum vel craſſum & ſemper acerrimum per penem redditur. Eſt autem huius gonorrhœæ falſæ ortus in paraſtatis ex earum inflammatione vel vlcere, & quidem vel ſine coitu vel poſt coitum. Illius gonorrhœę cauſſa eſt inflammatio vel à ſemine in illis retento & pu-

trescente quod assiduo sensímque extillans pudendum madefacit, indusium inficit, penē cum dolore erigit & ardorem vrinę infert, aut à defluxione humorum ob equitationem longam, celerémque, aut ab acriorum eduliorum aut medicamentorum vsu, vel denique à sympathia alicuius partis inflammatæ quæ vicina sit vt in hæmorroidibus. Apertæ ruptæque inflammationi vlcus succedit, ex quo maior quidem puris quantitas sed ardor vrinæ minor est & tentigo minus molesta. Post coitum cùm sana muliere & casta aut solus ardor vrinæ exoritur è parastatis & prostatis nimium resiccatis & inanitis, aut etiam inflammatio & gonorrhœa: sed cum leuiori vrinæ ardore minúsque molesta tentigine. At verò ex coitu cum impura spurcáque muliere, gonorrhœa illa virulenta, id est malignissima & acerrima excitatur, vnde penis pariter & indusia commaculantur, vrina cum cruciante dolore redditur quem vulgus apud Gallos vocat peculiariter *chaudepisse*, & tentigine molestissima, cui iungitur etiam contractio penis cum dolore acerbiore ob repletionem vel phlogosim & inanitionem non ligamentorum quidem, sic enim erigeretur potius quā inflecteretur penis, sed meatus vrinarij in inferna penis parte. oritur autem ab intemperie calida, siccáque & contagiosa parastatarum & prostatarum, cui contagio comes accessit ex tetro quodam putrique & lento excrementorum muliebris genitalis per coitus incendium in molles laxásque partes illas per penis ductum rapto, ex qua intemperie contagiosa, tum semen, tum alimentum istarum partium, tum denique quilibet affluens ad illas humor corrumpitur in varias alieni excrementi species
fœtidi

fœtidi albicantis, vireſcentis, flaueſcentis & virulenti vel etiam mucoſi.

Signa diagnoſtica.

DIſtinguitur vtraque ſpecies falſæ gonorrhœæ tum ab origine: nam contagioſa vnico coitu contrahitur, ſimplex non niſi multiplici glandulas inflammante & inaniente: tum ſymptomatis duobus ardore ſcilicet vrinæ & erectionis dolore, in cōtagioſa multo magis quam in ſimplici grauibus tum curatione quod ſimplex per ſe, aut à medicamentis ſaltem topicis promptè exoleſcat, cōtagioſa non niſi prægreſſis vacuationibus per purgationem, phlebotomias & ſudores. Diſtinguitur denique eo quod ſimplex minus, contagioſa longius perdurat. Quæ autem ſine coitu eſt, aliis non eget ſignis.

Signa prognoſtica.

COntrahitur autem facilius virulenta gonorrhœa quibus eſt præputium longius, penis cutis, & tota ſubſtantia mollior, habitus calidus, humidúſque, quique ſerius aut emittunt ſemen aut eo etiam emiſſo diutius ſcortorum amplexibus hærent, qui denique ſcortis ſunt chariores, æſtuant enim illa concubitu expedito vehementius, indéque ſentinam ſuam magis commouet. Gonorrhœa cōtagioſa neglecta in luem veneream tranſit, ſicuti & eadem repreſſa maturius vel iniectionibus frigidis vel exercitatione vehementi pure ſurſum conuerſo phlegmonem excitat. In teſticulis, vel perineo, gonorrhœa virulenta paraſtatas & vrethram exulcerat vnde ſtranguria, dyſuria, & ſubnaſcente tuberculo carnoſo iſchuria.

Curatio gonorrhœæ contagiosæ.

HÆc maturè inchoanda est ne alioqui dilatione in luem venereã mutetur. Scopi eius sunt tres, vnus vt totus sanguis & vrina temperentur (ne in transitu acrimonia suâ phlogosin parastatarum exasperent) secũdus vt humores ex toto corpore ad parastatas decurrentes vacuet & reuellat. Tertius vt parastatarum sordes leniter abstergeantur simúlq; phlogosis & intemperies calida extinguatur. Primus scopus victu frigido, humidóque & leniente expletur vt hordeatis amygdalatis, iusculis carnium recentium, vt vitulinarum, hœdinarum, veruecinarum, gallinacearum elixatarum cum lactuca borragine buglosso spinaciis, summitatibus maluæ violariæ & rad. altheæ, piscibus recentibus elixatis, prunis, pomis, pyrísque coctis & saccharatis, sed salsa omnia acria & aromatibus condita, vt & grauissima animi symptomata, motus vehementes & vigiliæ fugiantur, venus quoque intermittenda est quæ ad parastatas sanguinem; omniáque eius excrementa calefactione deducat, vnde tum phlogosis, tum symptomata eius dysuria & tentigo exasperẽtur, quanquam recentem aliquando profuso omni humore vaporéque infecto cum semine persanare solet.

Secundi scopi instrumentum duplex est, pharmacia & chirurgia, illa quidem præcedat, per clysterem & purgationem lenientem siue minoratiuam. Clyster constet ex decocto emolliente siue communi dicto in quo mellis violati & olei violacei an. ℥ iij looth de cassia vel diacathol. vel diapru. simpl. ℥ j dissoluta sit. hæc verò ex medullæ cassiæ, electarij diaprun. simpl. aut diacathol. ℥ j, vel coacta in

cta in bolum cum saccharo, vel dissoluta cum decocto florum & fructuum cordialium. talis est māna ad ℥ ij vel iij & pulpa tamarind. ad ℥ ij sic enim non solum deriuatio fit excrementorum acrium à viis vrinariis sed viæ quoque assumendis medicamentis aperiuntur, fitque phlebotomiæ tutior vsus sine raptu cacochymiæ primarum viarum in vrinarias distantiores. Postridie purgationis axillaris vena tundenda est dextri cubiti, sanguisque maiori vel minori quantitate demendus pro apparentibus vtriusque plenitudinis indiciis & vrgentibus symptomatis ardore vrinæ & tentigine. Eadem gonorrhœæ incipientis phlogosis temperanda est, partísque affectæ dolor leniendus frigidis quidem humidísque & lenientibus remediis non repellentibus aut astringentibus ne repulsa sursum, testes vel inflammet vel sanguinem, heparque & corpus totum simili labe commaculet. Frigida autem illa intus forísque vsurpentur: sed externa vnguenti specie, renum, lumborúmque & testium præsertim verò pubis & perinei regioni bis, ter, aut sæpius, diu, nóctúque admouenda & cum pauco aceto albo mustum & leuiter affricanda, talia sunt officinarum vnguentum album camphoratum, vnguentum populeum, vnguentum refrigerans Galeni recens paratum, vnguentum rosatum & ceratum santal. similia quoque ex oleo rosato, violato, nenuph. papau. & mandrag. conuenienti addito puluere concinnentur. vt.

℞. vnguenti alb. camph. ℥ iij trochisc. albi rhasis cum opio ℥ ß olei nenuph. q. s. fiat vnguentum. vel

℞. olei rosarum, nenuph. an. ℥ ij succi lact. quart. j. bulliant simul ad succi consumptionem deinde ad-

de mucilag. seminis psyllij extractæ ex aqua nenuph.℥ ij sem. papau. alb.hyoscyami & lactuc. an ℥ ij camphor.ʒ j cum cera alba fiat vnguentum.

Interna remedia sunt tum sumenda per os, tum iniicienda per vrethrã cum cathetere. profuerit enim nõ mediocriter, phlogoseos parastatarum extinctioni, iniectio per mentulam refrigerãns, humectánsque, tergens leuiter & desiccans ab initio sed nullo modo astringens. Ea autem fiat vel ex lacte asinino & caprillo recenti admixta sacchari rosati parte sexta. Fiet quoque commodè ex decocto rad. altheæ & liquir.foliorum maluæ violar.rosarum rub.& hordei mundati.

In assumendis reponuntur iulepi emulsiones & opiatæ sed præterea lactis prædicti potio matutina à ℔ ß ad ℔.j.

Iulepi è simili decocto & syrupis conficiantur.

℞.rad.liquir.rec.polyp. querc. & alth. an.℥ j foliorum capill. vener. summit. viol. & malu.hordei mund.florum violarum & rosarum an. m.j. passul. mundatar.paria xx seminum melonum & cucurbitæ an. ℥ ß seminis papau. alb. hyoscyami albi & lactucæ an.ʒ j fiat decoctio in aqua fontana & in colat.℔ j ß diss.syrupi adiantini, violati & de althea an.℥ ij trochisc.alkekengi ℥ j sacch. ros.℥ iij fiat iulepus capiat ℥ vj vtrisque diluculis continuando ad remissionem vsque ardoris & tentiginis.Emulsionũ efficacissima vis est.

℞.Amygd. dulc. excortic. & in aqua frigida per duodecim horas maceratarum paria duodecim,nucleorum pini pariter lotorum & pistaciorum an. par.viij. seminum quatuor frigidorũ maiorum an. ʒ ij seminum lactucæ,papau. alb.& hyoscyam. alb. an.

an.℥ j contundantur in mortario affundendo sensim ℔ ij decoctionis vulgaris ptisanæ & colentur. Colaturæ addantur sacch. cand.℥ ij vel syr.viol.ca-pill. vener.℥ iiij capiat ℔ ß vt dictum est.

℞.conseruæ florum malu. & viol. an. ℥ j ß seminũ acetosæ & maluæ, vel altheæ, vel gossipij ℥ ß pulueris elect. diatrag. frig. & trochisc. alkekengi an.ʒ ij cum syrupo de althæa vel violato, fiat opiata de qua capiat ʒ iij mane & vesperi superbibendo parum ptisanæ vulgaris.

Terebinthina quia in principio caliditate sua, parastatarum phlogosin accendit & præ tenuitate substantiæ suæ excrementis primæ secundæque regionis easdem opprimit, omittenda est, sed sub initium declinationis mitescente iam ardore & tentigine lota eadem vel aqua pariet. vel ptisana vulgari, dabitur vtiliter ad ʒ iij in bolos ex cochleari cũ pauco syrupo viol.& nebulis transglutiendos. Dabitur etiam dissoluta in mortario cum pauco vitello oui: sed in fine declinationis extincta iã phlogosi omnique ardore & tentigine remissa eadem terebinthina non lota (vt magis abstergeat) vtilius exhibebitur mixto rhabarbari puluere ad ʒ j vel ʒ j ß eaque sæpius repetita, quanquam puluere etiam sumi potest siccata prius, vel in furno super lauri folia, vel super laminam ferri candentem igni ad eundem declinationis finem. Harum quoque pillularum eximia vis est.

℞.Aloes optimæ ℥ j rad. gentian. aristol. rotund. & myrrhæ alabastri & carabe an.ʒ j mithrid. veter. ʒ j ß thereb. ℈ iiij cum syrupo viol. fiat massa ex cuius ʒ j fiant pillulæ vj, capiat quatuor singulis dosibus matutinis.

Quod si gonorrhœa represso ardore &tentigine nihilominus protrahatur diutius vnde morbi Gallici periculum impendeat sparsa à parastatis per vasa deferentia in hepar, totúmque corpus venenata labe,tū præmissa purgatione vehementiori & phlebotomia labis huius seminaria sudoribus dierum 15 aut 20 exhaurienda sunt ex decocto guaiacino vel salsæparillæ. Topica quoque validius tergentia,siccantiáque per penem altius inserenda & per os etiam admittenda.

℞.fol.agrim. absinth.hord.integ.rosarum &centaurij minor.an.p.j.coquantur & in colat. ℔.j. dissol. mellis mercur. ℥ ij vnguenti apostolorum aut Ægyptiaci ℥ j fiat iniectio quinquies aut sexies iterāda singulis diebus, & in pene diutius contineatur corpore resupinato constrictáque manu vrethra.

℞. cineris siliquarum fabacearum ℥ iiij infundantur in ℔ j aquæ pariet. vel decocti eiusdē per duodecim horas, deinde colentur & colaturę addantur syr.viol.vel adiantini ℥ iiij capiat ℥ iij vel iiij horis tribus ante cœnam sudoris tempore,eodem tēpore vnguenta & emplastra mercuriata vt de ranis pubi, & perinęo tuto apponantur contagiosæ qualitatis delendæ caussa.initio autem metuendum esset ne ab illis augeretur phlogosis.

Gonorrhœæ virulentæ grauiora symptomata sunt.Subest vlcus in ceruice vesicæ & in vrethra vnde Ischuria, de quibus deinceps in penis affectibus curandis. Dolor autem acerbior ardórq; inter meiendum qui in ceruice vesicæ & glande penis potissimum sentitur demulcendus est inter meiendum penis demersione in lac recens, tepidúmque, vel in decoctum leniens cuiusmodi mox expositum est.

Sic

Sic tentigo molestior demerso pene in aquam frigidam vel impositis linteolis eadem imbutis reprimenda est ne scissuræ fiant.

Gonorrhœa simplicis curatio.

QVæ ab inflãmatione orta est retenti seminis, ea quidẽ tenui frigidóq; victu & medicamẽtis lenientibus primùm quidem minus sed tandẽ validiùs abstergentibus, siccantibúsque tum iniiciendis, tum admouendis curetur, de quibus omnibus paulò ante. Eadem est eius curatio quæ ab inflammatione & fluxione excitatur præ equitatione, acriúmque nimio vsu, sicuti & quæ ex congressu importuno cum casta muliere genita est. Si vero adsit solus ardor vrinæ ex inanitis & resiccatis prostatis tum alteratio sola, id est refrigeratio & humectatio per topica molienda est.

Penis historia anatomica.

PEnis pars est organica partium testiculi subseruientium vltima, propriúmque in maribus vrinæ & seminis transmittendi instrumentum, vtrumque enim per communem meatum foras exponit non expellit. Pars corporis est pendula, prælonga, fistulosa, è ligamentis duobus meatu vrinario, quatuor musculis, venis & arteriis quãplurimis & maximis neruísque, membrana neruosa, cute, glande, & præputio constituta. Ligamenta autem ex inferiore ossis pubis parte exerta sunt numerosis venarum & arteriarum plexibus, & sanguine crasso, nigróque plena, supernè quidem immota, infernè disiuncta, quantum meatui vrinario deducendo sufficit ad glandem. Nam inter hęc duo ligamenta vrethra,

id eſt meatus vrinæ ſeminíque emittendo cõmunis conſpicuus eſt,ex neruoſa tunica intus fiſtulæ inſtar caua. Nihil enim aliud eſt quam veſicæ ceruix ad extremam vſque glandem exporrecta, qua parte quàm in reliquo ductu ſuo voluptatis cauſſa multo arctior eſt. Muſculi quatuor ſunt ex quibus duo à lateribus oſſis pubis orti per latera penis feruntur eius erectioni & dilatationi adminiculantes. Alij duo à ſuperiore oſſis iſchij parte ſecundum eius lõgitudinem & poſteriorem partem feruntur qui penem erectum continent & amplificant, venæ & arteriæ magnæ, multæque à ſacris vtrinque exprõptæ ſanguinem,ſpiritúmque vitalem affatim &copiosè coitus tempore impertiuntur quo flaccidus penis tendatur & attollatur. Nerui motores muſculorum à ſpinali medulla ſacra ſentifici voluptatis à ſextæ coniugationis ramis ad coſtarum radices deſumẽtibus.Ad ligamentorum fines, peniſque extremum adnata glans eſt è carnea prorſus ſubſtantia glandis ſpecie efficta,cõmunem vrinæ, ſeminique meatum complectens.Totius denique penis ſubſtantia ſtructuráque membrana neruoſa cute & epidermide obuallatur ſine vllo adipe,ne aut mollior,aut grandior euaderet.Glans quoque cute tegitur,præputiũ dicitur quod glandi annectitur inferne vinculo dicto (canis) Glandis ſurculus corona vocatur ſicuti ſpatium peni & ano interiectum (perineum) quod ſupra pubis os eſt(ſumen) Eſt autem colis vſus trãſmiſſio ſeminis & vrinæ. Actio propria eſt erectio diſtenſióque infundendo in vterum ſemini neceſſaria non tamen excernendæ vrinæ quod in alienum corpus non exponatur. Porro diſtenſio hæc non naturalis prorſus, aut animalis ſed mixta quædam

dam actio est. Naturalis quod sit caussæ omnes demonstrant tum instrumentariæ (vt ligamenta duo fistulosa & spongiosa) tum efficiens quæ insita à natura est & vernacula huius partis facultas vt distēdi possit, tum adiuuans calor scilicet, & spiritus per hiantia multarum, magnarúmque arteriarum ora turgente libidinis prutitu affluens. Finalis denique propagatio nempe speciei quæ ad procreationem refertur. Eandem actionem animalem quoque esse nec modo comitem: sed naturalis etiam veluti ducem declarant tum imaginatio præuia, attentáque cogitatio rerum venerearū & coitus cupiditas voluntásque, quæ in vigilantibus magis clara, in dormientibus obscura magis est tantúmque à speciebus commota diurnorū sensuum, vel seminis nocturno calore spiritúque turgentis vaporibus in cerebrum efflatis vt in brutis, tum musculi quatuor à quibus erectus à natura penis continetur porúsq; vreticus dilatatur, tum denique voluptas huius actionis socia neruorum sextæ coniugationis ope suscitata. Ergo erectio penis quæ secundùm naturā est, illa quidem ab affluente spiritu iuuatur, sed in ea quæ præter naturam est prius implentur ligamenta à flatu quam à natura distendantur. Idē cordi, arteriisque pulmonis accidit, vt secundùm naturam priùs distendantur quam impleantur: sed in motu contra naturam prius impleantur. Est igitur penis organum ex compluribus particulis adornatum quarum princeps est ligamentum duplex tensionis & erectionis author, cùius reliquæ particulæ administræ sunt & adiutrices vsúmque tantum conferunt.

De morbis penis.

PEnis morbi à quibus actio eius læditur, id est vel tollitur omnino, vel imminuitur, vel peruertitur, omnium sunt generum, tum similares vt intemperies frigida humidáque, vel sicca: tum organici vt breuitas, prolixitas, exilitas, crassities, obliquitas, curuitas, conuulsio, paralysis, præputij breuitas, astrictio adhæsióque cum glande, phimosis, paraphimosis, glandis inepta, vel nulla perforatio, meatus vrinarij obstructio ab impacto lapillo, aut tuberculo carnoso; tum denique communes vt vlcus internum, externúmque, priapismus, satyriasis.

Mollities penis, tum cùm erigi, distendi, inflarique nullo modo aut perbreui spatio possit, quando ex idiopathia laborat symptoma est, nempe abolita erectio, & coeundi impotentia nata ex intemperie plus satis frigida, vel calida ligamentorum ipsius aut ex eiusdem musculorum paralysi. Ægri dicuntur frigidi differúntque à maleficiatis de quibus postea. Intẽperies autem frigida vt caloris & sanguinis tractricem debilitat; sic calida eandem quidem roborat sed tractum spiritum continuo disperdit, ob partis substantiæ laxitatem pororúmque amplitudinem: frigida quidem intemperies alias secundùm naturam est, vel ex formatricis debilitate à seminis parentum frigiditate vel ratione ætatis in senioribus & iunioribus: sed in illis sicca insuper est, in his humida. Aliàs præter naturam est ex immodico partis otio & veneris abstinentia: siue propter vitæ institutum vt in athleticis, siue propter vota & religiones, vt in monachis,

nachis, siue propter sapientiæ studium vt in philosophis. Aliàs denique contra naturam est, ab externa aliqua vehementíque perfrigeratione siue aëris siue medicamentorum calido affectui vt phlegmone, carbunculo erysipelati oppositorum. Paralysis musculorum penis oritur neruulo illo qui ab osse sacro per foramen ossis pubis ad penem contendit, vel obstructo, à destillatione externa capitis, lumborum regionem irrigante, vel astricto à tumore aliquo per casum ictúmve excitato, vel denique inciso ex vulnere, vel punctura. Eadem mollities aliquando oritur ex sympathia vel totius corporis, obesioris, tenuioris, vel aliorum viscerũ præsertim principum intemperatorum & frigidiorum: illinc enim seminis inopia, hinc eiusdem frigiditas: vel denique vasorum spermaticorum siue obstruãtur siue astringantur sic enim seminis aut generatio aut eiaculatio intercipitur.

Curatio.

Omnium sympathiæ specierum diagnosis & therapia antea enarrata est. Nunc idiopathiæ curatio inchoanda est à frigida intẽperie cuius signa sunt penis rugæ, exilitas, decoloratio & glabrities (si insita à natura sit) pubis & perinæi. Nã in adscititia pilositas nõ deest, quæ autem ab ætate est senili incurabilis habeatur, quæ à puerili non eget curatione. Aliàs curabilis fere est idque cum diæta calida, humidáque & omnino analeptica, quę tamẽ mixtis quibusdam acribus aromatis & flatuosis cibis vt radicibus & leguminibus condita sit quibus seminis substantia multiplicetur & spirituum

impetus irritetur, de quo diætę genere plura antea. Pharmacia externa internáque medicamentis constet calidis, flatuosis, & odoratis vt.

℞. rad. conseruæ satyrion. & eryngij an. ℥ ij conditura cortic. citr. & zinzib. viridis an. ℥ j confect. alkerm. ℥ ß priapi tauri, cerui & lumborum scincorum an. ʒ iij sem. pastinac. erucæ, cæpularum & vrticæ an. ʒ ij moschi optimi ℈ j ambr. griz. ℈ ß cum syrupo de pomis, fiat opiata de qua capiat ʒ ij vel iij vtrisque diluculis superbibendo cochlear vnum vel alterum vini hippocratici. Item,

℞. seminis fraxini, erucæ, menthæ, pastinacæ, vrticæ, & cæpularum an. ʒ ij lumborum scincorum ℥ ß auellan. amygd. dulcium, pistaciorum, granorum pini, medullæ nucis indicæ an. ℥ j testiculorum vulpis & leporis, zinzib. virid. conditi an. ℥ ß contundantur omnia & excipiãtur pauco melle despumato, addendo moschi optimi ʒ j ambr. grizeæ ℈ j fiat opiata vtatur pariter.

Topica calida, humidáque acria quoque & odorata, fotus, vnguenti, linimenti & emplastri specie toti coli, ossique pubis & perinæi regioni apponenda sunt vt ex oleo costino, laurino, de spica, muscatellino, sinapino & caryophyllorum addito pauco moscho, ambra, aut ciueta ex quibus etiam vnguentum fiat vt,

℞. olei costini & de castoreo an. ℥ j olei caryoph. ℥ ß euphorbij, seminis synapi, baccarum iuniperi an. ʒ j moschi gran. vj ceræ parum, fiat vnguentum.

Crebræ quoque & validæ frictiones ex manu vel linteolis calidis penis sopitum calorem exsuscitant vt spiritus & sanguinem validius deinceps ad

ad ſeſe protrahat, quorum tractum frigidior intemperies indéque attractricis facultatis imbecillitas impedire ſolet. Calida quos validius attraxit ſpiritus promptiſſimè diſcutit ob vaſorum latitudinem propriæque colis ſubſtantiæ laxitatem, quæ tamen quod rarior ſit peculiarem curationem vix exigit niſi ex Topicis refrigerantibus modicéque aſtringẽtibus, & electariis frigidioribus intro aſſumptis.

Mollities à paralyſi & obſtructione muſculorum penis curãda eſt diæta calida ſiccáque, & pharmacia alterante & vacuante. Vacuatio autem ex pilulis phlegmagogis aut electariis ſimilibus tentanda eſt poſt ſedulam pituitoſi humoris coctionem & alterationem per detergentia, attenuantia, tum apozemata, tum ſyrupos & electaria vt theriacam & mithridatium.

Phlebotomiæ autem in hac obſtructionis ſpecie rarior ſit vſus, niſi alterutrius plethoræ manifeſta adſint indicia. Deriuationis multo crebrior opportunitas eſt per errhina, apophlegmatiſmos & ſudores ex decocto Guaiacino aut ſimili prouocandos. Topica calida, ſiccáque ſint & reſoluentia humorẽ neruorum propagini infixum, ideóq; perinæo, pubi, & oſſi ſacro è quo neruorum ſpiritum animalẽ in muſculos colis deferentium exortus eſt inducenda, qualia ſunt vnguenta & olea modo præſcripta pro cole frigido, multáq; alia iſtis vehementiora vt embrochationes & ſtillicidia aquarum ſulphurearum ex balneis naturalibus, dropaces compoſiti, ſinapiſmi & phœnigmi de quibus antea. At tumor ex contuſione in eadem oſſis ſacri regione delẽdus eſt ab initio quidem poſt reuulſionem per phlebotomiam & purgationem topicis attenuantibus &

discutientibus tanto validioribus quanto partis substantia densior est & neruosior. quod si fluxionis metus absit multóque ante tempore excitatus tumor fuerit, solis prædictis topicis locus futurus est nulla proposita reuulsione, nisi fortasse per purgationem quæ suspectam fluxionem à calore topicorum excitandã anteuertat, mixtis tamen etiam malacticis quibusdam ne exsiccata nimis resoluentium vsu materia in duritiem scirrhosam abeat vt.

℞. olei de castoreo de costo an.℥ j olei amygd. dulc. vel lilior.℥ ij adipis suilli rec. axungiæ gallinæ vel cuniculi an.℥ ß sem. sinapi, nasturtij, sulphur. & stercoris columbini an. ʒ ij ceræ citrinæ parum, fiat vnguentum, applicetur parti post fotum qui constet ex decocto similis materiæ emollientis, attenuantis, resoluentis. Incisionis eorundem neruorum vel musculorum ab inflicto vulnere nulla curatio expectanda est.

De magnitudine penis.

MAgnitudo & crassities & longitudo enormis & immoderata penis virilis fœcunditatem duobus nominibus interpellat, Primùm quidem eo quod muliebre pudendum vt & vteri ceruix immaniter dilacerantur, vnde cicatrix relinquitur, quæ maris semen ante effluere foras sinat quam id ipsum vterus prolectarit (sic fœminam vnam vrinæ incontinentia, alteram perpetua diarrhœa laborantem videre mihi contigit, diuulso ab eiusmodi violento concubitu, vesicæ aluique sphinctere) Deinde quia interno vteri osculo grauiter

militer impulso per coitum contusóque, ita præ dolore mulieris voluptas interturbatur, vt neq; proprium semen emittat, neque virile admittat, excipiátque. Nam in tantula viæ prolixitate quãta vrethræ esse potest, maris semen vix adeo refrigescat, quod tamen Aristoteli persuasum est, locis præsertim muliebribus calidioribus vt infœcundum fiat.

Ista autem penis magnitudo insita & naturalis curationem quidem habet valde difficilem, tentanda tamen hæc est, in iuuenculæ præsertim virginis marito, vel adultæ etiam pudendo angustiori vteróque depressiori.

Curatio.

CVrationis scopi duo sunt, vnus vt alimentum ab ipso pene reuellatur: alter vt ab eodem repellatur, extrudatúrque. Prioris scopi instrumenta tria sunt. Vnum est diæta vt sit victus attenuans frigidus & siccus, totum corpus exerceatur vno pene excepto qui veneris vsum intermittat, neq; pẽdulus sed suspensus; neque multis calidísq; vestibus sed paucis & tenuibus vestitus, tectúsque sit. Alterum chirurgia est, vt sunt frictiones sublimarũ partium & deligationes externarum, cucurbitulæ hypochondriis & lumbis applicentur, crebræ quoq; sed leues phlebotomiæ & hæmorroidũ profluuiũ. Tertiũ deniq; instrumentũ pharmacia est vt purgatio frequens & sudor per laconica aut decocta Guaiacina. Posterioris scopi vnicum est instrumentum pharmacia: vt sunt topica ex frigidis siccísque astringentibus & repellentibus medicamentis constituta, sine frigore manifesto à

quibus non solum alimentũ obuio frigore affluens extrudatur densata partis substantia porísq; astrictis:sed tractrix eiusdem facultas obtundatur. Eiusmodi sunt alumẽ vstum,tuthia præparata,abrotan.& cuminum,rutæ etiam semen,eáque omnia vsta. Illius generis sunt solanum, plantago, cauda equina,hyoscyamus,cicuta,balaustia, psyllia, nuces, cupressi, calyces glandium, gallæ virides, semina plantaginis, acacia, hypocist. scoria ferri, squammáque, sanguis draconis,bolus armena,opium,olea cydoniorum,nenuphar.myrtin.lentiscinum,rosat.omphacinum. Tota hæc materia fotus,cataplasmatis,litus, vnguẽti & emplastri specie vsurpetur, in lumborum,pubis, inguinum, perinæi & penis ipsius regione.Fotus ergo fiat tum ex decocto prædictorum foliorum & fructuum in oxycrato vel aqua ferrata, tum ex succis eorundem viridium expressis, admotísque per linteola sæpius interdiu & tepidè.Sic ex iisdem succis tum cum farina hordei mixtis cataplasma fiat sicuti ex eadem materia cocta tusa cretáque additis iisdem farinis.

Litus siue embrochatio prædictis oleis constet quibus addito triente pulueris scoriæ ferri, sang. drac.seminis plantag.& portul.vsti & similium auctáque ceræ albæ dosi vnguentum euadat: sed emplastri ex eadem materia singularis vsus est, quod parti diutius adhærere sine remotione possit.

De colis paruitate.

COlis paruitas id est breuitas & exilitas, ex inualida facultate,tum formatrice,tum alimenti spiritúsque attractrice,præ frigida intemperie oritur,siue hæc insita sit ab ipsis generationis principiis

cipiis frigidioribus, siue adscititia aut ob interdictam, aut spretam venerem, aut ob epigastrij saginam, genitalium mutuos coitus prohibentem, siue ab aliquo morbo contracta vt à vehemente refrigeratione externa, vel excisione cancrosæ particulæ vt glandis, vel à cane arctiori de quo postea. Paruitas colis olim probrosa fuit maribus & indecora cũ nudis corporibus publica certamina ab illis obirẽtur quorum consuetudo cum penitus nostris temporibus exoleuerit nõ deformitas quidem vlla sed sterilitas sola inde metuenda est. Neque enim idonea titillatione venerem accendere satis potest vt simul cum viro semen suũ mulier effundat, nisi fortasse seminis virilis auidior vterus ad pudẽdum vsque obuiã prouoluatur. Curationis scopi sunt tres primus vt auctionis penis impedimenta tollantur, secundus vt propria penis substãtia & ligamentum laxetur, tertius vt ad eandem spiritus & sanguinis affluentia inuitetur indéque distendatur nisi iactura partis excisióque incurabilis interuenerit aut ἐ-ραχὸς breuior. Primum igitur in canis astrictione detegenda glans est, per transuersam illius excisionem. Est autem canis vel caninum vinculum vel frænum *filetum* vulgus vocat colis particula præputium ad glandis inferam regionem iuxta vrethrã annectens. Quod si breuior sit penis paulo longiorem extensionem sine dolore non concedit vnde incrementum eius perhibetur contra quam mulierosis viris accidit quibus ob congressus frequentiam penis grandior, & crassior esse consueuit.

Ganglia tumores sunt exigui granorum milij instar alias nodi, duri, concolores indolentes ex crassa lentáque pituita concrescente iuxta neruos & arti-

culos concidentes à quibus ligamentorum penis productio impediri solet. Emolliendà igitur & resoluenda illa sunt crebra vnctione & fricatione ex oleis liliorum amygd. dulc. catellorum, lini, vulpis, costini, laurini, quibus si axungiæ porci, gallinæ, medullæ vituli, veruecis, butyri, mucilaginis seminis lini, maluæ altheæ cum pauco puluere florum chamæmeli seminis fœnugr. iridis floren. & baccarum iuniperi cum cera citrina aliquid adiiciatur, vnguentum euadet efficacissimum præsertim mixto moschi momento. Atque sic primus, secundúsq; scopus expediuntur. Tertius qui in sanguinis caloris & spiritus deductione ad penem versatur, remediis comparatur calidioribus tam internis quàm externis. Atque his quidem vt crebro coitu fricationibus duris sæpiusque vt decies per diem repetitis ídque cum linteolis tepidis, aut manu sola: sed lacte præsertim ouillo, aut aliquo pingui vt oleo imbuta. Ab his enim tum substantia ligamentorum laxatur, vt produci & dilatari possit, tum meatus offarciuntur ne quidquam deducti spiritus disperdatur ac exhalet. Eiusmodi sunt oleum de castoreo, costinum, nardinum, de spica, laurinũ, lumbricorum. Similia sunt succus acrior ex smilacis foliis, lac ficulneum & tithimalinum, si toti pudendo, vel soli glandi inungantur, ita tamen vt mox ab inunctione ardor, dolórque ex acrimonia inustus fotu lactis vel decocti lenientis, aut ex olei violati nenuphar. & rosl. litu temperetur. Similem facultatem augendi penis sed tantum occultam quidam ascribunt vermibus terrenis vino lotis exsiccatis & in puluerem redactis mixtísque oleo dulci aut amygdalino. Idem dicunt de hirudine, postquam per dies

dies septem nucis indicæ succo macerata sit, si contusa peni allinatur. Cõposita eiusdem facultatis rectè vsurpentur dropax, sinapismus, de quibus antea, vnguentum denique ex thapsia. Interna autem remedia petenda sunt ex formulis antea descriptis aduersus frigidos testiculos & seminis penuriam. Victus denique deligendus est totus quidem analepticus, calidus, humidúsque, sed flatuosis cibis & acribus vt puta aromatis mixtus vt à multo acri & vaporoso semine expultrix facultas vehementius lacessatur, penísque violentius distendatur. Quæ autem breuitas à mole nimia ventris orta est præscriptis aduersus obesitatem præsidiis restituetur. Sed quam excisio causauit nulla ars emendet aut amoliatur, sicuti neque illam quam breuior οὐραχὸς attulit, arctius enim reuulsa ad vmbilicum vesica vrethram colémque contrahit.

De curuitate & obliquitate penis.

PEnis curuitas & obliquitas hoc nomine fœcũditati obsunt quod rectam seminis virilis eiaculationem in vteri interiorem sinum præpediant aut in ceruicis latera conuertant, vnde euanidum paulo post effluat. Curuatura autem penis eiúsque meatus fit vitio vinculi canini quod ad penis finem glandísque initium desinit, quoties breuius & contractius vt fit à natura contigit: de quo vitio loquitur Gal. cap. 3. lib. 15. de vsu partium, ægrósque vocat ὑποσπαδίαις, & libello de definitionibus medicis. Sic idem ad latera torquetur & inflectitur paralysi & conuulsione alterius musculorum ex pectinis osse

prodeũtiũ,penémq; ipſum arrigentiũ. Curatur curuitas continui vinculi productione per emollitionẽ & relaxationẽ,vel tranſuerſam ſectionẽ. Emollientia,laxantiáque medicamenta calido,humidóque temperamento temperata ſint,vt butyrum,œſipus,oleum chamæm. irinum,amygd.dulcium,catellorum,lini, adipis ſuilli, vitulini, hædini, veruecini,anſerini,gallinacei,medullæ ceruinæ,veruecinæ,caprinæ. Hæc omnia fotus litúſque & vnguenti ſpecie,peni eiúſque infernæ parti frequenter obducantur.Fotus quidem fiet ex radicibus altheæ,liliorum alborũ, ebuli, cucumeris agreſt. foliis quatuor remollient. ſummitatib.ebuli,ſambuci,anethi viridis,ſeminis lini maluæ fœnugr.in hydræleo decoctis. Hoc decocto imbuta ſpongia vel aliquo prædictorum oleorum, applicetur quotidie & quidem ſæpius. Ex iiſdem oleis ſimplicibus litus & embrochationes fiant,vt & vnguenta additis nimirum adipibus, medullis,mucilaginibus & cera noua.Tale eſt iſtud.

℞. olei amygd.dulc.& ſemin.lini an.q̃r̃ ß mucilag.ſeminis lini & maluæ extractæ ex decocto ficuũ ℥ ij butyri recentis, axungiæ ſuillæ & medullæ crurum vituli an.℥ j ceræ nouæ parum,fiat vnguentũ. Vſu ergo iſtorum emollientium penis,caniſq; ſubiectis puluillis extenſus & directus ſeruetur. Quod ſi per emollitionem & relaxationem directio obtineri nequit, tunc fieri debet canini ligamenti ad glandis radicem tranſuerſa exciſio,inuiolatâ interim intactáque manente vrethra, vt ita carne inter ipſas ſectionis oras ſubnaſcente penis protrahatur dirigatúrq;. Obliquitas autem remediis aduerſus paralyſim & conuulſionem antea præſcriptis diri-

dirigenda eſt.

De præputij morbis.

NVmerantur etiam in Organicis penis morbis breuitas præputij, adhæſio cum glande, rhagades, phimoſis & paraphimoſis.

De breuitate præputij.

BReuitas quidem eſt nimia, cùm glandem tegere præputium nequit ſiue ea inſita ſit: ſiue adſcititia ex artificioſa eius præciſione ſuſcepta vel ob religionem popularem Iudæorum & Mahumetanorum quam Albuchraſis Arabs mundificationem vocat, eiúſque rationem tradit(hæc Græcis ſicuti & noſtris Chriſtianis inſueta eſt) vel ob curationem Gangrenæ & Sphaceli: dum tota præputij nigricantis & emortui pars orbiculatim præciditur ſanguine interim ſi immoderatius è vulnere fluat vſtione repreſſo, aliàs ſubinde cicatrice inducta per epulotica topica vt à puluere ſquamæ æris, vel plumbi, vel tuthiæ, vel malicorij in vnguenti ſpeciem melle excepto. Neutra autem breuitatis ſpecies actioni penis quæ extenſio eſt & ſeminis eiaculatio aut fœcunditati incommodat (tametſi venereæ voluptati mulierum ob pudendi minutam titillationem nonnihil detrahat) quin potius à ſordium putrium, acrium aut contagioſarum etiam inflammatione & exulceratione, denique ab ipſa lue venerea tutatur ideóque curatione non indiget, neque enim ob palæſtram & publica certamina nudis coporibus obiri olim ſolita quæ his temporibus prorſus exoleuerunt deformitas

exectæ & detectæ glandis nostris hominibus metuenda est. Legi tamen illa curatio potest apud Paul.cap.53.lib.6.

De adhæsione.

PRæputij cum glande adhæsio præpedire coitum præsertim cum virgine, & fœcunditatem interturbare solet. Hæc autem accidere solet carne quadam spongiosa, ob neglecta aut malè curata neque satis accuratè resiccata istarum partium vlcuscula, subcrescente & vtraque inter se committente. Eiusmodi coalitus & adhæsio frequens est in digitis, labiis & pudendo muliebri. Curatio igitur adhibenda est, per nexus solutionem & subnatæ carnis excisionem cum scalpello chirurgico, ea tamen cautione vt neutra pars ferro violetur, si fieri possit, sin minus glandi potius quam præputio vis inferatur: ne ob tenuitatem suam prorsus ipsum pertundatur. post dissolutionem autem carnísque excisionem mox litneolum aqua frigida madidum præputio & glandi interponendum est: ac deinceps postquam calor dolórque restinctus fuerit ex vino tortiuo & astringenti sæpius vsurpãdum. Vnguentũ etiam epuloticum vt quod rubeum & ex minio inscribitur crebro inserẽdum est dum cicatrix ducta sit, ne rursus partes diuulsæ coeant & coalescant.

De rhagadibus.

RHagades extremas preputij oras molestia graui a-

ui aliquando discindunt. Hæc autem vlcera sunt oblonga, angustáque extremis multarum partium poris fibrosis infensa, ídque alias ex diuulsione violenta vt ani præ transitu fæcum duriorum, & præputij præ violenta eius reductione à glande siue ob proprium siue ob glandis tumorem. Alias à vehementi exsiccatione & refrigeratione vt hyberno tempore per Aquilonarem flatum, in manibus & labris, vel etiam à calore nascũtur. Nonnunquam non à simplici intemperie sed ab humore acri aut salso vt in pudendo muliebri & papillis mãmillarum in nutricibus, excitantur.

Recentes rhagades cruentantur, inflammantur & dolent grauiter, antiquæ obcallescũt iísque symptomatis carent. Recentes ergo curentur lenientibus frigidis humidísque & astringentibus mixtis quale est sequens vnguentum.

℞. olei rof. & de papau. an. ℥ j vnguenti alb. camphorati ℥ ß terræ sigill. & sang. drac. an. ʒ ij albumen oui vnius ceræ alb. parum, fiat vnguentum.

Plumbea lamina tenuissima in medio dissecta & noctu super labra gestata certissimum est rhagadum in labris remedium. Antiquæ rhagades primùm emolliẽdę sunt mixtá pauca agglutinantium portione sicuti hac formula.

℞. olei de semine lini ℥ j ouum vnum litharg. ʒ ij fiat vnguent. vel ℞. olei de semine lini & de amygdal. dulc. an. ℥ j mucaginis seminis altheæ & butyri rec. an. ℥ j ß nucum cupressi & gallarum an. ʒ ij ceræ nouæ parum, fiat vnguentum.

Quod si durior callus emolliri non possit, rhaga-

dum labra superficie tenus scalpello primum sunt exterenda, deinde coniungenda vnguentis prædictis lenientibus & astringentibus. Atque hæc esto curatio rhagadum quæ à diuulsione violenta aut à siccitate eximia fiunt. Quod si adsit acris humor vt biliosus in aliis partibus & pituitosus, salsúsque sub balano præmissa detersione cum linteolis, vnguentis lenientibus & astringentibus prædictis tergentia vt aloe myrrha & erui farina sunt admiscenda. Quod si adsit suspicio venereæ luis, lithargyri extincti momentum iisdem vnguentis permiscendum est.

De phimosi & paraphimosi.

VTerque affectus est organicus in situ præputij mutato, nam per phimosim detegi nudaríque balanus, sicuti per paraphimosim obtegi, vestiríque à præputio non potest. Est autem phimosis dicta ἀπὸ τοῦ φίμου gallis *cheuestre*, vnde φιμόω & φίμωσις. Hæc quandóque insita est, sæpius adscititia, ex cicatrice interna præputij, vel hypersarcomate, vel ex inflammatione, comitantibus sæpius vlceribus. omnis quidem phimosis non coitum tantum sed seminis etiam vrinæque liberam excretionem cohibet atque adeo molestissimã ischuriam accersere solet. Quæ ex callo & cicatrice est à curatis vlceribus relicta, hoc pacto à vulgo chirurgorum curatur; nempe si præputium per vncos eiusdem oris impactos validius extendatur & dilatetur, eiúsque interior cutis (intacta & incolumi quæ externa est) scalpelli subtus admissi acie tribus vel quatuor pari spatio distantibus inter se vulnusculis diffindatur. Si tamen præputij foramen tam

an-

angustum sit: vt vix excipiat specillum, tum immissa fistula plumbea in vrethram: vt per eam assuescat meiere æger, aliquo pingui vt oleo, vel axungia gallinæ emollitur & dilatatur callus & præputium quod fit per octo dies. Sic hypersarcoma quod male curatis neque satis siccatis vlceribus præsertim venereis præputij, glandísque expullulare solet, præputium pariter extensum, adacto scalpello densísque & crebris incisionibus elidendum & extirpandum est, ita tamen vt deinceps circulo plumbeo interiecto quod charta obuolutum sit glans & præputium à mutuo coalitu contactúque prohibeantur. Phlegmone denique huius quoque partis qualis impuræ scortationi cum vlceribus succedere solet & quidem cũ dolore, aliarum instar profliganda est, tum diæta tenui, frigida, siccáque, tum reuulsione per phlebotomiam & purgationem, tum repercussione ab initio móxque resolutione adhibita per topica remedia, immissa interim in vrethram fistula plumbea vtrinque pertusa per quam æger toto curationis tempore meiere assuescat. Atque hæc quidem foris admouenda. Sed propria vlcerum, exsiccantia validè & tergentia modice inter præputium & glandem ac sedem vlceris sunt inserenda. vt ℞. ligni indici qrt̃. j. foliorum agrim. scab. beton. plantag. pilosellæ an. m. j. rad. tormentillæ ℥ j tuthiæ præpar. squamæ ęris, aloes hepaticæ boli armeni an. ʒ j ß bulliant simul liquórque siphunculo vel cathetere sępe vt decies in die infundatur & deinde vnguentum rosatum pauco puluere prę-cipitato aspersum in linamentis indatur. foris autem pars linteolo eadem decoctione madido mu-

niatur. Quæ autem insita est phimosis curatur præputij incisione vel simplici, vel si angustius sit duplici ab oris eius exterius ad glandis coronam figura triangulari perducta iuxta caninum vinculum vt referat equum anhelosum naribus dilutis.

Paraphimosis adscititia oritur ex tumore glandis phlegmonoso aut hypersarcomate alterutrius glande præputiũ non admittente. Itaq; curetur aut excisione carnis ante exposita, vel si sola adsit phlogosis, qualis violento aut impuro concubitu succedere solet, refrigeratione partis vt per lotionem & vnctionẽ ex vnguento albo cãphorato, quod si vera & humida phlegmone fuerit, aliarũ phlegmonarũ instar curetur reuellentibus & discutientibus remediis, túmque præputio obducatur nisi vlcera adsint prius obsignanda: ne aut glandi sauciatæ adhærescat præputium, aut sanies vlceratura inter vtramque particulam desideat. Paraphimosis insita si glandis coronæ adhæserit, ea primum adhæsio scalpello subtus admisso excidẽda est, deinde præputiũ super glandem mox reductum fasciola linea molliter astringente cõtinendum ne remeet interposito etiam linteolo ne partes rursus coeant. Quod si præputium liberum sit scarificationibus pluribus multóque tepentis olei illitu laxatum foras super glandem protrahendum est.

De inflammationibus præputij glandísque.

PRæputij glandísq; vlceribus frequẽter superueniunt præ dolore phlegmone, gãgræna, sphacelus, ex quibus neglectis vel temere curatis mors incuitabilis. Phlegmonarum igitur vtriusq; partis curatio cõstet tum victu tenui, frigido siccóque, & sum-

ſumma corporis animíque quiete, tum matura reuulſione per clyſteres molles, purgationes lenientes & per phlebotomiam copioſam in cubito dextro quæ tamen viribus reſpondeat, deinde repercuſſione & reſolutione per topica pro temporibus varianda. Quod ſi in Gangrænam vergere ex liuore partis & indolentia videatur, ea quidem crebris ſcarificationibus curetur quæ fluxionis impactíque ſanguinis copia, ex qua natiui caloris ſuffocatio imminet, partem exoneret: móxque ſcarificata pars aqua ſalſa aut oxycrato aut vtroque mixto ter aut quater in die abluenda eſt. Si tamen victis remediis alterutram partem ſphacelus inuaſiſſe ex nigritie & integra indolentia deprehẽdatur extincto prorſus calore, tum pars emortua tota & nigricans ſcalpro reſecanda eſt, móxque ſectioni ferramentum candens ſuperinducẽdum (hæmorrhagiæ comprimendæ cauſſa) ita tamen vt eſcharæ caſus, ante nouæ carnis regenerationem non acceleretur. Eodem tempore fiſtula plumbea ad mictionis neceſſitatem & conſuetudinem vtrinque pertuſa in vrethram inferenda eſt. Eſt etiam ſphaceli alia non infrequẽs origo ſine phlegmone aut gangræna præuia ex ſola vlcerum malignitate aut penetrabili frigore quo celeriter ad ſcrotum & veſicam peruadente mors propinqua eſt niſi integra corruptæ partis amputatione promptáque ſuccurratur & vſtione ſuccedente tum ad eſcharæ mollitionem ne hæmorrhagia fiat, tum ad corruptæ ſubſtantiæ abſumptionem.

De priapiſmo.

PRiapiſmus nõ naturalis eſt & morboſa penis erectio, vel auctio penis inuita & ſine veneris deſi

derio in longitudinem orbémque, stabilis & permanens. Quæ secũdum naturam est erectio partim naturalis, partim voluntaria est, sequitúrque veneris cogitationem & cupiditatem vel manifestam vt in vigilantibus, vel obscuram vt in dormientibus, citóque desinit ob tenuitatem resolubilem spiritus inflantis. At in Priapismo neque naturę neque voluntatis ius vllum est, eiúsque duratio longior est & permanens ob difficilem crassioris flatus dissolutionem, inflatur ergo quia impletur: sic cor naturaliter impletur sanguine & aere quia dilatatur. At non naturaliter dilatatur quia flatibus crassis impletur per palpitationes. Nomen ortum est vel à parte affecta (pudendo virili) vel à gentilitio hortorum numine tam enormi mentula à poetis & pictoribus effícto descriptóque. Alij satyriasmum vocant à simili: sed libidinosa Satyrorum tentigine.

Hoc Symptoma est tumoris nerui cauernosi qui propriam penis substantiam constituit ab halituoso quodam spiritu repleti. Porro halituosus spiritus gignitur in animalis corpore ex alimentis & humoribus lenté excalefactis & diminutè concoctis ídque vel ob caloris partium debilitatem, vel ob humoris crassi viscidíque cruditatem quem calor vegetior in vapores crassos resoluit. colligitur autem vel in manifestis cauitatibus partium vt cerebri, pulmonis, ventriculi, renibus, vesicæ, vteri, scroti, vel occultis vt inter partes similares: sed quia perpetuò mouetur vbicumque sit in cauitatibus maioribus varias sonorum species edit vt in vẽtriculo ructum, in intestinis strepitus & murmur in podice crepitus sonoros & sine sono, in cerebro sternutationes, in vesica & vtero efflationes, in ocul-

cultis palpitationes tantum vt corde, pene, aliísque partibus. Est autem huius tumoris & symptomatis origo duplex, vna per idiopathiam nerui fistulosi à flatuoso crassóque spiritu impleti, ibidémque collecto & densato à calore valido vel inualido ex frigido crassóque & viscido succo neque transpirante, tum ob crassitiem propriam, tum ob densitatem substantiæ ligamẽtosæ nerui cauernosi. Huius idiopathiæ signum est palpitatio præcedens nulláque veneris libido. Altera origo est per sympathiam arteriarum penis magnarum multarúmque, quarum ora frequenti & matura venere laxiora sunt & dilatantur spirituum vel multitudine vel ex retento præter consuetudinem semine, vt in iuuenibus & sanguineis, vel ab acrimonia eiusdem seminis & sanguinis post diutinum alimẽtorum acrium vsum, vel denique à multitudine flatuum spiritibus mixtorum, vt dum soluitur diuturna ligatura, tum enim qui cohibiti fuerunt aut præ astrictione excitati flatus ad inferas & genitales partes præcipites erumpunt.

Hæc quidem sympathica origo priapismi Galeno frequentior videtur qui tres hoc modo laborãtes curauit, vnum autem tantum ab idiopathia. Hic ergo Gal. vnicam priapismi speciem sed duplici origine constituit, atque adeo vnicã curationẽ ascripsit vt videbis cap. vlt. lib. 6. de locis. cap. 9. lib. 9. secũdum locos cap. 7. lib. 14. meth. cap. 3. lib. 3. de symptomatum caussis, denique cap. 15. libelli de tumoribus præter naturam. At Paulus Ægin. & Aurelianus duas species assignarũt vnáq; diuturniorẽ statuunt, eã scilicet, quę fit per idiopathiã, alteram acutissimã quę fit per sympathiã sed comitãte phlegmone,

conuulſione,ſyncope, morte denique cum tumore ventris.

De ſignis diagnoſticis.

SIgna priapiſmi cuiuſuis communia ſunt tumor rigidus & rubicundus,erectio inuita & perſeuerans,cum dolore cruciante. Idiopathiæ ſignum eſt palpitatio, debilis verò in parte caloris ſignum eſt præcedens veneris faſtidium ſicuti caloris fortis libido.Sympathiam à ſemine retento indicant abſtinentia inſueta veneris, iuuenilis ætas natura calida humidáque, habitus euſarchus, vita hilaris & otioſa. Eius verò quæ eſt ab acrimonia ſpirituum notæ ſunt victus acris à multo flatu mixto ſpiritibus,longa ſtrictáque lumborum cinctura qua ſublata excitato calore, preſſúque flatus deorſum in partes genitales per vaſa ſeminaria irruunt.

Signa prognoſtica.

PRiapiſmus qui fit per συμπάθειαν frequētior eſt, quàm idiopathicus.Hic quoque diuturnior,ille acutior eſt,& aliquando lethalis quando ipſum comitatur dolor, inflãmatio aut ſyncope. Idiopathicus quoque rariſſimus eſt in ſenibus quidem ob frigiditatem partis nullos flatus excitantem & ſubſtantiæ eiuſdem partis denſitatem ob quam dilatari non poteſt. In pueris verò tum ob debilem calorem tum etiam ob mollitiem ſubſtantiæ partis. In iuuenibus frequens ob fortē calorem penis & crebras cruditates.

Curatio.

CVratiui ſcopi ſunt tres, vnus vt prohibeatur per idoneam diætam flatuum generatio. Alter

ter vt caussa antecedens flatuum materialis vacuetur. Tertius vt flatus ipsi digerantur. diæta igitur tenuis decernatur (quia affectus est acutus) in idiopathia ab humore crasso attenuans, tergénsque & moderatè calida ab initio nisi vehemens adsit in pene calor & sentiatur, tunc enim refrigerans præstet ne aucto calore aut phlegmone fiat, aut plures crassioréſque flatus suscitentur dolórque exasperetur, sed in debili calore penis non modo attenuans, tergénsque sed calida etiam ab initio sicuti in declinatione præscribi debet. Quare alatur æger pane frumentaceo vel hordeaceo, carnibus assatis iuniorum auicularum & fructibus siccis vt passulis, pomis, pyrísque tostis & anisatis. Pro potione detur aqua simplex vel mulsa, aut saccharata remoto vino ad declinationem vsque. At in sympathia, siue à semine retento, siue à seminis copia, siue ab eiusdem acrimoniâ aut à mixtis flatibus proueniat, tenuior magísque refrigerans diæta instituatur, tum ne spiritus multiplicati, attenuati, aut acres, arterias magis aperiant, aut phlegmonem accelerent.

Secundus scopus in vacuationibus versatur caussarum antecedentium à quibus flatus gignuntur, aut phlegmone excitari potest præ acerbitate doloris tetanici. Illę sũt phlebotomia, purgatio, clyster, scapularum & bracchiorum frictiones & deligationes ad reuulsionem suspectæ fluxionis. ergo in idiopathia phlebotomia sit parcior (est enim humor crudior) & in cubito dextro vt pote hepati & venæ cauæ viciniori (reuulsionis promptioris caussa) sed tamen eadem ex poplite & malleolo vtroque poterit celebrari deriuationis caussa in augmento genitæ plegmones. Clyster phlebotomiæ & purga-

tioni præmittatur leniens quidem & modicè refrigerans ad viciniorum genitalium calorem temperandum vt ex decocto betæ quatuor remollient. ū lactucæ, hordei & florum communium in quo mel violat. oleum viol. cassia aut diaprun. simplex dissolutum fuerit, purgatio sit phlegmagoga leuior, remotis colochynticis & diagridiatis omnibus vt ex decocto vel infuso seminis carthami, sennæ, agarici, eaque vomitoria potius quam deiectoria: ne humoribus deorsum motis irrigatæ partes genitales magis inflammentur: purgationi iulepi recte subiungantur attenuantes, tergentésque sine caliditate quales ex syr. acetos. simpl. oxysaccharo simpl. oxymel. simpl. & melle ros. colato cum aqua agrim. endiu. graminis concinnari poterunt. In sympathia à semine copioso vel acri phlebotomia sit vberior in iuuenibus præsertim sanguineis & otiosis: purgatio sit cholagoga ex infuso rhei & agarici epithymi & syr. de cichor. compos. vel ros. pallid. Sit etiam vomitoria siquidem æger vomitioni assuetus sit. A purgatione denique iulepi vsurpentur magis refrigerantes vt ex syr. de agrest. de limonibus, de acetositate citri, de granatis acidis aqu. acetosæ, lactucę nenuph. Tertius scopus topicis expeditur initio quidē frigidis etiam in idiopathico affectu mitigandi doloris & caloris caussa si forte acriter vrgeat ne oriatur phlegmone, aliàs modicè digerentibus. Illius generis sunt vnguent. ros. aqua frigida sæpius lotum, ceratum rosatum ex oleo & cera, huius generis leniter scilicet digerentium ceratum est ex oleo chamæmelino cū cera. Sed in declinatione vbi dolor, calórque resederunt, vehementiora sunt adhibenda vt oleum rutaceum & aliud cui discutientia

tientia semina, vt cumini, ameos, petrosel. rutæ & cardamomi incocta fuerint. At in sympathia siue à copia, siue ab acrimonia seminis: tum ob vehementiorem penis calorem, maioremque astringendarum arteriarum, arcendæque phlegmones necessitatem multo frigidiora topica pubi, peni, perinæo, & lumbis sunt applicanda. Tales sunt succi lactucæ, hyoscyami, semperuiui, solani, plantag. vel soli, vel cum farina hordeacea in cataplasma informati. Interim verò suspecta fluxio fortibus frictionibus, & deligationibus scapularum & brachiorum, & cucurbitularum appositionibus studiosè est reuellenda. Sed tandem in declinatione vbi dolor, calórque partis resedisse videbuntur medicamentis digerentibus initio quidem leuioribus tandem vehementioribus reliquū negotium dissipandorum flatuum conficietur. Inter leuiora sunt litus ex oleo chamæmel. anethino, liliaceo, sambucino & cerata ex iisdem & noua cera conflata. similis fotus est ex decocto florum chamæmel. meliloti, anethi, seminis lini & ficuum cum linteolis spongia vel xylo admouendis quorum omnium vires post sedatum omnino dolorem & calorem augebuntur. litus ergo fiat ex oleo rutaceo, aut eiusmodi aliquo in quo semina discutientia coxerint, fotus verò ex lixiuio.

Quod si post triduum à reuellentium vacuationum & refrigerantium topicorum vsu penis neq; detumescat neque minus indolescat, & incalescat: tum demum affixis eidem cucurbitulis cum scarificatione, aut sanguisugis gangræna præcauenda est exonerata phlegmones iam conceptæ portione, à quibus mox pars ipsa abluenda erit oxycrato, aut

aqua salsa, aut vnguento ægyptiaco dissoluto, tandémque post repressam gangrænam impacti humoris reliquiæ & flatuum traditis digerentiũ formulis discutiendæ sunt, alioqui ex sphacelo superueniente moriendum erit.

De morbis glandis.

GLandis insitus vnus morbus est & à conformatione ingeneratus, plures adscititij vt thymi, plegmone, gangræna, sphacelus, & vlcera. Est autem balani vel glandis substãtia carnosa quidem densa, duráque & læuis, & acutæ glandis quercinæ instar vnde nomen, extremum peneni ambiens & meatum vrinæ semíníque excernendo communem complectens & transmittens. Meatus quidem ille secundùm naturam angustior est ad maiorem voluptatem in coitu excitandam per longiorem seminis in angustia illâ moram & titillationem: sed vicissim doloris acerbioris caussa est in transitu vrinæ acrioris (vt per dysuriam & stranguriam) aut lapilli asperioris. Partis huius vnus est insitus & à cõformatione ingeneratus morbus organicus. Qui eo laborat, ὑποσπαδίας & ὑποσπαδιαῖος à Galeno dicitur libro de definitionib⁹ medicis, Albuchrasi autem libri secundi cap. 55. triplex est. Secundus quando perforata quidem est sed exiliter nimis arctéq; & angustè. Tertius quando glans decenti loco suóque apice perforata non est: sed sub vinculo quod Canis dicitur quo cutis membri genitalis cum glãde colligatur. A prima specie ischuria est, vrinæque & seminis integra suppressio. A secũda tardior, exilior fili instar, difficilior magnóque accedente conatu vrinæ & seminis exclusio est. A tertia libera

qui-

quidem est:sed deprauata vtriusque excretio, neque enim vrina antrorsum nisi pene sursum ad vẽtrem reflexo excludi:neque semen in sinum muliebrem vibrari rectà potest. Paulus tertiam speciem curat cap.55.lib.6.Gal. primam & secundam citatis libris, primam quidem si perforetur glans stilo argenteo vel aureo candenti, atque post escharæ casum per emollientia vt butyrum & basilicum vnguentum si inserta plumbea cannula labra vlceris tantisper diducantur dum omnino occalluerint ne denuo inter se coeant & conglutinentur.Hæc curatio secundæ speciei communis est: quæ dum expeditur inflammatio prohibenda est, dolore ardoréque mitigato per linteolorum aqua rosarum aut succo refrigerantium herbarum,vt lactucæ, solani, semperuiui, madentium appositionem ad glandem ipsam,tum per defensiua vocata inguinibus &pubi admota,quæ fluxionem arceãt. Tertiæ speciei apud Paulum curatio instituitur per excisionem glandis ad coronam vsque, & cicatrice quamprimum inducta nisi hæmorrhagia obstet comprimenda vel ischæmis medicamentis vel si profusior sit per cauteria actualia.

De Thymo.

EX adscititiis morbis glandis thymi sunt, verrucarum species scilicet sicuti verrucæ ad pustularum genus pertinent.Porro verrucæ siue porri exigua quidem omnes sed tamen molesta & morbosa mole sunt, quarum duæ sunt species vna sessiliũ: altera pensilium.In eo conueniunt quod sępius cõplures quam solitariæ extuberant diuersa tamen origine, quòd reliquæ sua sponte internáque fluxio-

ne ab hepate transmissa oriantur, thymi autem ex coitu fere, sicuti calli ex attritu. Ad primam speciem sessilium pertinent myrmecia clauus callus, ad alteram pensilem referuntur acrochordon & thymus siue thymium, ille quidem apice lato, duro, aspero, cuti concolore sed basi prætenui, ex qua quasi funiculo quodam pendet, & à similitudine apicis chordæ resectæ nomē inuenit, hic basi quoque est satis tenui, apice ampliori subrubro minúsque aspero acrochordone minor, ex quo tamen vulnerato hæmorragia maior accidit quam paruitatem eius deceat. Thymorum differentiæ desumuntur tum à mole, ex qua alij mediocres propriè thymi, alij maximi, qualis est, qui ficus vel σύκωσις dicitur, à similitudine subrubri coloris & asperitatis quæ in ficu inuersa cernitur. tum à more, vnde alij mites sunt, alij feri & maligni: Illi à sanguine temperato, hi ab atrabilario ortum habent. Illi nihil aliud sunt quàm carnes excrementitiæ parum asperæ, subrubræ & indolentes, hi magis scabri duri colore liuido & dolore pungente molesti, præsertim à manuum contrectatione & medicamentorum appositione. Sumuntur denique differentiæ à natura, vt alij simplices sint ex coitu difficili cum muliere munda, alij contagiosi ex consuetudine cum immunda tantum muliere, vel etiam quæ lue venerea infecta sit, vtriusque enim putrida excrementa penis partes acrimonia sua exulcerare solent, quibus vlceribus neglectis exiguæ carunculæ supercrescunt & pullulant. Penis glandem potissimum pudendum muliebre & podicem sæpius inuadunt thymi.

Cura-

Curatio thymorum.

THymorũ curatio topica duplex eſt poſt cauſ-ſarum antecedentium remotionem à quibus augeri foueríque poſſint vt plethoræ alterutrius per phlebotomiam, cacochymiæ per purgationem contagionis venereæ per ſudores ex decocto Guaiacino vel etiam vnguento Neapolitano pro varietate ſubſtantiæ moris & ſedis ipſorum vna ſcilicet chirurgica, altera pharmaceutica. Illa rurſus duplex eſt per ligationem & per exciſionem, ligatur enim baſis eius niſi fortaſſe laxior ſit cum filo ſerico aut pilo caudæ equinæ donec nigreſcat ſuáque ſponte decidat, impoſito interim parti eidem linteolo aqua roſarum madido vt à calore, dolore & inflammatione vindicetur. Si qua autem radicis portio ſupereſt cathęretico puluere deraditur (de quo poſtea) Secunda curatio eſt per exciſionem: vt volſella apprehenſus thymus forcipe ſuccidatur (neque enim dolor in obtuſo carnis excrementitiæ ſenſu ſucciſionem remorari debet) & permittendum vt ſanguis copioſè fluat, maximè ſi plures aut maiores thymi ſint. copioſior tamen fluxus tandem inhibendus eſt puluere ſarcotico vt metallicorum vſtorum quidem: ſed non lotorum, qualia ſunt alumen vſtum, atramentum ſutorium, ſquama æris, æs vſtum, antimonium, plumbum. Aëtius poſt ſucciſionem cauterium adhibet actuale tam ſiſtendi ſanguinis quam prohibendæ recidiuæ & conſumendæ prorſus materiæ reſiduæ gratiâ, deinde poſt eſcharæ caſum per emollientia vt butyrum & vnguentum baſilicum, vlcus vbi carne impletum eſt cicatrice tegatur per epulotica. Curatio thymorum pharmaceutica leuiſſima conſtat vehementi exſiccatione &

astrictione per medicamenta epulotica quæ sint crassioris substantiæ terrenæ & frigidæ & sine vllo calore, morsu & doloris sensu, cuiusmodi sunt bolus armenus, terra sigillata, cerusa lota, malicorium balaustia, myrti baccæ & folia, tuthia, cadmia, plumbum, antimonium, vitrioli species, squama æris, vsta quidem omnia: sed sæpius lota ad deponédam acrimoniam & tenuitatem substantiæ sub forma pulueris vsurpantur super linamenta sicuti & vnguenti formâ cum cera alba & oleo myrtino vel omphacio. Quod si nec excisioni nec ligaturæ locus sit, quando scilicet occultas partes vt puta podicem & pudendum muliebre malum inuasit, neque vehemens illa siccatio, astrictióque satis valida sit ad duros & inueteratos thymos consumendos, tum eorum absumptio cathæreticis medicamentis tentanda est qualia sunt quarto gradu calida & quæ insigni substantiæ tenuitate præstant: súntque omnino epuloticis contraria: ita enim fungosam putridámque vlcerum quorúmlibet carnē, thymósque mites & feros & verrucas omnes necnon callos & clauos sensim tabefaciunt non quidem sine acrimonia & doloris sensu vt epulotica neque affatim vt caustica. Eiusmodi sunt metallica omnia quæ vstione acrimoniam exedentem sortita sunt quam lotione non exuerunt, talis est etiam hydrargyrus præcipitatus. Illud exemplo sit.

℞. Ammoniaci aceto dissoluti ℥ j vitrioli vsti & antimonij vsti an. ʒ j æris vsti. ʒ ß fiat vnguētum quod quotidie mutetur, partem abluendo donec tota excrementitia caro extrita fuerit. Quod si interim pruritus ab acrimonia excitetur compescendus ille quidem est linteolo ex aqua rosarum madido super-

superposito vel potius vnguēto de cerusa probe cōfecto, scalptúq; æger diligēter prohibendus est: par est & eadem curatio partis ex calore & dolore extumefeētis. Si deniq; duritie & magnitudine thymorum vincantur medicamentorum cathęreticorum vires, tum ad caustica decurrendum est quæ sint talia vel actu vt ferrum candens quod tamen ob doloris acerbitatem in glāde præsertim eximij sensus metuendum est ne fluxionem proritet, vel potentiâ qualis est aqua fortis secunda aut oleum vitrioli, vel sulphuris guttula vna apposita: & puluis ex auripigmento & arsenico crystallino præparatis qui exigua quantitate, scalpelli saluia madefacti apice exceptus vnaq; tantū vice appositus thymū exedit. Præparatur autem vtrumque si super marmor sedulo contritum, & ter in aceto toties mutādo maceratum soli exponatur, donec acetum cōsumptum sit & deinde totidem vicibus in aqua pura maceretur ad solem vsque absumenda. Hactenus de Thymis eorúmque curatione de qua lege Paulum lib. 6. cap. 58. sicuti & de reliquarum verrucarum curatione lege eundem cap. 88. libri eiusdem. De omnibus promiscuè lege Aëtium cap. 4. lib. 14. Sunt autem verrucarum aliæ species pensilium, & sessilium colem quoque magno tædio obsidentium quarum duplex curatio est, vna quidem ligatio, vel excisio vt acrochordonum quorum radices amputari possunt: alia vstio vt myrmeciarum, clauorum, & callorum, sunt enim cathęretica imbecilliora per caustica remedia vt aquam fortem papyro dentibus attrita exceptam, vel per sublimatum pręparatū, pulueratum & appositum vel aliud causticum: sed dum causticum appositum est pars ipsa vnguento refri-

gerante vt populeonis vel linteolo in aquam rosaceam merso tegatur doloris & fluxionis inhibendæ caussa post vstionem & escharæ casum, sicuti post excisionem cicatrix inducatur medicamentis epuloticis admixtis tamen paucis sarcoticis implendæ cauitatis caussa. Tale est vnguentum de plumbo & de minio. Interea etiam dum ligatur secatur, vel vritur verruca pars etiam superior vt inguinum pubis & perinæi astringente & emplastico medicamento munienda est, quale est quod constat bolo armenia sanguine dracon. & albuminibus ouorum vt ita sistatur fluxio quæ à calore aut dolore excitari posset.

De vlceribus penis.

VLcera penis interna externáque sunt, atque hæc quidem frequentissimè in præputio & glande (mollioris scilicet rarioríque substantiæ) in reliquo cole rariora ob densam magis detectámque cutẽ. Horum origo est aliquando à caussa externa vt à coitu difficili & violento cũ virgine vel fœmina etiam angustioris pudendi siue à natura (neque enim genitalium, neque aliarum partium fœminis omnibus eadẽ est magnitudo) siue ab arte meretricia per lotiones, fotúsq; ex aquis & decoctis astringentibus: vel à coitu non difficili quidem, sed multiplicato nimis, penémque calefaciente, sicuti ab equitatione dura longáque, vulgus illam speciẽ vocat scoriationem & excalefactionem. Alias oriũtur à caussis internis vt à sorde simplici & non contagiosa inter glandem & præputium retenta ibique putrescente, consortio mulieris venerea lue non infectæ. Hinc enim pustulæ exiguæ instar granorum

norum milij è superficie glandis emicare solent, quibus maturatis ruptísque vlcuscula rotunda & in medio punctum aliquod albicans habentia expullulant aliàs dispersa, aliàs ita densa vt ex pluribus vnum tandem fiat, atque istorum simplicium vlcerũ & non contagiosorum facilis est & intra biduum absoluta curatio per topica refrigerantia siccantiáque (neque enim in his caussæ antecedentis ratio vlla habenda est) vt per lotionem vel ex aquis solis plantag. solani & peculi rosarum: vel mixta etiam aluminis portione quinta aut sexta, vel ex oxycrato à qua lotione vnguentum album camphoratum parti ipsi vlceratæ aut excoriatæ illinendum. Aliàs sordes, saniésve non simplex quidem est sed contagiosa ex impuro excepta scorto (dum pudendum vtrumque libidinis incendio mutuáque collisione vehementer exardescit) siue vlcera in illo sint, siue excrementa tantum putria, sordida saniosa & viscosa. Vlcera autem hæc non curentur nisi post caussæ antecedentis præmissam vacuationem, vel per phlebotomiam (alterutrius plethoræ) vel per purgationem cacochymiæ peccantis, vel per serosorum humorum ex habitu digestionem per sudores ex decocto guaiaci, vel salsæparillæ, tum verò curanda sunt topicis tanto validiùs siccantibus vel tergentibus quanto sordes, saniésque contumacius hæserit, altiusque insederit. Porro exsiccationis & detersionis materia (vtriusque enim indicatio est ab vlcere vel sordido, vel virulento) seligenda est, tum ex animalium genere vt cornu cerui & ebur vstum, & omnia ostrea vsta, tum ex lapidibus vstis, lotísque cum aqua plantag. vt corallium, hæmatites, bolus armenia nõ vsta, tum ex plantis vt cortex ligni gua-

iacini, thuris, radix biſtortæ, tormentillæ, ariſtol. rotund.cucumer.agreſt.ſerpentariæ minoris: folia marrubij,agrim.ſcabioſæ,nicotianæ, cortex cucurbitæ vſtus: tum denique ex metallis vſtis, lotíſque vt alumen,æs vſtum,flos æris, ſquama æris, plumbum,antimonium,cadmia, ceruſa lota & lithargyrus; hæc quidem materia tota, triplici forma vſurpatur lotionis, pulueris, & vnguenti. Ac primùm quidem in virulentis vlceribus deſiccandis,ſub forma lotionis in hunc exempli gratia modum vſurpabitur.

℞.aquæ ciſternæ,vel ferratæ,vel plãtag.℔ j. raſuræ cortic.ligni guaiac. ℥ ij aluminis ℥ ß roſarũ rub. ʒ j coquantur ad ℥ ij conſumptionem & colentur. Abluantur vlcera linteolo imbuto hoc decocto per decem dies mane & veſperi. vel hoc modo.

℞.rad.tormentillæ qrt.j.fol.plantag.ſolani & roſ. an.m.j.balauſtior. & aluminis an. ℥ ß coquantur in vino albo,vel rubro.Similis eſt lotio ex aqua aluminoſa quæ conſtat ex ſucco agreſtæ, plantagin.portulacæ, albuminibus ouorum & alumine, omnibus ſcilicet diſtillatis inſtar aquæ roſarum.

Simili facultate fiat puluis ex oſſibus,purpuris & buccinis vſtis alumine vſto, tuthia, plumbóque. vt & hic qui ℞ pulueris tormentillæ ʒ ij eboris cornu cerui, coralli rub. vſtorum an.ʒ j fiat puluis excipiatur melle roſato, vel potius ſolus aſpergatur. Tandem comparabitur vnguentum quod exẽpli gratia.

℞. Cineris coſtarum cucurbitæ vſtarum, florum anethi, aluminis, & ſquamæ æris vſtorum & lotorum an. partes æquales excipiatur cera alba & oleo myrtino, fiatque vnguentum poſt ablutionem partis

partis apponendum.

Quod si fuerint sordida non virulenta tantum vlcera tum siccantibus topicis tergentia miscebuntur, vt aloe, myrrha radix aristol. rotundæ, gentianæ, folia prassij, nicotianæ &c. sicuti vbi quædã cauitas est sarcoticorũ aliquid vt thuris mastich. aloes, ireos iisdem topicis addatur.

Validissimæ exsiccationis & detersionis vis quæ indicatur ab antiquis putribus & depascentibus vlceribus materia idonea sumetur ex metallicorum vstorum non lotorum cinere. Tale est vnguentum Ægyptiacum, tale vngentum rosat. cuius vnciæ vni misceatur pulueris præcipitati ℥ j, talis est quoque aqua rosarum, vel ferrata mixta ærugine æris, vel vitriolo ad ℥ j pro libra aquæ, validissimum quoq; est Lanphranci hoc collyrium.

℞. vini albi ℔ j. aquæ rosarum & plantag. an. q̃rt. j. auripig. rub. ℥ ij floris æris ℥ j terantur hæc subtilissimè & misceantur cum aliis fiatque collyrium quod authore Guidone mortificat, sanat. hæc autem validiora remedia ter, quatérve, raró quinquies repetenda & singulis vicibus breuiter auferenda donec vlcera ipsa rubra & æqualia cernantur. Quod si denique cancrosa euaserint vlcera, pars ipsa nigricans & emortua amputetur & subinde vratur, vel ferro candenti, vel caustico medicamento vt arsenico, atque tunc post escharæ casum vnicus supererit scopus carnis resarciendæ & cicatricis inducẽdæ talis sit forma & materia.

℞. Tuthiæ præpar. aloes, sarcocollæ, thuris, lapidis hæmatitis vsti, lotíque radicis cannæ combustę, gallarum & balaustiorum an. partes æquales, fiat puluis & cũ oleo rosato ceráq; alba, fiat vnguẽtum.

Symptomatum mitigatio.

DVm topica hæc cathęretica vſurpantur, ardor partis dolórque leniendus eſt admoto vnguento populeone vel ſucco ſolani & plantagin. excepto linteolis, vel in cataplaſma cum farina hordei conformato, vel oleo violat. & albuminibus ouorum cum aqua roſata multo verberatu concorporatis, quæ omnia non ſolum pudendo vlcerato ſed inguinibus etiam perinæo & lumbis ſunt inducenda, prohibendæ fluxionis & phlegmones gratiâ.

Iſchuria denique vitetur immiſſa in foramen glandis fiſtula plumbea vtrinque pertuſa per quam æger meiere conſueſcat ſi forte phlegmones magnitudine vrethra nimis conſtringatur.

De vlceribus internis.

VLcera interna vrethræ variis ex cauſſis generantur: ex fœda ſcilicet, acri & virulenta gonorrhœa neglecta & diuturna. Item ex ardore & acrimonia vrinæ nata vel ex ſimplici intẽperie calida: vel à praua nimíſque acri victus ratione, à vehementi febre, à diabete, à partium vicinarum vt hæmorrhoidum phlegmone, ſiue ab humoribus excitetur vt pituita ſalſa, bile & pure, ex partibus ſublimioribus, vt ſuppuratis renibus & pulmonibus per veſicam effluente: ſiue ab arenularum craſſiorum & lapillorum anguloſorum tranſitu difficili, ſiue à calculo grandiori veſicæ, ceruicem eius contundente & atterente, ſiue denique à temeraria & violenta catheteris inciſione. Vlcerum eiuſmodi ſigna petuntur ex dolore inter meiendum & puris ſpontaneo fluxu, vel vrinæ exitum antecedente. Regio-

Regionis vlceratæ in vrethra signum desumitur ex doloris situ,& mictionis tempore,modóque: nam in vtraque regione supera inferáque nec non in media vlcerata mictio quidem cum dolore est: sed in vlcere ceruicis vesicæ frequẽter & guttatim fit: vnde stranguria dicitur,quando vesicæ facultas expultrix eáque robusta, & ab vrinæ acrimonia irritata, ad eius expulsionẽ statim insurgit antequam copiosa colligatur. Aliquando tamen cõtingit præ debilitate retentricis: sed sine dolore ex intemperie præsertim frigida vt in senibus. At in vlcere reliqui ductus tempestiua quidem est mictio : sed cũ magno quoque dolore(hæc dysuria est)Porro ceruicis dolor & totius ductus glandem etiam mire torquet inter meiendum ob continuitatem fibrarum rectarum vrethræ, quæ è vesica propagata est. Sæpe etiam purulenta materia ex vrethra effluit ab vlcere parastatarum diuturno, post gonorrhœam virulentã, idque in plures annos totámque aliquando vitam sine vllo valetudinis incommodo : sine stranguria aut dysuria ex natura partis frigidioris vel ex seminali materia cruda & diluta à seminariis vasis diffusa. caussarum denique discrimen à relatu ægri & familiarium quærendum est.

Prognostica signa sunt quod neglectis internis vlceribus tuberculũ carnosum ingenerari solet cui ischuria tandem & integra vrinæ suppressio succedit, aliquando etiam phlegmone & gangræna accẽditur mórsque immatura acceleratur, tum denique quod diutius neglecta tam altè partes vlceratas ad summam vsque cutem exedunt vt per varias partes vicinas vt anum, scrotum, penémque ipsum vrina quasi cuniculis factis continenter effluat.

Curatio internorum vlcerum.

INterna hæc penis vlcera à quacunque causa ortū habeāt, curantur obseruatis iisdem scopis qui ad curationem externorum propositi fuerunt. Vnus est vt amoueātur causæ omnes antecedentes, à quibus vlcera hæc foueri, augeríque possint aut fluxiones inter curandum proritari vel leuissimo dolore partium sensus exquisitissimi ex quib. phlegmone & gangrænæ lethales accendātur. Tales igitur causæ vt plethora & cacochymia designatis antea vacuationum speciebus remoueantur. Alter scopus requirit vt causæ coniunctæ sordes sc. & ichor siccentur & abstergeantur (hæc propria curatio est) Postremò vlcera cicatrice tegantur medicamentis epuloticis, mordacitate omni carentibus. horum omniū materia vsúsque ante expositus est. Ab vlcere igitur indicatur genus medicamētorū tergentiū & siccātiū & quidē magis aut minus pro regione vlcerata, nā ceruici magis tergentia, reliquo ductui mēbraneo magis siccantia conueniunt; forma liquida vel media & situ & cōformatione partis indicatur, liquida remedia per siphonem infundātur: vnguēta verò cum cereolo intromittantur, vtraque alternatim vsurpanda sunt, liquor quidem ter aut quater per diem & tepidè intrudatur vbi diutius cōtineatur, glande manu pressa, & vlceris loco altera manu sæpius contrectato, postremo effuso liquore vnguētum cereolo obuolutum ad locū vsque vlceris hora somni inseratur: eíque per totam noctem adhærescere sinatur, formulę sunt eiusmodi pręter expositas antea,

℞. hord. integ. rosarum rubrarum, fol. agrim. an. m. j. coquantur. In colat. lib. j. dissolue syr. de rosis

sis siccis ℥ ij fiat iniectio. Mel rosatum aliquando nimis tergens & mordax est. loco syrupi dissoluitur aliquid aloes aut aluminis, aut tuthiæ.

℞.rad.arist.rot.℥ j fol.plantag.absinthi agrim.nicotianæ, ceterac, caudæ equinæ an.m.j.flor. rosar. centaurij minor.& hord.integ.an.p.j.coquantur & in colat.lib.j ß dissolue mell.rof.colat.vel de absinthio ℥ iij hoc priori magis terget siccátque in corporibus durioribus.

℞. cadmiæ & tuthiæ præparatarum, cerusæ lotæ an.ʒ ij puluer.plumbi vsti, lotíque & camphor.an. ʒ ß succi absinth. ad mellaginem cocti ℥ ß versentur omnia diligenter in mortario plumbeo & pistillo plumbeo in vnguenti formam.

Epuloticorum vsus.

VBi satis detersũ vlcus ex nullo destillãte pure maiorique inter meiendum dysuria aut stranguria coniicietur, tum epuloticis locus esse debet tantisper vsurpandis dum cicatrice obsignata vlcera indicentur ex libera & indolenti mictione.

Aqua aluminosa huic scopo est idonea sicuti & hæc.

℞. Aquæ plantag. & peculi rosar. an. lib.ß boli armenæ, balaustiorum & gallarum contusarum an. ʒ ij bulliant ad duarum vnciarum consumptionem & colentur fiátque iniectio.

℞. Gallarũ vstarũ, baulaust.tuthiæ & plũbi vstorũ lotorúmq; an. ʒ j caphuræ & cadmiæ præparatæ an. ʒ ß concorporentur cũ oleo myrtino vel omphacino in mortario plũbeo & cera alba fiat vnguentũ.

Dum hæc curatio expeditur si suspicio adsit luis venereæ vnguenta mercuriata perinæo & pubi quotidie affricentur, vel emplastrum Ioannis de Vigo.

Quod si vsu topicorum tergentium præsertim dolor, ardórque penem atrociter exerceat, tum infundetur in eum lac caprillũ, vel bubulum mixta quarta parte mucilag. seminis psyllij extracti ex aqua rosarum vel succo plantaginis.

De præcautione vlcerum à lue venerea.

PRæcautio vlcerum à lue venerea tota in sedula detersione & exsiccatione saniei fœdæ, in poris balani, præputij, colis, & inguinum exceptæ versatur. Detersio autem fiet si statim à coitu partes illæ abluantur vino aqua aut vrina, addita earundem frictione ex panno aspero: sed interim linteolum aut gossipium inter præputium & glandem inseratur: vtriusque enim vis exsiccatoria magna est, adeo vt flaua, rubra, liuida, aliterue tincta remoueantur. quod si adsit indicium altius hęsisse virus & saniem poris præsertim mollioribus glandis, vt in iunioribus & sanguineis & aliis quibusuis formoso scorto intemperantius fruentibus, tum linteoli vires abstergentes siccantésque augebũtur si linteolum in decocto conuenienti maceretur, deinde in vmbra exsiccetur. Tale est decoctum sequens.

℞. vini generosi albi, aquæ scabiosæ & agrim. an. lib. ij in quibus infundatur per spatium viginti quatuor horarum scobis ligni guaiacini qrt. j. deinde adde rad. gentianæ, aristol. rotund. & dictammi albi an. ℥ ß santali citrini calami aromatici cortic. citri & baccarum iuniperi an. ʒ ij cornu cerui, eboris, coralli rubri, squamæ æris an. ʒ ij bulliãt omnia simul ad medias & colentur atque exprimantur, in expressione infundatur linteum vicissímque siccetur in vmbra per tres vices, & ita insuccatũ à scortatoribus in lupanaria vtiliter gestari poterit.

Pro-

Profuerit quoque plurimum suffitus hic,cui linteolum ita insuccatum substituatur.

℞. thuris, myrrhæ, aloes, benioini & cinabaris an. ℥ ij pulueris præcipitati ℥ j rosf.rubr. comarum absinth.scordij,calam.arom.&camphor.an.℥ j fiat puluis crassior,iniiciatur in ollulam carbonibus ardentibus refertam vt vapor partibus genitalibus & vicinis excipiatur & subinde præparato linteolo supertegantur.

De vrethræ affectibus.

VRethra meatus est à ceruice vesicæ ad extremam vsque penis glandem productus,in viris quidē oblōgus, angustus & obliquus instar literæ maiusculę S.Romanę:in mulieribus autem breuior magis latus,rectúsq;.Totus mēbraneus est vesicęq; similis ex qua deducitur, nisi ꝙ in ortu suo sphinctere cingitur musculo quæ pars priuatim vocatur ceruix:infra quam est vrethra,vel meatusvrinarius. Huius ceruicis dolores ad glandē vsq; ob continuitatē rectarum fibrarū exporrigūtur in vrethræ mediū ferè ductū. alter quoq; meatus à parastatis glādulis vasorúmque seminariorū finibus inseritur vt ex duobus vnus fiat excernēdo semini, vrinæq; cōmunis. Vtrūq; tamen quod à diuersis prodeat partib.diuerso quoq; tēpore erūpit: quodq; vrina musculi sphincteris relaxatione,semē prostatarū astrictione excutiatur.Vrethrę morbi duo sunt organici,astrictio,obstructióque:à quibus seminis,vrinęq; transmissio,quæ eius est propria actio, impeditur id est aboletur,imminuitur,& deprauatur.

Astrictionis autē caussa proxima & cōtinens est insignis & durus tumor aliquis vt phlegmone, scirrhus,abscessus(nam erysipelas & œdema molliores

sunt)vel alius quilibet vicinã partẽ vt perinæũ,hæmorrhoidas, rectũ intestinũ prostatas occupãs, adeóque vrethræ cauitatẽ coangustãs vt vrinæ, seminísq; exitũ intercludat dum meatus latera tam arcte cõmittũtur inter se & cõiunguntur vt ab erupturo lotio aut semine seiungi nequeãt.Horũ humorũ origo aliàs spõtanea est pẽdẽs ex humorũ ab hepate defluxu aut eorũdẽ corruptione hoc est à plethora aut cacochymia, aliàs violẽta à caussæ externę insultu vt vulnere,ictu,casúve, equitatione lõga,duráq;.

Obstructionis autem proxima caussa est quodcũque corpusculũ vel aliũde in hunc meatũ illapsum, vt lapis,grumus, pus, & crassus, lentúsque humor mucilaginosus,vel illi ipsi meatui innatũ vt tuberculũ carnosũ,tophaceũ,callosũq;. Ac lapidis quidẽ origo in renibus fere est incrementum in vesica ex mucilaginũ accretione:Grumi ex vesicæ & vreterum rarissimè:sed sæpissimè ex renum affectu qui cruorem effundunt qui in vesicæ cauitate concrescat.Pus aperti abscessus soboles est vel in rene,vel in sublimiorib. partibus vt pulmonibus.Crassi deniq;,lentíque humoris & mucilaginosi parens est sæpissimè ventriculi cruditas tũ à calore imbecillo vt in senibus, tũ à crasso, lentóq; cibo & vita otiosa.Tuberculi tophacei eadem origo est à crasso illo lẽtóq; humore in vrethræ flexibus paulatim excocto sicuti carnosi ex vlcere à quacũque caussa ante cõmemorata,quod neq; maturè neq; accuratè satis detersum,exsiccatúmq; est,ideóq; callosum etiã tãdẽ euadit ab vrinæ salsugine vehemẽtius exsiccatũ.

Signa diagnostica caussarum astrictionis & obstructionis.

Signa astrictionis diagnostica,tumorísq; species &

& ſedes,tũ ex actione læſa,abolita,vel diminuta,tũ ex doloris proprietate & ſitu innoteſcũt.Scirrhus.n. hebetior & ſine febre eſt:ſed phlegmone & abſceſſus cũ febre & dolore magno eſt. Obſtructio à lapide detegitur, tum ex vrina aquoſa & pleno quidem ductu copioſéque reddita:ſed tamẽ inter meiendũ repẽte & in medio curſu & cũ vehemẽti dolore interrupta, vel quod lapis minor, leuiórq; & innatãs affluente vrina in ceruicẽ veſicæ intrudatur vel quod grãdior ceruici repente obtrudatur,ſiquidem ſolutus & vagus eſt,ſæpe enim plures annos de fundo ſuſpenſus latitat :Deprehenditur quoque ex perpetuo penis ſcalptu(ob pruritum lapidis obuiã ceruicem titillãtis)eiúſque frequẽti inflatione euocatis ſpiritibus à pruriginoſo dolore: Itẽ ex põdere & vrinæ retẽtæ prouocatione per demiſſum catheterem: à quo dum lapis minor quidem obſtruens ipſum meatum, maior verò opprimẽs ceruicẽ extruditur,cohibitus vrinæ curſus expeditur.Innoteſcit etiam per crurum ſublimiorũ reliquo corpore depreſſo ſupinóque,multiplicẽ agitationẽ,ſi modò lapis ceruici contiguus tantum ſit non in eãdẽ intruſus,tũ per liberã,facilémq; catheteris per totã vrethram penetrationẽ ad veſicæ vſque cauitatẽ vbi grãdior lapis extra meatũ eſt:paruus enim & impactus catheteri ſæpe renititur. Agnoſcitur etiam eo quod meiẽdi tẽpore & in ipſo conatu anũ vel grauitate ſua preſſam (ſi grãdior ſit & extra ceruicẽ)vel cõpreſſione ſola muſculorũ abdominis ſiquidẽ puſill' & impactus ſit,egerẽdi deſiderio ſollicitet:tũ deniq;quod nephriticis dolorib. pręgreſſis æger infeſtat' fuerit: Obſtructio à grumo ſãguinis internoſcitur ex præcedente aliquo affectu hęmorrhagiã mouente,viſceris vicini vt vlcere, aut contuſione renũ

& sphincteris aut vasorũ spermaticorũ apertione. Dignoscitur eodem modo obstructio à pure & abscessu aliquo rupto in partibus sublimioribus vt renibus,pulmone,hepate,liene,denique à mucilagine si nihil neque puris,neque grumi cõpertũ sit in vrinis,siq; vita otiosa,opipara,multisq;cibis aut crassis & viscosis addicta pręcesserit. Certũ quoque horum trium signũ est si immissus catheter prõptè in vesicã vsq;penetret,referátque mucroni suo adhęrescẽtẽ,aut in parte sui caua exceptam obstruentis materiæ portiunculã. Obstructio deniq; ab innato tuberculo carnoso deprehẽditur & à prægressovlcere vrethrę , & quod catheter ægre in vesicã vsq; impellatur occurrente vel in vno,vel duobus,vel pluribus vrethræ locis tuberculi offendiculo.deprehẽditur etiã ex mictionis læsæ specie,non enim repẽte quidem vt à lapide aliisque caussis vt muco,grumo,pure , sed paulatim fit ischuria pro generandæ, augendæq; carnis modo in interno hoc non secus quã externo vlcere : Indiciũ etiã sumitur ex dolore post mictionem excruciante, ob relictã vrinæ portionem inter vesicã & carũculã vlcus interim vellicantis,mordentisq; donec maximo conatu exprimatur,Itẽ ex eo quod vrina tenuiter fili instar,magnóque conatu ob impeditum vrethræ ductũ trãsfluat,neq; recto cursu,sed obliquo sæpe & tortuoso ob variũ tuberculi sitũ, modò sursum versus, si inferiorẽ vrethræ partem obsideat,modò deorsum si superiorẽ,& aliter si lateralẽ:aliquando etiã diuaricato cursu cũ meatũ in duas partes carũcula & iuxta glandẽ diuiserit:altius enim diuisa , rursus coire ad glãdẽ solet,Ex eo deniq;detegitur quod demissa in vrethrã fistula carũculã frãgat, atterátq;vnde cruor

& ra-

& ramenta carnis detritæ cum vrina prodeunt. Obstructio denique à tuberculo tophaceo dignoscitur ex tumore duro manui tractanti foris obuio & catheterem intus repellente, quódque prægressi vlceris & carunculæ nulla sit suspicio.

De catheteris vsu.

Atque hæc quidem est obstructionis caussarũ artificiosa dignotio: sed quæ per catheterẽ fit tuberculi, sedísq; eius in vrethra exploratio, hæc vero constantissima est miniméque fallax. Est autem catheter ab vsu dictus quasi intromissorium instrumentum scilicet oblongum, tenue, solidum, apice rotundo, prorsúsque æquabili (ne obuias particulas offendat) in vrethram intromitti solitum, tum ad exploranda, extenuandáque tubercula & eorum notandas in vrethra sedes: tum ad calculum è ceruice vesicæ, vel vrethræ cauitate deturbandum.

Catheteris materia in varios vsus varia cõparatur: prima eius & blandissima species sunt herbarũ quarundã turiones, siue cauliculi lõgiores, leuiores & duriusculi vt maluarũ, petroselini, fœniculi, qualis etiã est palustris iuncus præeunte radice. quibus omnibus vrethræ & ceruicis vesicæ impedimenta percontari leuiter & tuto licet. Altera species est candela cerea alba, quæ ne per hyemem præsertim frangatur, relicto in vrethrę aut vesicę cauitate fragmento quod extorqueri postea nequeat: ex forti quodam filo, ceráque alba duplo ad terebenthinam miscenda, quo magis lentescat concinnatur, cuspide lenissima, & æquabilissima. Huius speciei vsus est tum ad tuberculi durioris, quódque mollioribus herbarum cauliculis peruium nõ est penetrationẽ, tum ad idonea medicamenta in vrethram inferẽda

tuberculi absumendi gratia, vel vlceris implendi ac inducendæ cicatricis. Tertia species est fistula quædam, vel virga plumbea teres & flexibilis à qua tuberculum durius quam vt cereæ candelæ cedat, rumpi, aut supprimi pondere suo possit, vlceribus interim anodyna vi sua mitigatis. Quarta species est fistula ænea, argentea, aurea, quæ tubercula durissima cæteras catheterum differentias respuentia validissimè frangit, & peruadit.

Simili materia constat & figura argalia dicta: sed intus caua, per quam ductilis quædam virgula argentea inducitur vicissimque reducitur, idque tum ad impellendum liquorem quendam in vesicam & vrethram siue tergentem, siue epuloticum, tum ad extrahendum perfugam vacui excrementum mucilaginosum, grumosum, purulentum, arenosum vrethram aut ceruicem vesicæ obstruens. Vtriusque tũ catheteris, tum argaliæ crassities tanta sit, quãta capi à meatu vrinario potest, vt toti tuberculo occurrat, longitudo quoque tanta, quanta perduci in cauitatem vsque vesicæ per totam vrethrã queat. æstimatur quidem hæc iusta longitudo palmi vnius ac præterea duorum digitorum transuersorum mensura vt palmus sit spatiũ inter minimũ digitum & pollicem ægrotãtis quamplurimum inter se distractos, proinde lõgitudo in viris triplex à Celso desideratur, pro varietate curandorũ corporum, maxima quidẽ digitorũ quindecim trãsuersorũ, media duodecim digitorũ, minima nouem. In mulieribus duplex tantũ, maior nouem digitorũ, minor sex digitorũ, denique vtraque illa tum catheteris tum argaliæ species nunquam nisi oleo temperato vel lini, vel lilij, aut amygd. dulc. delinita intromitti debet

bet in vrethram.

De tuberculo carnoso.

OMne tuberculum siue carnosum, siue tophaceũ in præcipiti est, tum quod nullum sponte sanescat vrinæ erodẽtis salsugine, quin potius iuuãte natura semper, sensímq; excrescens ægrũ vel tãdem tabefacit stranguria, dolore, vigiliis, vel repente iugulat, dum obturata prorsus vrethra sursum in thoracem vrina reuoluitur natiuum cordis calorẽ oppressura, quod comitem inflammationem ceruicis vesicæ & partium vicinarũ prę dolore & fluxione sæpe accersat: cui gangræna vt pote loco calido, humidóq;, aut ischuria integra facile succedat, vnde mors ægrũ cõfestim rapit, rarior enim est eiusmodi phlegmones, suppuratio, præ ischuria comitante à qua tamen ægrũ liberari Hippoc. docet apho. 82. li. 4. Adde quòd pluuioso, austrinóq; cœlo grauiter inualescit: sicuti per ambulationẽ præcipitẽ, durã, lõgámve equitationẽ, & quod eius deprimẽdæ vix vlla ratio per catheterem satis tuta est per quem tamen calculus tãtisper repelli potest ab vrethra, aut ceruice vesicæ, dum lotium excernatur. Sed insuper ob angustum & recõditũ partis obsessæ situm, eiúsque eximium sensum remedia neque facile admittũtur, neque admissa satis constanter tolerantur, siue ob ipsorum acrimoniam molestiorem, siue ob mictionis necessitatem crebriorem. Statuẽdum denique inueteratorum & callosorum quàm recentium molliúmque, contagiosorum & venereorum, implicitorum cum alio aliquo affectu, vel idiopathico, vel sympathico, quam simplicium arduam multo magis ancipitémque esse curationem.

Differentia tuberculorum.

TVberculorum differentiæ sumuntur tum ex tempore, quòd eorum alia recētia sint, mollia, & fungosa, alia inueterata, dura, callosa & contumacia: tum ex natura ipsorum propria quod quædam sint solitaria: alia cum vlcere aut inflammatione alióve affectu implicita: tum à situ: alia enim sunt summa & glandi vicina, alia media, alia profunda, in ceruice vesicæ: Sumuntur & à numero quod vel vnicum sit, vel duo, aut plura, exigua vel magna: tū denique à more quod eorum alia sint simplicia, alia contagiosa, ab vlcere Neapolitano oriunda, alia etiā cancrosa quę leuissima irritatione catheteris aut medicamenti, inflammationem, gangrænam, sphacelum, partísque perniciem & mortem ægri accelerant.

Astrictionis caussarum curatio.

PLegmone, siue ceruicem vesicæ, siue partē aliquā vicinā vt vterū, intestinū, scrotū occupet, eadémque siue primigenia, siue symptomatica vt quæ virulentæ GonorrhϾę, vlceri parastatarū eiúsque curationi præ dolore & fluxione accedit, curatur scopis duobus: tū vt fluxio pręsens imminénsq; prohibeatur: tum vt quæ facta est vacuetur. Prohibendæ fluxionis instrumenta tria sunt, primum est diæta frigida (actu & potestate) siccáque & tenuis quæ sanguinis caliditatē & tenuitatem indéque fluxionem coerceat & copiā minuat. Secundū est chirurgicum, phlebotomia primum quidē reuulsoria facta in venis cubiti dextri & sinistri, deinde deriuatoria saphænæ in poplite vel malleolo, frictiones & deli-

deligationes bracchiorum arctissimæ, cucurbitularum appositio & in vtroque hypochōdrio & in regione dorsi & lumborū. Tertium est pharmaceuticum per medicamenta, tum purgātia, tū alterātia: illa quidem lenientia sint sed paucis astringentibus mixta, qualis est bolus ex medulla cassię addita rhabarbari puluer. dragma, talis syrupus de cichorio cōpos. aut rosatus laxatiuus addito quoq; rhabarbari puluere. Hæc enim fluxionis incitatricem bilem detrahēdo, fluxionem vias astringendo cōprimunt: alterātia verò caliditatem & tenuitatem sanguinis fluentis obtundant vt syrupus acetos. simplex, oxysaccharū simplex, de granatis acidis, de limonibus, de agresta cum aquis rosar. plātag. acetos. &c. Alter scopus qui est fluxionem factā vacuare, expletur repellendo in principio, cæteris verò temporibus digerendo vel suppurando.

Repellentia frigida siccáque sunt & terrena partíque ipsi affectæ non solum imponenda: sed sublimioribus etiam vt inguinibus & lumbis per quas fluxio decurrit. Exempli causâ,

℞. farinæ hord. lib. j. succi solani & plantag. vel aceti ros. q. s. misceantur ad ignem fiátque cataplasma. vel

℞. cortic. malor. granat. rosar. rub. & lentium an. ℥ ij contundantur & bulliant cum aqua & oleo ros. fiátque cataplasma. liquida ægris minus molesta sunt vt.

℞. succi solani, plātag. semperuiui, portul. olei rosati vel myrtini & aceti rosati an. partes æquales misceātur & ex linteolo iis imbuto imponātur sæpius reiterando nō solū pubi, & perinæo sed lūbis etiam & inguinibus. In augmento repellentibus di-

gerentia pauciora, in statu plura sunt admiscenda quæ partim præsentem fluxionem repellãt, partim factam discutiant. Tale est quod ℞.olei chamæm. lilior.rosati & myrtini an. ℥ ij.aceti rosſ. ℥ ß. misce & fiat embrochatio. Vel,

℞.farin.hordei & fœnugræci an.℥ ij. puluer.flor. chamæm.meliloti & rosati an.℥ j.cum decocto summitatum myrti & oleæ fiat cataplasma cui ab igne remoto adde seui caprilli ℥ ij.& vitellos ouor. duorum.At in declinatione solis digerentibus locus est cum omnis fluxio constiterit vt ex emplastro diachylonis ireati, aut ex vnguento Agrippæ aut ex sequenti cataplasmate. quod ℞. pulpæ passularum, farinæ fabarum,ciceris & lentium an.℥ ij. semin.cumini ℥ j.olei liliorũ & sapæ an.q.s. fiat cataplasma.

Quod si digestio desperata sit: [hæc enim multo rarior est in illa sede quam suppuratio, tum ob sedis neruosam,densam frigidamque substantiam, tũ ob digestionis tarditatem dolorísque interim vrgentis ob mictionem impeditam grauitatem à quo spiritus calorisque suppurantis copia euocatur.] Si etiam suppurationis iam inchoatæ species appareat ex incremento tumoris,doloris lancinantis,& pulsantis ischuriæ,febris & vigiliarum,tum ea iuuanda erit, vel fotu ex hydrelæo, aut ex decocto radicum altheæ,florum chamæm.meliloti, passularum,caricarum, semin. maluæ & altheæ, ita vt inde confectum cataplasma protinus à fotu partim applicetur addendo triticeæ farinæ purissimæ q.s.cum vitellis ouorum duorũ & axung. gallinę ℥ ij.Simile est vnguentum basilic.de althea,resumptiuum & emplastrum dyachilon paruum.Suppuratus denique abscessus nisi sponte sua & acrimonia puris tenellam, mollem,

mollem, tenuémque vrethræ substantiam erodentis rumpatur, tum demum ferro candente potius quã secante, aut caustico potentiali aperiatur.

Symptomatis curatio.

ISchuria præ dolore grauis esse solet, idcóq; protinus ab initio curationis, fistula plumbea, tenuis, caua, & vtraque cuspide sua aperta penitus in vrethram ad cauitatem vsq; vesicæ inferatur vt per eã meiere assuescat æger. Partis quoque post reuulsionem relaxatio sæpe tentanda est lotione ex aqua tepida, lituque olei calentis sępe repetito, vt tensione partis relaxata, doloréque nonnihil mitigato vrina liberius effluere possit, vesicæ regionem præsertim mictionis tempore blandè, sensimque manu comprimendo & deorsum deuoluendo.

De Gangrana.

PHlegmones enormem magnitudinẽ nullis neque reuulsam, neque repulsam, neque discussam aut suppuratã adhibitis remediis excipere gangræna solet (id est incipiens partis inflammatæ mortificatio) his præsertim locis decliuibus, calidis, humidísque & ventri humidissimo vicinis, indolentia, liuore, & torpore sese prodens ob spiritus animalis vitalisque penuriam. Itaque quãprimum pars ipsa leuanda est copiosa sanguinis eductione, aut per apertionem vicinæ alicuius venæ amplioris ad deriuationem, aut per hirudinum appositionem, aut potius per crebras, altásque scarificationes ad vacuationem particularem, ac deinde post fluxum sanguinis vberiorem, per partis scarificatæ lotionẽ ex aqua salsa prohibendæ concretionis & putrefactionis gratia, moxq; per medicamentũ frigidum, siccumque & tergens, qualis est bis in die repetita

aceto mulſo lotio, cui ſubinde ſubiiciendum cataplaſma ex lolij, aut orobi, aut fabar. farina cũ oxymelite cocta, tãdémque vbi calor remiſſior eſt vnguentum Ægyptiacum ex flore æris, alumine, melle & aceto pariter mixtis compoſitum, hęc enim corruptionem imminentem prohibet, & factam à ſana parte ſeparat. Hoc etiam valentius & ſine dolore præſtat arſenicum inter vtramque applicatum ex puluere, vel vino cum xylo hoc eſt cottone aut linimento.

De ſphacelo.

POſtremo ſi pars emortua iam videatur, ſitque ſphacelus perfectus, ſectio adhibenda eſt, ne ab emortua parte tanquam veneno, ſana inficiatur: eidémque mox imponendum eſt ferramentum candens tum ad inhibendam hæmorrhagiam, tunc ad inuectam putredinem abſumendam, eíque vſtioni ſal cum porri ſucco apponẽdum ad vtrumque ſcopum aſtringendi, ſiccandíque. Poſtremo vbi putredo conſtiterit cataplaſma ex farina hordeacea, vel triticea, vel mica panis albi, cum hydrelęo cocta ad cruſtæ reſolutionem admouendũ eſt. vel vnguentũ tetrapharmacum quod mollit, ſuppurátque, deinde poſt cruſtæ reſolutionem abſtergenda pars eſt tum ex aceto, tũ ex appoſito cataplaſmate ex farinę hordei & mellis an. ſelibra, myrrhæ ℥ ß vitellis tribus ouor. crudor. poſtremo cicatrice claudatur.

De furunculo & carbunculo.

FVrunculus & carbũculus partes eaſdem vrethrę vicinas ex lõgá duráq; equitatione, veluti cõtuſas aliquãdo inuadũt. Horum eadẽ quę phlegmones curatio

curatio eſt,vt poſt prophylaxin,cauſęq; antecedẽtis remotionem per diætã frigidã,humidámque & tenuẽ, tũ per phlebotomiã reuulſoriam & deriuatoriam,tum per purgationem cacochymiæ redundãtis biliosæ & atrabilariæ (vt ex ſero caprillo, agarico,tamarindis,myrobalanis luteis, rhabarbaro) curatio inquam propria eſt, per cauſſæ coniunctæ vacuationem & mediocrem repreſſionem ab initio, mixtámque reſolutionem, neque enim veram repercuſſionem craſſities & venenum materiæ patitur, neque veram reſolutionem, eiuſdem caliditas. Tale eſt cataplaſma ex foliis arnogloſſi,lentibus & pane cincomiſto ęqua portione in aqua coctis. Tale eſt cataplaſma ex duobus granatis, acido & dulcoacido contuſis & in aceto coctis. atque hæc dũ parti laboranti hærent, circumiacentibus partibus vnguentum circumponendum eſt, quod humoris à parte obſeſſa retroceſſionem prohibeat,conſtat autem bolo armeno, oleo roſato, vel myrtino, & aceto. Deinde remiſſo calore maturandus abſceſſus eſt admotis ficubus fermento & ſale ſimul mixtis, vel medicamento ex vitellis ouorum & ſale confecto.Hæc enim ſæpius admota maturant & aperiunt carbunculum,apertus autem detergi, purus impleri,impletus cicatrice tegi debet.quod ſi aut tardior fluxionis impetus,aut maligna nimis &peſtilens ſit materia,euocanda foras eſt medicamentis valde attrahentibus vt ſuctu, cucurbitula,aut cauſtico etiã, túmque relictum vlcus cruſtoſum vt reliqua vſta curandum eſt. Furunculi eadem quæ phlegmones curatio quoque eſt niſi quòd paulo frigidiora, minúſque calida topica remedia requirat.

Curatio tumoris aquosi.

TVmor aquosus prostatarũ rarior quidem est, tantus tamen támque durus aliquando mihi visus est in soceri mei Iacobi Dauidis Iurisconsulti peritissimi dissecto cadauere, vt neque catheterem vrethra, neque clysteris siphunculum intestinum admiserit indéque morte raptus sit.

Huius curãdi sicuti & phlegmones duo sunt scopi, vnus ne crescat deinceps, alter vt deleatur, ille ad caussam antecedentem refertur cui diæta opponenda est euchyma calida, siccáque & attenuans qualis à Galeno proprio libello descripta est. Purgatio quoque pituitosi & serosi humoris adhibenda est, móxque alteratio per antidotos vt theriacam, mithridatium &c. deletur autem tumor topicis exsiccantibus & resoluentibus quorum exemplum est apud Gal.lib.2. ad Glauconem & 14. meth. ex oxyrrhodino & sale, & aliud ex spongia lixiuio perfusa: vtrique formulæ vehementioris desiccationis caussa addi potest alumen, sulphur viuum, & aphronitrum. Tale est etiam emplastrum apud Auicennam, quod recipit seminis sinapi & vrticæ, sulphuris, spumæ maris, aristoloc.rot.& bdellij an.℥ j gummi ammon. olei antiqui & ceræ an. ℥ ij fiat emplastrum.

Quod si morosa nimis, tardáque hæc curatio morbum protrahere ad perniciem ægri sentiatur ex lipothymia, fœdo colore faciei, pulsúque paruo & obscuro, tunc sicuti in cæteris desperatæ ischuriæ speciebus aperienda est angusto foramine ceruix vesicæ per peritonæum & ad latus lineæ albæ.

De scirrho.

SCirrhosus denique tumor post eãdem prophylaxin caussæ antecedẽtis & melancholici humoris per diætam calidam, humidámque & attenuantem & per purgationem frequentem melanagogam ex foliis sennæ, thymo, veratri radiculis, fumaria, curatur caussæ coniunctæ vacuatione per medicamenta emollientia detergentibus & discutientibus mixta, aut vicissim quod molestum magis est & tædiosum vsurpata quale est emplastrum sequens.

℞. gummi bdellij & ammon. an. partes æquales terantur in mortario cum oleo liliorum, deinde adde mucilaginẽ semin. lini fœnugr. & ficuum extractam ex decocto florum chamæm. & meliloti ad pondus æquale reliquorum omnium & rursus terãtur omnia simul fiatque emplastrum. Tale quoque est Galeni è cortice rad. altheæ coctæ & cum adipe anserino, aut gallinaceo contusæ in cataplasma. A calidioribus hic singulariter cauendum est ne scirrhum in cancrum, aut non exquisitum in exquisitũ & incurabilem conuertant; quod si ad suppurationem vergere videatur ante perfectam curationem tumor hic sicuti & quilibet alius aperiri debet ne diuturnior ischuria ægrum perimat interea dũ tumor suppuratur. Qui ex congestione denique collectus est abscessus, meliceris, siue steatoma, siue atheroma sit, ferro protinus, aut caustico aperiatur.

Specierum obstructionis vrethræ curatio.

LApis grandior si ceruici vesicæ occurrit vnde ischuria grauis, molestáve strãguria ęgrum affligat in capacitatem eius repellendus est, tum va-

lida crurum,cluniúmq; ſuccuſſatione, reliquo corpore depreſſo ſupinóque, tum cathetere in ſinum veſicæ per totam vrethram demiſſo vbi deinceps vel medicamentis lithontripticis ab erudito medico alteratur, attritíque eius exigua ramenta cum vrinis excernantur, vel certè à perito lithotomo inciſa per perinæum veſicæ ceruice, vitata quæ id interſecat linea,extrahatur. Sin puſillus lapis in eandem veſicæ ceruicem, aut aliam vrethræ partem illapſus conſtiterit: non ille quidem in capacitatem eius regerendus eſt: ſed ad glandem potius, ſedula, blandáque chirurgi manu deducendus præcincta funiculo ſupra lapidis ſedem ne retrocedat,mentula,totáque vrethra oleo intus & foris relaxata atque lubricata: quo facilius foras è glande excurrat: Quod ſi contumaciter nimis circa glandem hæreat: inde verò vel ſuctu nutricis prolectetur: vel vncinis extrahatur: vel denique terebella per fiſtulam gracilem adacta fruſtatim diſſipetur. ſin idem lapis diſtantiorem vrethræ à glande regionem obſederit:tum incidenda ceruix veſicæ eſt, non infra tamen ne vulneris coalitum exanguis vrethræ ſubſtantia, & aſſiduus vrinæ ſalſæ, acríſque transfluxus prohibeat, neque ſupra, ne hæmorrhagia arteriæ maioris ſuperam penis regionem perluſtrantis vulnus vberior conſequatur: ſed in longum à latere: vbi ſcilicet lapis magis extuberat & renititur, eſt enim latus carnoſum magis ,aptúmq; conglutinationi: ſed ante inciſionem vinculum ſupra lapidis ſitum vt modo dictum eſt mentulæ eſt iniiciendum, cutíſque ad glandem ſtudioſè adducenda quæ exempto lapide, conſutóque vulnere protinus remutatur vt integrè vulnus obtegat vinculo

culo deinceps resoluto.

Sed enim dum ista chirurgia exercetur, dolori sedando fluxionique sanguinis reprimendæ gnauiter studendum est. huic quidem per defensiua vocata, id est repellentia & emplastica ad pubem, inguina, perinæum, lumbósque admouenda quale cataplasma est ex bolo, sanguine dracon. mastiche cum oleo rosato, albuminibus ouorum & aceto rosato super stupas extensum. Illi vero dolori sc. per litum partis vulneratæ, vel ex butyro recenti lotóve sæpius, vel ex solo oleo rosato, vel ex oleo violato, vitello oui & pauca cera alba.

De obstructione à grumis.

SI grumi sanguinis à recētibus sphincteris vesicæ, aut renum vlceribus manantis, vrethram prorsus impediunt, illi protinus dissoluantur liberandæ ischuriæ caussa à qua certissimum lipothymię, syncopes, tādémque mortis periculum impendet, idque per iniectionem in vrethram cum algalia, oxymelitis vel simplicis, vel scyllitici: decocti stæchados aut sarmentorum vitis, rerúmque eiusmodi incidentium: sed interim dum grumi in vesica dissoluuntur hæmorrhagia vlceratæ partis omni ratione comprimenda est: tum per victum frigidum, siccúmque & tenuem animique & corporis quietem: tum per reuulsionum species omnes vt phlebotomiam in venis cubiti dextri: frictionē & deligationem arctiorem lacertorum, cucurbitulas siccas, hypochondriis & dorso affigendas: tum denique per astringentia frigida, siccáque & emplastica intus, forísque vsurpanda, qualis est hæc potio.

℞.Boli arm.lotæ, terræ sigill.sang.drac.equiseti, mastichis & thuris an.ʒ ij sem.apij ʒ ß fiat puluis capiat ʒ ij cum lacte vstulato vel cum aqua, aut decocto, aut succo plantag. addendo syr. de rosis siccis vel cydoniorum, vel de granatis acidis an. ℥ ij. Tale est electuarium tabellatum ex eiusmodi puluere siue exhibeatur per se, siue cum aquis, succisve prædictis superbibendis. Foris autem lumborum, renúmque regioni applicentur sequentia topica.

℞. Aquæ aluminosæ ℔ j foueatur subfrigidè ex spleniis imbutis expressisque.

℞. olei omphac. vel myrtini ℥ iiij sang. dracon. boli armenæ acaciæ & hypocistid. an. ʒ ij spicæ nard.& mastich.an.ʒ j cum cera alba, fiat vnguentum applicandum regioni eidem cum multa fricatione additóque pauco aceto rosato.

De obstructione à pure.

IAm verò si è diuturno vel sphincteris, vel penis, vel alterius visceris vt pulmonis vlcere manans purulenta materia in vrethram penitus impegerit eiusque ductum obturarit: ea quidem grumorum instar incidenda, tergendáque est, sed lenitione intermixta ne vlceratiua partis intemperies à pure magis incendatur. Tales sunt iniectiones tum ex lacte asinino, tum ex sero lactis caprilli, tum ex decocto hordei, flor.violar.semin. melonum quibus omnibus adiiciatur pars sexta vel sacch. rosati vel mellis rosati si tergentiores desideras, térque aut quater in die repetantur: pars quoque ipsa genitalis, tum radice sua tum reliquo ductu temperanda est vnctionibus quotidianis ter, vel quater repetitis. vt,

℞.olei

℞. olei viol. & nenuph. an. q̃rt ß mucilag. sem. psyllij vel cytoniorum extractæ cum aqua ptisanæ ℥ ij, caphuræ ʒ ß ceræ alb. parum, fiat linimentum pubi, perinæo, totíque peni admouendum, denique post liberatam ischuriam vlcus tergeatur & consolidetur tandem, vt potione matutina, lactis caprilli aut asinini addita terræ sigill. ʒ j vel ex decocto hordei cum trochisc. alkek. ʒ ij vel potione hydromelitis, aut aquæ ptisanæ cum syr. de rosis siccis, tãdem vero detersi vlceris consolidatio epuloticis tẽtanda est quales sunt hi trochisci.

℞. sem. frig. maiorum papauer. alb. lact. plantag. myrtillorum, gummi Arab. & tragacanth. nucleorum pineorum an. ʒ ij liquir. mund. hord. mundati mucag. psyllij amygd. dulc. an. ℥ j. boli arm. lotæ sang. drac. spodij, mastich. terræ sigill. an. ℥ ß cum oxymelite, fiant trochisci secundum artem capiat ʒ ij quotidie mane cum hydromelite vel sero caprillo.

Curatio obstructionis à mucilagine.

SI crassus & mucosus humor, tum sincerus, tum arenulis mixtus vrethram intus oppresserit qualis tum ex idiopathia vesicæ ob lithiasin infirmioris, tum ex sympathia, vel totius corporis vt in senibus, vel ventriculi, cerebrive refrigerati: vel renum vlceratorum redundare & deriuari in vesicam solet, ei quidem ischuriæ speciei protinus occurrendum est, neglecta ad tempus antecedente caussa mucaginis topicis incidentibus, attenuantibus & abstergentibus, quales sunt iniectiones vt ex oleo scorpionum, aut petroleo, vel ex oxymelite simplici, aut scyllitico, vel ex debili lixiuio in quo mucorda dissoluta sit. Tales quoque sunt fotus, litúsque

pubi,perinæo & inguinibus admouendi,tales denique clysteres. Atque post eiusmodi mucaginũ præparationem,prorítādæ mictionis caussa,à quo mucago extrudatur foras, acria quędam glandis meatui admouenda sunt vt galbanum,allia, cepæ, radix raphani,pediculus denique.

℞.rad.raphani,lapathi acuti , petrosel. & vrticæ an.qrt. j.fol.parietar.vrticæ, berulæ, cresonij, saxifrag.an.m.j.sem.lini & cumini an.qrt ß florum genist.chamæm.& malu.an.p.j. coquantur & hoc decocto foueantur pubes,inguina,perinæum.Ex magmate contuso, cretóque cataplasma concinnetur addito oleo scorpionum , amygd.amar.butyro , & axungiis,cuniculi,vel porci.Eadem materia cum oleo frixa vtiliter apponitur sicuti prædicta olea ad litum earũdem partium , sicuti ex iisdem vnguenta additis axungiis prędictis cum pauco puluere seminum incidentium vt cumini , apij , ameos , dauci, cum cera noua.Ex eodem decocto clysteres subdantur in quibus olei scorpionum &amygd.amararum an.℥ ij dissolutæ fuerint benedict.laxat. ℥ j hier. picr.℥ ß & mellis anthozati ℥ ij.

Hæc autem mucago si medicamentis non cedat, grauitérque ischuria premat, illa quidem per argaliam & fugam vacui extorquenda est. Solutâ ischuria eductáque mucagine obstruente antecedentem caussam, è reliquo corpore demoliri licet, tum per victum euchymum,calidum,siccúmque & attenuātem, tum per purgationem phlegmagogam cocti prius & præparati humoris per idoneos syrupos vt mel rosatum , oxymel simplex & compositum, de quinque radicib.de stœchad.de betonica, de artemisia, cum aquis stillatitiis beton. meliss. fœnic. agrim.

agrim. ex quibus iulepi in quatuor, aut quinque dies instituātur. Phlegmagoga simplicia sunt hermodact. agaricus, turbith, aloe, senna, carthamus: composita sunt confect. hieræ, elect. diasenna, de citro, diaphœn. &c. postremo vsurpanda diuretica remedia. vt,

℞. rad. eryngiorum, rubiæ tinctorū, rusci & asparagi per noctem in aceto albo infusarū an. ℥ ij fol. agrim. pariet. berulæ, cristæ marinæ, nasturtij aquatici, pimpin. saxifrag. granorum alkek. & maluarum an. ℥ j ß vrticæ, & lithospermi an. ℥ ß passul. purg. paria xv. cicerum rub. florum genistæ & maluę an. p. j. decoquantur in aqua ptisana & in colat. ℔ ij dissolue sacch. penidiati ℥ iij cinnam. ʒ ij capiat calidè ℥ vj per quatuor dies.

Efficacissima est maximéque diuretica aqua stillaticia sensim facta ex alembico vitreo, quæ constet materia proxima contusa cui addita sit terebenth. venetæ ℔ ß & aquæ vitæ ℥ iiij, de qua dentur mane ℥ iij: eadem vis est succi raphani destillati, & infusionis triginta baccarum iuniperi tritarum in vini alb. ℔ j. talis denique seminis vrticæ puluerati ʒ j in vino albo, vel iusculo pulli propinata: similis facultas est puluer. elect. Iustini & eius quod lithontribon vocant si ad ʒ j vel ʒ ij cum eiusmodi vino, vel iusculo propinetur.

Obstructionis vrethræ à callo, verruca & tuberculo carnoso siue phimate curatio.

CAlli & verrucæ quæ à crassa, lentáque & mucosa sorde in vrethræ anfractibus vltra modū siccescente oriri solēt: Itē tuberculi carnosi curatio duplex est: vtraque quidem artificiosa: sed vna fu-

cata ferè & imperfecta, vel etiam periculosa & funesta. Altera longa quidem sed tuta magis & sæpissime salutaris. Prima illa triplex est, vna cum carnosum tuberculum duriusculum, callúsque diutius obfirmatus cathetere violentius adacto, vberiori sanguine profuso dilacerantur, eorúmque reliquiæ mictionis impetu excernuntur, relictáq; vlcera vrinæ eiusdē siccante facultate persanantur. Hæc curationis species veteribus vsitata fuit nostrā pharmaceuticam therapiam ignorantibus authore Gal. cap.1. lib.1. de locis affectis. Cum autem recētia renum, vel vrethræ vlcera, non satis illa quidem abstergeat, siccétque, aut carunculam duriorem & vetustiorem eradat, quam nascentem adhuc, molléinque, eradere non potuit, quin potius coniuncta carunculæ vlcera vrinæ acrimonia exasperari & carunculam magis indurari contingat, sicuti etiam violentæ isti dilacerationi, phlegmone, gangræna, sphacelus, abscessus, támque funesta ischuria succedere potest, quæ miserum ægrum ante septimum diem rapiant, idcirco prima illa per catheterem & dilacerationem curandi ratio nusquam tentanda est: nisi fortasse vrgente necessitate durioris carunculæ, callique, quæ à medicamento admouendo penetrari exedique nequeant, & legibus postea describendis.

Secunda constat hydrargyrosi (post phlebotomias & purgationes legitimas & necessarias) imíque ventris, perinæi & inguinum, vnctione mercuriali, cuius multiplici repetitione liquari fortasse, fundíque carunculæ portio possit, non tota tamen consumi, dissiparíque: sicuti neque vlcera carne cō-sumpta siccari, & cicatrice muniri possunt, quin potius

potius vacante ab istis vnctionibus ægro, tum tuberculum ipsum & vlcera inualescunt, vel repullulantibus prioribus subinde symptomatis, vt ischuria, stranguria, dysuria, tum noua etiam emergunt ob hydrargyri cũ cerebro, neruosóque genere antipathiam, vt sputatio molestissima, oris exulceratio, fœtórque, & faucium strangulantes tumores.

Tertia in sola ligni guaiacini potione per totum morbi decursum vsurpanda versatur, cuius attenuante, tergente, digerente & sudorifica facultate vt tumores externos, tophaceos à venere impura, sic carunculas quoque ipsas, callósque penitus dissolui, tádémque omnino disparere, vlcere etiam sanato temerè creditum est, cum potius à guaiaco insigniter siccante carunculam indurari contingat, & ab vrinæ acrimonia ab hac guaiaci potione accensa vlcera ipsa efferentur & augeantur: tametsi enim tumoris tophacei externi, vtpote humoralis integra discussio & intestinæ morbi venerei malignitatis extinctio perfecta ab vsu guaiaci esse possit, non tamen eadem est vis eius in carunculam, aut in vlcera interna quæ decocto salsęparill. aut chinę commodius percurantur.

Altera medendi via longior quidem sed tutior est: quæ tuberculum carnosum, callosum, verrucosum exedendo purgandóque, & tandem insigniter siccando curat. Itaque medicamentorum exedentiũ & consumentium genus, magnitudinem & vsum deinceps exponemus, vbi præparationẽ huic pharmaceuticæ curationi præmittendam proposuerimus: Est autem hæc præparatio duplex, vniuersalis vna, totique corpori communis, particularis altera ęgræ parti propria. Prioris illius vnic' scopus est, vt

præcaueantur quæcumque symptomata curationi superuenire eámque interpellare possunt, qualia sunt rigor febrilis, defluxio ad partes genitales, phlegmone, abscessus, gangræna, sphacelus, atque huiusce præparationis instrumenta tria sunt, primum est victus frigidus, siccúsque & tenuis, cum summa animi & corporis tranquillitate, atque accuratissima veneris, equitationis, præcipitis ambulationis, aeris alsiosi, æstuosique & iracundiæ fuga, per totum curationis tempus, póstque illum dierum viginti spatium, ne genitalia commotis fluxionibus opprimantur, vnde notatus symptomatũ versus exoriatur. Secundum instrumentum est chirurgia quæ plethoram puram, impurámque pro ipsius viriúmque ęgrotantis modo per venam cubiti dextri præcisam exhauriat. Tertiũ est pharmacia quæ cacochymiam omnem è toto corpore excludat, tũ crassiorem vt phlegmaticam & melancholicam è prima, secundáque corporis regione per purgantia clementiora cacochymiæ speciei congruentia, qualia sunt aloe, agaricus, senna, rhabar. & epithymus, carthamus & cassia: acriora enim sanguinem incendunt, attenuant, fluxúsque comparant, tum serosam, aquosámque ex habitu per sudores, non quidem decocti guaiacini (ne aucta ab eo vrinarum acrimonia, vrethrę vlcera exasperet) sed salsæparillæ potius, vel chinæ, vel vtriusque medicamenti mixti potione excitandos. Altera pręparatio ad carunculam duram, callosam, verrucosam & inueteratam pertinet (recens enim mollísque sine ista pręparatione facile expugnabilis est) idque tum externis remediis vt insessibus, fotibus, litibus, vnguentis, & emplastris tum internis & iniiciendis.

℞. rad.

℞.rad.alth.& ebuli, apij & fœnic. an.℥ ij folior. malu.alth.pariet.orig.calam.an.m.j.caric.ping.paria vj. sem. lini & cumini an.℥j foliorũ chamæm. melil.& stœchad.an.p.j. coquantur omnia simul in hydrelæo, vel in iure omasorum vereccinorum, & spongiis hoc decocto imbutis, expressisque foueatur carunculæ sedes tepidè vtroque diluculo per horam integram. Ex eodẽ decocto:sed aucta simplicium mole insessus paretur,vel eiusdem decocti calentis tepido vapore per sellam deiectoriam è lebete,vel pelui,genitalia perfundantur:suffitus denique ex lapidis molaris,vel pyritis igne candentis, aceti acerrimi & aquæ vitæ paribus portionibus irrigati,vapor in perinæum, scrotúmque excipiatur per sellam quoque deiectoriam vestibus circumductã,cohibendi vaporis causa ne dissipetur: sed quoniam hic suffitus nimium digerens est, inter malactica alia ex vsu erit vnguentum tale.

℞. vnguenti resumptiui,de althea & agrippæ an. q̃rt.ß butyri recentis,axung.anseris,vel cuniculi an. ℥j seminis apij & petros.an. ʒ ij cum oleo amygd. dulc.& cera noua,fiat vnguentum:applicetur eidem regioni post fotum. Simile est emplastr. de mucilag.& emplastr.de ranis insigniter emolliens, atterénsque carunculam hydrargyri facultate, cuius tamen caussã,tũ emplastr.ipsum,tum mercuriata omnia vnguenta quidã temerè reformidant, ne ab illo vt censent virulenta genitalium materia sursum in viscera repellatur, mox sese proditura lue venereâ.

Methodus curatiua carunculæ absumendæ.

VTrique præparationi, tum vniuersali, tũ particulari subnectenda protinus est curatio tu-

berculi propria, quo ipsum elidatur, vlcúsque tandem consolidetur. Constat autem curatio hæc medicamentorum genere triplici, epuloticorum, quæ leuissima sunt: prima illa verè epulotica validissima siccandi, astringendíque, & penetrãdi facultate sua, sine vllo doloris & acrimoniæ sensu fungosam & luxuriantem carnem consumunt: hoc genere continentur metallica omnia vsta quidem & sæpius lota liquore vel succo refrigerante, vt rosar. plantag. solani, donec acrimoniam omnem exuerint, qualia sunt cadmia, spodium, põpholix siue tuthia, plumbum, antimon. vitriolum, æs, squama æris, ærugo, calx viua, alumen, scoria ferri. Huius quoque generis sunt, cerusa, lithargyr. terra armen. & lemnia, malicorium, balaustium, equisetum, myrtus, sabina siccata, sicuti folia oleæ syluestris & sumach: composita etiam sunt vnguentum alb. & rub. & diachalciteos & diapompholigos. Cathęretica eximio calore suo ad quartum vsque gradum & prætenui substantia tuberculum, verrucas, callósque sensim tabefaciunt: sed hæc quod acrius rodant sępe partis sanæ substantiam vna cum hypersarcosi depopulãtur, doloresques, fluxiones, ægróque perniciem tandem moliuntur, si sincera, immixtáque vsurpentur, ideoque à carunculæ medicatione longissimè remouenda putat Fernelius quæcumque cum ærugine, vitriolo, alumine, flore æris, eiusque squamã & aqua chymistarum, aliisque similibus cathæreticis & escharoticis parantur, nisi fortè multa & laboriosa præparatione mitigata, vel aliorum epuloticorum mixtione retusa, atque adeo in duriori corpore & caruncula inueterata adhibeantur, semper enim longa tutáque, breuiori, & periculosæ curationi est

ni eſt anteponenda. Tertium genus eſt mixtorum ex clementioribus epuloticis & acrioribus cathęreticis, quibus non ſola carunculæ calloſæ & verrucoſæ emollitio, attenuatióque præmittenda eſt, vt etiã vehementioribus, ſed eiuſdem etiam per catheterẽ ductum ſæpius & reductum dilaceratio.

Indicatio generis remediorum.

POrro à recenti mollíque caruncula exquiſito laborantis ſenſu, raróque & laxo habitu primi generis remedia verè epulotica indicãtur, ſicuti ab eadem caruncula inueterata dura calloſáve denſóque & duro ægri habitu & ſenſu hebetiori alterius generis validiſſimorum cathæreticorum indicatio eſt, idque poſt præmollitionem aut attritionem etiam carunculæ. Tertij denique generis mediocris inſinuatio eſt à mediocri carunculæ ſubſtantia & ętate, ſicuti ab habitu ſenſúque moderato, aut quoties affectus exigit validiora, quæ ſenſus acutus ægri contra indicat doloris vitandi cauſa. Vſus remediorum omnium continetur tempore, loco, & forma eorundem. Tempus quidem vniuerſale duplex eſt, liberũ vnum, alterum coactum: illius vſus eſt, cum morbus dat inducias, neque iſchuria, neque ſtranguria, dyſuriáve atrocior viget. Tale eſt vernum tempus ſub menſibus Martio, Aprili, Maio: & Autumnale ſub Septembri, Octobri, Nouembri. Coactum eligitur periclitante nimis ęgro & iſchuria preſſo, vtputa hyeme & æſtate media, qua non ſola caruncula ſenſim deterẽda eſt, ſed ceruix quoque ipſa confeſtim aperienda ſi vita ægri in præcipiti videatur, éſtque tum vtriuſque temporis importuni iniuria ſedulo declinanda, hyemis quidem

frigore vitato quod vesicæ aliisq; neruosis partibus inimicū est. Ætatis pariter ardor temperetur, quia humores inflammat, & ad fluxum concitat. foueatur ergo hyeme decumbentis ægri conclaue igni assiduo & luculento, æstate temperetur Aquilonio vento admisso. Locus autem opportunior est huic curationi, quo siccior est & ab insigni frigoris calorísque exuperātia magis vacuus. Particulare tempus est quo & quando vsurpanda sint remedia: die igitur noctéque cōtinenter vsurpentur in vrethra, donec obliteratæ carunculæ signa sint conspicua, de quibus postea, quæ mutentur quoties vrinæ reddēdæ gratia remota fuerint, rursúsque post mictionem reponenda.

Locus applicandi remedij.

IMmittenda quidem sunt remedia per vrethram ad sedem vsque carūculę vnius vel plurium cereolo antea exploratā, sicuti iam expositum est, idque vel candelis vel fistulis diuersis: neque enim secantis vel vrentis ferri vsum vrethrę exquisitus sensus & angustia perferre potest, neque rursus ellychniis linamentis aut penicillis, tuberculo altius latitanti, medicamenta admoueri possunt.

De forma remediorum.

ITaque remediorum istorum substantia aliàs dura lentáque est & emplastica, aliàs media vt vnguenti, aliàs liquida vt liquoris, sed prima illa quàm duæ posteriores multo tutior est, quòd hæ duæ in sanas & tenellas vrethrę partes diffluāt easq; pariter atq; carūculas ipsas cruciatu intolerabili & laniatu irreparabili sæpissimè corrodant: pręsertim si acria illa

illa veréque cathęretica sunt: leniū enim & epuloticorum nulla eiusmodi noxa metuenda est. Formantur tamen topica hæc aliquando vtraque specie media liquidáq; & carunculæ aptantur quo deinceps scribemus modo.

Applicantur autem emplastra candelæ cereæ albæ iustæ magnitudinis. i. longitudinis & crassitudinis, cuius pars cuspidi propinqua modicè derasa sit excauatáque ad latitudinem vnius pollicis, ídq; vno vel pluribus candelæ locis pro tuberculorum istorum perspecto antea exploratóque numero & sede. Est quidem altera magis insolens & ardua pulueris vsurpandi species per fistulam plumbeam cauam & parum infra cuspidem suam fenestratam, per quam immissus puluisculus virgula argentea sursum impulsa in carunculam impellitur, móxque fistula ipsa inuersa sursum fenestra eximitur. Tertia ratio est non minus quam hæc laboriosa sub vnguenti specie, quo oblitum prius linteolum tenuissimum, & candelæ cereæ obuolutum in vrethram infertur ad carunculam vsque, móxque torsionibus contrariis reuocata candela, extremo linteoli ex vrethra foras pendente, quò retrahatur mictionis premente desiderio. Cereoli vicem virgula argentea tenuissima subire potest, cui vetustissimum & tenuissimum linteolum vnguento superpositum & superlitum obuoluatur, penitúsque in vrethram ad carunculam vsque deuoluatur.

Quarta quædam ratio est eiusdem vnguenti cathęretici admouēdi per candelæ extremum nonnihil cauatum & ad carunculam vsque deterendam promotum: In omni denique vtendi via & ratione singulariter ægro cauēdum est ne à mictione vrinę

guttula, aut seminis à coitu circa carũcularũ obices restitet: sed tota pene diutius concusso excernatur, ne topicorum medicamentorum vires omnino retundat, aut vlceris vellicatione ægrum molestet.

Exempla debilium & primùm ex Fernelio.

℞. aloes opt. ʒ ij myrrh. & aristol. rotund. an. ʒ j ß tuthiæ præparatæ ʒ ß fiat omnium puluis subtilissimus, ex quo cum styrace liquida fiat emplastrum quod validissimè terget siccátque.

Simile est vnguentum eiusdem.

℞. ceruſ. litharg. auri præparat. an. ʒ ij ol. rosſ. ℥ j ol. de myrrh. ℥ ß liquefiant igne lento, deinde adde tuthiæ, stybij & spongiæ, omnium quidem vstorum & succo plantag. vel simili probè lotorum donec omnem acrimoniam deponant, & probè siccatorum in sole an. ℥ ß rad. aristol. rotundæ, myrrhæ, aloes, mastich. & plumbi crudi an. ℈ j caphuræ ℈ iiij læuigata diligenter omnia super lapide marmoreo mox in mortario plumbeo diu multúmque versando in vnguentum conformẽtur. Ab his duabus formulis, caruncula, callus, & quidquid in vrethra extuberat, eximi leniter & sine dolore, vlceráque siccari in molli præsertim habitu possunt.

Similia sunt ex Ferrio, sed dissimilis compositionis ratio, debiliũ enim pulueres ab illo miscentur cum emplastris viscosis & siccantibus vt de mucilag. diachylo paruo, cerato de cerusa, de minio de lithargyro lento igne dissolutis, ea tamen cautione, si pulueris mixtione emplastrum durius euaserit, vt oleum & axungiam gallinæ vel similis addendo, tandem manibus tractetur donec lentescat.

℞. cort.

℞. cort. malorum granatorum acidorum in vmbra ſiccatorum & puluueratorum ʒ ij alumin. ℈ j emplaſtr. de ceruſa ad ignem liquefacti ℥ j miſce. item

℞. maſſ. empl. de mucilag. ℥ ij ſucci cort. cappar, ſucci iugl. viridium vel nucum cupreſſi, vel oliuarum ſylueſtrium aut immaturarum an. ʒ iij miſceantur omnia ad ignem in formam cerati.

Valentiſsimorum exempla ex eodem Ferrio.

℞. calcis viuæ & arſenici rubri, macerentur interdum in aceto forti, deinde concorporentur cum cerati de mucilaginibus ſemuncia.

Aliud tutiſsimum & ſaluberrimum, cuiuſdam Alexandri Græci apud Ferrium.

℞. vitriol. Rom. auripig. alumin. rochæ, æruginis raſæ an. ʒ j macerentur in aceto albo, & ad ſolem exſiccẽtur repetito toties hoc labore, donec medicamenta omnem acrimoniam deponant, poſtremo miſceãtur empl. de ceruſa ℥ ij lento igni diſſoluti, donec in cerati formam coëant.

Aliud.

℞. præcipitati ʒ ij miſce cum emplaſtri de ceruſa ℥ j ß.

Aliud.

℞. flor. æris ʒ j quæ horis 24. in aceto & aq. roſ. maduerit: cum cerati de ceruſa ℥ j inungatur.

Item aliud.

℞. aquæ fortis ʒ ij cum cerati de ceruſa ſemuncia lento igne commiſceatur.

Item.

Ex aluminis combusti, æruginis rasæ combustæ, chalcanti id est vitrioli Rom. combusti an. ʒ j cum cerati de mucilag. ℥ ij concorporentur.

Mediocrium exempla ex eodem Ferrio.

℞. cerati de minio ad ignem liquefacti ℥ j succi scillæ ʒ j succi portulacæ & ol. de frumento an. ʒ ij serueant in cerati formam.

Item.

℞. cerati de cerusa ℥ j lactis folior. ficuum ad solem densati ʒ ij misce.

Item.

℞. salis gemmæ & salis marini an. ʒ j cum cerati de mucilag. ℥ j misceantur.

Item.

℞. Rad. Ellebori nigri, stercoris murini & salis parum vsti an. ʒ j cum emplastr. de cerusa vel de mucilag. ℥ j ß misceantur.

Item.

℞. albumina ouor. induratorum tria vel quatuor, vitrioli Rom. ℥ ß: misceãtur & destillẽtur ex sacculo lineo in locis humidis: deinde ℞. huius destillationis ℥ ß & misce. empl. de mucilag. ℥ ij ad ignem.

Item.

Ex Rad. serpentar. ʒ ij cum cerato de mucilaginibus: & ex nuce cupressi & colocynth. cum eodem cerato concinnetur medicamentum. Denique tutissimum & efficacissimum omnium statuit quod ex pulueris sabinæ ad solem exsiccatę ʒ j ß mixta cum cerati de mucilag. ℥ ß præparatur.

Em-

Emplast. Philippi Hispani apud Andraem Lacunam, de quo Aveiga Comment. in lib. 1. de locis aff. cap. 1.

℞. ærugin. ras. auripigm. & chalcitid. vocant vitriolum, alum. roch. an. ℥ ij hæc autem per 9. dierũ spatiũ laboriosè conterantur quotidie ex aceto acerrimo inter duos marmoreos lapides, & exficcentur ad solem canicularem donec omnem acrimoniam amiserint, túmque reponatur puluis seorsum: tum vero

℞. Argenti spumæ ℥ ij ol. rosaceo ℥ iiij quibus per cocturam redactis ad iustam & mediam consistentiam adde extra ignem pollinis illius ℥ ij indéque conficiatur empl. duriusculum, quod candelæ ceręæ vel fistulæ plumbeę constanter hæreat. Huius emplastri vis debilis quidem est: sed augetur vel minuitur pro varia puluerum proportione variáque indicatione ætatis, carunculæ, ægri sensus habitúsque, vt mollioribus carunculis, magísque acutè sentientibus ægris ad puluer. ℥ ij emplast. ℥ iiij aptentur, durioribus verò & ægris & carunculis pares emplastri & pulueris portiones misceantur.

Hoc autem emplastrum siccantissimum est sine acrimonia & doloris sensu: emplastrum est cuiusdam Itali nomine Geofredi Ioanoti pretio suo & viribus nobile quo bis mille aureorum præmio curatus est Carolus nonus Rex Frãciæ, eiúsq; iussu in rationum publicos commẽtarios Gratianopoli in computorum camera relatum fuit.

℞. Cerusæ Venetæ ℥ j olei rosati ℥ iiij, camph. & tuth. aquę rosaceo lotæ an. ℥ ß litharg. auri præparati ʒ vj antimonij pręparati & subtilissimè puluerisati

cretíque per cribrum setaceum ℥j ß trochiscor. albor. rhasis sine opio ℥ v j mastich. olibani, aloes hepaticę an. ℈ ij puluerisatis puluerandis, misceãtur omnia in mortario plũbeo & simul infundantur per spatium 24. horarum in ol. rosato, postremo agitẽtur & reducantur ad formam vnguenti, quod in pyxidem plumbeam recondatur. Est autem huius vnguẽti facultas mediocris. Cõstat. n. pluribus metallicis validissimè siccantibus sine acrimonia. Vtitur autem hoc vnguento hoc pacto: nempe cuspidi candelæ cereæ tenuissimæ & tenuissimo linteolo obuolutæ idipsum admouet vt carũculam attingat, linteolo foras pendente vt dictum est, idque mutando quoties micturit æger per spatium 15. aut 20. dierum intra quos caruncula obliterata sit.

Amatus Lusitanus decima nona curatione quartæ centuriæ Philippi emplastrum ex Lacuna repetitum proponit ad deterendam carunculam: vbi autem detritam esse carunculam coniicere licet, idque ex facili in totam vrethram candelæ cereæ penetratione, ex humoris purulenti sordidíque, ex ramentorum carnis cum vrina ipsa profusione, tum ex libera rectáque vrinæ & seminis excretione, tũ deniq; ex stranguria & dysuria maiori, ex dolore acriùs ob vlceris nuditatẽ inter meiendũ mẽtulã vrente: vbi inquã ex istis signis carunculã callumve extirpatum agnoscimus, quod quidem vsurpato Philippi emplastro intra octo aut duodecim dies, aut si alia adhibentur vt plurimum intra 20. dies contingit, tum demum ad puris sordiúmque detersionem properandum est: sed interposito spontaneo effluxu per integri octidui spacium, vt ita humoris in vrethram infusi impetu ramenta adhuc hæren-

hærentia, crassum pus, & sordes in vesicæ sinum traducantur. Est autem tergentium vsus eo vsque promouendus dum nulla humiditas excrementitia ex mẽtula destillet, sítq; stranguria, dysuriave multo quàm antea molestior.

Exemplum tergentis iniectionis.

℞. flor. centaur. minor. fol. apij & caudæ equinæ an. m̃. j. hordei integr. ℥ j coquãtur in ℔ ij aquæ purissimæ ad mediæ partis consumptionem, tum colato huic decocto adde rhodomelitis colati ℥ ij fiat iniectio per siphonem ter aut quater in die.

Huic exemplo complures aliæ tergentium iniectionum formulæ à nobis in curatione vlceris vrethræ & gonorrhœæ dictatæ cõgruunt. Est quidem tergentium facultas varianda pro diuersa puris crassitie & fœtore, ne partis corruptio sequatur, sed tamẽ Lanfranci collyrium in hoc casu à Lusitano suasum abhorreo in internis vrethræ vlceribus, quòd acrius omnino & mordacius sit, quàm tenellę parti & exquisitè sentienti conueniat & aptari possit.

Purgato iam vlceri post auulsam omnino carunculam cicatrix inducenda est, tum iniectionibus epuloticis citra morsum eximiè siccantibus, tum & vnguẽtis & emplastris, quale est illud eiusdẽ Philippi quod apud eundem Lacunam descriptum extat.

℞. aqu. stillatitiæ rosʃ. & plantag. an. ℥ iiij lactis caprilli ℥ ij cerusæ ʒ vj alum. rochæ, marmoris candidissimi seu alabastri, spodij cuius succedaneus est cinis rad. cannarum an. ʒ j ß caphuræ ℈ j. arida hæc omnia terantur accuratissimè, cribróque excussa tenuissimo, liquoribus

prędictis permiſceantur. Similia ſunt iniectionum epuloticarum apud Ferrium exempla vt ex trochiſcis de charabe, de ſpodio, ex bolo armena, terra ſigill. ſang. draconis, tuthia præparata, ærugine combuſta lotaque, in aquis prędictis diſſolutis: ſed tamē in hoc genere iniectionum metallicarū calculoſarū & arenoſarū, & quæ in veſicā recipiuntur, calculorū collectionem metuit iure Luſitanus, ideoque periculum hoc declinādum eſſe præcipit crebra earum per cribrum Hippocraticum perfuſione, cui pulujſculus obhæreſcat, ſola eius facultate per leuem decoctionem liquoribus impreſſa.

Eandem cicatricem moliri licet vnguento de minio & quocunque alio emplaſtro ex metallicis vſtis lotiſque & cum oleo omphacino vel myrtino ceraque alba concorporatis, & per ceream candelam vt dictum eſt immiſſis. Extat in hāc rem Geofredi Ioanoti epuloticum tale. ℞. vnguenti roſati recentis aqua equiſeti loti, vnguenti de ceruſa camphorati & vnguenti albi rhaſis an. ℥ j. pomatæ ſine ſpeciebus paratæ ℥ ß. ſubigantur omnia in mortario plumbeo & in vaſe vitreo aſſeruentur: hoc vnguentum tenuiſſimo linteolo exceptum & cādelæ cereæ tenuiſſimæ obuolutum vt ante dictum eſt, intromittatur.

Simile eſt epuloticum Fern.

℞. aq. plantag. & roſ. an. ℥ ij. trochiſcor. albor. rhaſis ℥ ß. boli arm. ℥ ß. fiat iniectio.

℞. cortic. granator. vſti, gallæ vſtæ, tuthiæ præparat. plumbi vſti an. ʒ j. ß. macerentur omnia in aqua roſ. horis duodecim, deinde ad ignem ſiccentur, & in lapide marmoreo cum oleo myrtino, & caphuræ ʒ ß. in vnguentum concinnentur.

Paræus

Paræus efficaciſſimum prædicat hunc puluerem epuloticum omníſque morſus expertem.

℞. lapidem calaminarem lotum, teſtas ouorum vſtas, corallum rubrum, corticem granator. fiat pollen, & applicetur cum cerea candela vnguento de minio vel de ceruſa oblita.

Recidiuæ præcautio.

Vbi perfectæ cicatricis coniectura fuerit ex vrinæ ſine dolore libera transfluxione: tũ vero recidiuæ vel potius rediuiuæ carunculæ præcautio ad duos ſcopos referri debet: vnus eſt vt abſit humorũ & vrinarum mordax acrimonia, alter vt contagioſus aut frequens nimis & libidinoſus concubitus fugiatur. Ab illa enim recens molliſque cicatrix exeditur, ab hoc præ violenta vrinæ diſtenſione reſoluitur eadem diuellitúrque. Primus ſcopus comparatur tum diæta frigida ſiccáque ciborum omnium acrium, ſalſorum, piperatorum frixorum & condimentorum experte, improbíque laboris, vigiliarũ, iracũdiæ, mœroris & curarũ grauiorum, tũ etiã crebra purgatiũcula humorũ bilioſorum ſalſorúmque, vt ex caſſiæ medulla pauco mixto rhabarb. vel ex huius & agar. trochiſcati in ſero caprillo infuſione, additóque ſyr. roſ. laxatiuo vel de cichorio compoſito: Alter autem ſcopus cõparatur tum libidinis veneríſque importunæ fuga, tum denique tenellæ cicatricis confirmatione & induratione, vt per fiſtulam plumbeam hydrargyro illitam quæ noctu diúque geſtetur, tantúmque mictionis gratia extrahatur, vel per ceream cãdelam, quæ vnguento de minio vel ſimili emplaſtico inducatur.

Quod si nihilominus renascentis tuberculi rudimentum quoddam ex difficili aliqua vrinæ emissione ex immisso cathetere vel candelæ sentiatur, idipsum cera viridi vel admixto etiam olei vitrioli momento protinus elidendum est, & cicatrix vt dictum est confirmanda.

De correctione symptomatum.

CVrationi carunculæ callíque vrethræ grauissima sæpe superueniunt symptomata, quæ illam nō modo interpellent, sed ægrum etiā medico quamlibet sagaci eripiant: eiusmodi sunt hæmorrhagia, dolor ardórque & inde rigor, febris, fluxio inflammatio, abscessus, ischuria insuperabilis, sphacelus, mors, quibus omnibus promiscuè occurritur tum diæta frigida humidáque & tenui per totum curationis carunculæ spatium, ita vt omnis intemperies calidior frigidiórque aeris, ciborum, animíque & corporis motus longissimè arceatur: tum pharmacia, per leuem purgationē in ipso curationis tuberculi progressu frequenter vsurpandam tā per iniiciēda vt clysterem lenientē, quàm per assumenda vt mannam, cassiam, syrupum de cichorio compositū & rosatū laxatiuū, diacatholicon diapr. simplex infusum rhei & agar. thochiscati:tū deniq; chirurgia per phlebotomiam sub initium curationis celebrandam. Eadem vero symptomata præsentia & iam ægrum prementia peculiariter propriisque remediis curanda sunt: Si qua igitur insignis hæmorrhagia & vberior sanguinis effusio ex rupta à cathetere vel erosa à cathæretico medicamento mentulæ venula arteriáve obrepserit, ea quidē protinus cōprimēda est tū reuulsionū speciebus omnibus

bus vt per phlebotomiam venarũ cubiti paucâ crebráq; per bracchiorũ frictiones & deligationes dolorificas, per cucurbitularũ ſiccarũ ad hypochõdria & lumbos appoſitionem, tum verò repercuſſionibus per topica frigida ſiccáque & aſtringentia admouenda immittendáque. Admouendorum exemplum eſt.

℞ ſuccor. plantag. & ſolan. an. ℥ iiij aceti roſati ℥ ij foueatur inde regio pubis, perinęi & lumborũ: iiſdem liquoribus adde albumina ouor. duorum, puluer. boli armenę, myrtillorum, roſar. rubrar. ſanguinis draconis, terræ ſigill. cortic. mali punici an. ʒ ij maſtich. ℥ ß miſceâtur ad ignem in cataplaſma quod à fotu ſtupis cannabinæ exceptum eidem regioni admoueatur ter aut quater in die. Ex iiſdẽ ſuccis cum farina hordei fiat quoque cataplaſma. Salutare admodum eſt vnguentum de ceruſa camphoratum, ſicuti lumbis etiam poſt fotum prædictum aut. ex aqua aluminoſa apprimè conducit lamina plumbea ſuperinducta quæ hydrargyro illita ſit. Ex immittendis alia liquida ſunt vt per ſiphunculum in vrethram iniiciantur: quales ſunt ſucci & aquæ ſtillatitię herbarum refrigerantium, plantag. ſolani, ſẽperuiui, equiſeti, permixto oui albumine vel bolo armena, ſanguine draconis & corallio diſſolutis & excolatis: alia duriora ſunt vt vnguenta & emplaſtra epulotica prædicta per ceream candelam intromittenda ad carunculæ ſedem; dolor ardórque vel ex catheteris attritu, vel ex cathæretici remedij eroſione, vel ex vlceris puri nudique ab vrina acri vellicatione accenſus anodynis refrigerantibus humectantibúſque ſedandus & extinguendus eſt, omiſſa interim carun-

culæ curatione detractáque ad tempus candela cerea. Ex injiciendorum genere sunt lac caprillum, asininum, vel sincerum vel dilutum succo vel aqua plantaginis, solani, semperuiui.

Mucago etiam seminum psyllij & cydoniorum extracta ex iisdem succis aquísque frigidis multúmque cum caphuræ ʒ ß agitata fit liquidior vt iniiciatur. Sic & albumen oui cum aqua rosata & caphuræ eadem dosi multum agitatum. Simile est decoctum hordei mũdati, flor. violar. rosf. & seminis psyllij & cydoniorum, addito præsertim syr. violato: hęcautẽ omnia per siphũculum in penem sunt immittenda diúque ibidem continenda, manu etiam ne effluat glande apprehensa, sicq; per candelã intromissum vnguentum album rhasis cum opio promptissimè dolorem ardorémque omnem demulcet & extinguit. Ex admouendis autem sunt fotus ex oxycrato vel ex succis aquisue frigidarum plantarum addito aceti rosacei triente: item cataplasmata ex farina hordei cum iisdem succis. In assumendis denique numerantur syr. violaceus, nenupharin. de althea ex cochleari ante singulos pastus ℥ ij pondere assumendus.

Quod si crucians dolor ardórque exurens ad ceruicem vesicæ aut carunculæ sedem, fluxionem prolectarit vnde inflammatio & pestifera metuatur ischuria, tum verò reuulsionum species omnes in hæmorrhagiæ curatione modo enumeratæ, quantumuis eædem quoque sub initium curationis tuberculi vsurpatæ fuerint, denuo tamen vsurpandæ sunt, maximè verò purgatio & sanguinis missio per venas cubiti, quanquam saphenæ in poplite aut malleolo apertio recentis defluxionis de-

deriuationi, partísque oppressæ leuationi primùm conducit, mox quoque topica repellentia in eadem hæmorrhagiæ curatione proposita super dolentem & æstuātem partem aliásque vicinas applicāda sunt, eáque tepida non valde calida ne humores fusi concitentur: postmodum autem in augmento statúque repellentibus mixta digerentia, sicuti in declinatione digerentia sola. vt

℞. olei chamęm. liliorum, rosa. & myrtill. an. partes æquales: cum cera alba, fiat vnguentum.

℞. folior. plantagin. solani, summitatum rubi absinth. oleæ, orig. calament. an. m. j. ros. rub. flor. cham. & melil. an. p. j. coquantur & hoc decocto foueatur pars dolens.

℞. residentiam contusam & cribratam, cui adde farinæ hordei & fabarum an. ℥ iij axung. porci quart. j. fiat cataplasma. Et illa quidem in augmento & statu, in declinatione verò hæc ℞. ol. chamęm. & anethini vel lilior. & sapæ an. ℔ ß farinę lentium fabar. cicer. rubror. an. quart. ß seminis cumini ℥ ß fiat cataplasma addendo puluer. flor. chamęm. & meliloti ℥ j.

Abscessus curatio.

IAm verò si non repulsa digestave phlegmone, vel nullis vel certè tardius adhibitis remediis in abscessum degeneret qui foras vergat manifesto tumore, rubore & dolore lancinante: tum suppuratio eius arte iuuanda est, & ecpyiticis remediis accelerada, quale est catapl. hoc

℞. rad. alth. & lilior. an. quart. j. folior. maluæ, altheæ, achanti an. m. j. flor. chamæm. melil. an. p. j.

caricar.ping.paria iiij.passul. purgat. paria xx. coquantur & colentur. Hoc decocto pars foueatur ex gossipio, deinde adde residentiæ contusæ & colatæ, farinæ lilij, fœnugr. & tritici an. ℥ ij butyri, axung. gallin. adipis suilli an. quart. ß tandémque vitellos ouorum ij. fiat cataplasma.

Tale etiã est basilicũ vtrumque, & in frigidiori materia empl. diachylon, & de mucilagin. suppuratus autem abscessus scalpro vel cautero potius actuali aperiendus est, ante perfectam etiam suppurationem, vt emisso pure & soluta ischuria ceruix vesicæ vrinam liberè transmittat.

Gangrænæ & sphaceli curatio.

Quod si à magnitudine fluxionis non repressa gangrenę tandémque sphaceli periculum impēdeat, tum cataplasmati ecpyitico pauca digerentia intermiscenda sunt, quæ redundantis partémque opprimentis fluxionis portionem dissipent, vt pars melius perspiret & à putredine vindicetur.


Eiusmodi sunt farinæ fabarum, lentium, orobi & lupinorum, sed si ne hac quidem arte & cautione gangrænæ & sphaceli perniciem amoliri licet, tunc ad ferrum ignémque, & corruptæ & emortuæ substantiæ auulsionem celeriter decurrendum est, ne pars sincera trahatur vitaque ægro rapiatur. Interea dum phlegmones abscessus & gangrænæ curationi prudens incumbit medicus, restitantem vrinam sedulo proliciat vel cereolo, vel potius cathetere in vesicam demisso, qui plumbeus sit caúsque, & butyro vel oleo oblitus, per quem vrina profluat, ideóque continenter gestandus

ſtandus donec curatio tota expedita ſit. Denique ſi hæc quoq; ars tumoris mole & duritie eludatur, adeo vt catheterem non tranſmittat, tum ceruix veſicę vulnerãda eſt, vt ex vulnere liberius vrina defluat, donec tumor ſubſederit, vel digerendo ſuppurandóue, vel eradendo & comminuendo.

***

FINIS LIBRI PRIMI.





IOANNIS HVCHERI BELLOVACI CONSILIARII MEDICIQVE REGII, ET MONSPELIENSIVM Medicorum Cancellarij, de Sterilitate vtriusque sexus.

LIBER SECVNDVS,

DE STERILITATE MVLIEBRI IDIOPATHICA.

IOANNIS HVCHERI ORAtiuncula ad discipulos habita de therapia vterinorum morborum, & symptomatum.

MAGNVM sanè, arduúmq; valde, & præclarum aggredimur argumentum (discipuli charissimi) cui haud scio an doctrinæ varietate, necessitate & vsu, vllum aliud iure conferri in tota medicina possit. Continet enim muliebres affectus omnes: qui multitudine sua & frequentia, sæuitia, magnitudine, notionis denique, & curationis difficultate, cæteras humani corporis ægritudines longè, latéque vincunt.

Li

Liceat mihi igitur apud vos physicarum & medicarum rerum adolescentes studiosissimos abdita quædam almæ & procreatricis naturæ consilia, de sexuum duorum maris & fœminæ discrimine : de officiorum & instrumentorum cuiusque opportunitate,breuiter perorare.

Hanc vniuersitatem totam , quam mundum vocamus, in superiorem & inferiorem regionem natura partita est.Illam cœli nomine,ex vnico excitauit elemēto simplici,feréque immutabili,& sempiterno.Huic enim nullum materiæ communis commercium cum aliis inferioris mūdi partibus interesse voluit : neque id ipsum cum illis ipsis inuicem commutari ; sed illi vni motum circularem perpetuum , sibíque ipsi semper similem, æternitatis suæ testem affinxit:nō tamen vt ad locum aliū accedat, cùm sit cœlū perfectissimum , nihilq; ei desit,quod loci mutatione consequatur:sed vt quam simillimū primo motori suo Deo,licet immoto & constanti, euadat , & quemadmodum ille vbique est , sic vbique cœlum quoque sit quoquomodo possit.

Inferiorem autem , & sublunarem eiusdem vniuersitatis partem ex simplicibus elementis quatuor igni,aëre,aqua,& terra conglutinauit. Quorum incertam lubricam sempérque nutantem naturā,cum primarum qualitatū , quarum singulis singulæ præsunt,coniurata inter se discordia,tum subiectæ materiæ primæ , mutabilis varietas efficit. Hæc enim ipsa nihil est aliud , quam potestas quædam excipiendis vicissim rerum dissimillimis formis destinata , ex quibus recentes nouæque excussis prioribus protinus succedant. Proinde illa tandem elementa mutari necesse est, si quidem potestas hęc,

prędictis permiſceantur. Similia ſunt iniectionum epuloticarum apud Ferrium exempla vt ex trochiſcis de charabe, de ſpodio, ex bolo armena, terra ſigill. ſang. draconis, tuthia præparata, ærugine combuſta lotaque, in aquis prędictis diſſolutis: ſed tamẽ in hoc genere iniectionum metallicarũ calculoſarũ & arenoſarũ, & quæ in veſicã recipiuntur, calculorũ collectionem metuit iure Luſitanus, ideoque periculum hoc declinãdum eſſe præcipit crebra earum per cribrum Hippocraticum perfuſione, cui puluiſculus obhæreſcat, ſola eius facultate per leuem decoctionem liquoribus impreſſa.

Eandem cicatricem moliri licet vnguento de minio & quocunque alio emplaſtro ex metallicis vſtis lotiſque & cum oleo omphacino vel myrtino ceraque alba concorporatis, & per ceream candelam vt dictum eſt immiſſis. Extat in hãc rem Geofredi Ioanoti epuloticum tale. ℞. vnguenti roſati recentis aqua equiſeti loti, vnguenti de ceruſa camphorati & vnguenti albi rhaſis an. ℥ j. pomatæ ſine ſpeciebus paratæ ℥ ß. ſubigantur omnia in mortario plumbeo & in vaſe vitreo aſſeruentur: hoc vnguentum tenuiſſimo linteolo exceptum & cãdelæ cereæ tenuiſſimæ obuolutum vt ante dictum eſt, intromittatur.

Simile eſt epuloticum Fern.

℞. aq. plantag. & roſ. an. ℥ ij. trochiſcor. albor. rhaſis ℥ ß. boli arm. ℥ ß. fiat iniectio.

℞. cortic. granator. vſti, gallæ vſtæ, tuthiæ præparat. plumbi vſti an. ʒ j. ß. macerentur omnia in aqua roſ. horis duodecim, deinde ad ignem ſiccentur, & in lapide marmoreo cum oleo myrtino, & caphuræ ʒ ß. in vnguentum concinnentur.

Paræus

Paræus efficaciſſimum prædicat hunc puluerem epuloticum omniſque morſus expertem.

℞. lapidem calaminarem lotum, teſtas ouorum vſtas, corallum rubrum, corticem granator. fiat pollen, & applicetur cum cerea candela vnguento de minio vel de ceruſa oblita.

Recidiuæ præcautio.

Vbi perfectæ cicatricis coniectura fuerit ex vrinæ ſine dolore libera transfluxione: tũ vero recidiuæ vel potius rediuiuæ carunculæ præcautio ad duos ſcopos referri debet: vnus eſt vt abſit humorũ & vrinarum mordax acrimonia, alter vt contagioſus aut frequens nimis & libidinoſus concubitus fugiatur. Ab illa enim recens molliſque cicatrix exeditur, ab hoc præ violenta vrinæ diſtenſione reſoluitur eadem diuellitúrque. Primus ſcopus comparatur tum diæta frigida ſiccáque ciborum omnium acrium, ſalſorum, piperatorum frixorum & condimentorum experte, improbíque laboris, vigiliarũ, iracũdiæ, mœroris & curarũ grauiorum, tũ etiã crebra purgatiũcula humorũ bilioſorum ſalſorúmque, vt ex caſſiæ medulla pauco mixto rhabarb. vel ex huius & agar. trochiſcati in ſero caprillo infuſione, additóque ſyr. roſ. laxatiuo vel de cichorio compoſito: Alter autem ſcopus cõparatur tum libidinis veneríſque importunæ fuga, tum denique tenellæ cicatricis confirmatione & induratione, vt per fiſtulam plumbeam hydrargyro illitam quæ noctu diúque geſtetur, tantúmque mictionis gratia extrahatur, vel per ceream cãdelam, quæ vnguento de minio vel ſimili emplaſtico inducatur.

Quod si nihilominus renascentis tuberculi rudimentum quoddam ex difficili aliqua vrinæ emissione ex immisso cathetere vel candelæ sentiatur, idipsum cera viridi vel admixto etiam olei vitrioli momento protinus elidendum est, & cicatrix vt dictum est confirmanda.

De correctione symptomatum.

CVrationi carunculæ callíque vrethræ grauissima sæpe superueniunt symptomata, quæ illam nõ modo interpellent, sed ægrum etiã medico quamlibet sagaci eripiant: eiusmodi sunt hæmorrhagia, dolor ardórque & inde rigor, febris, fluxio inflammatio, abscessus, ischuria insuperabilis, sphacelus, mors, quibus omnibus promiscuè occurritur tum diæta frigida humidáque & tenui per totum curationis carunculæ spatium, ita vt omnis intemperies calidior frigidiórque aeris, ciborum, animíque & corporis motus longissimè arceatur: tum pharmacia, per leuem purgationẽ in ipso curationis tuberculi progressu frequenter vsurpandam tã per iniiciẽda vt clysterem lenientẽ, quàm per assumenda vt mannam, cassiam, syrupum de cichorio compositũ & rosatũ laxatiuũ, diacatholicon diapr. simplex infusum rhei & agar. thochiscatitũ deniq; chirurgia per phlebotomiam sub initium curationis celebrandam. Eadem vero symptomata præsentia & iam ægrum prementia peculiariter propriísque remediis curanda sunt: Si qua igitur insignis hæmorrhagia & vberior sanguinis effusio ex rupta à cathetere vel erosa à cathæretico medicamento mentulæ venula arteriáve obrepserit, ea quidẽ protinus cõprimẽda est tũ reuulsionũ speciebus omnibus

bus vt per phlebotomiam venarũ cubiti paucã crebráq;,per bracchiorũ frictiones & deligationes dolorificas,per cucurbitularũ ſiccarũ ad hypochõdria & lumbos appoſitionem,tum verò repercuſſionibus per topica frigida ſiccáque & aſtringentia admouenda immittendáque. Admouendorum exemplum eſt.

℞ ſuccor. plantag. & ſolan. an. ℥ iiij aceti roſati ℥ ij foueatur inde regio pubis,perinęi & lumborũ: iiſdem liquoribus adde albumina ouor. duorum, puluer. boli armenę,myrtillorum,roſar. rubrar. ſanguinis draconis,terræ ſigill. cortic. mali punici an. ʒ ij maſtich. ℥ ß miſceatur ad ignem in cataplaſma quod à fotu ſtupis cannabinæ exceptum eidem regioni admoueatur ter aut quater in die. Ex iiſdẽ ſuccis cum farina hordei fiat quoque cataplaſma. Salutare admodum eſt vnguentum de ceruſa camphoratum, ſicuti lumbis etiam poſt fotum prædictum aut ex aqua aluminoſa apprimè conducit lamina plumbea ſuperinducta quæ hydrargyro illita ſit. Ex immittendis alia liquida ſunt vt per ſiphunculum in vrethram iniiciantur: quales ſunt ſucci & aquæ ſtillatitię herbarum refrigerantium,plantag. ſolani, ſẽperuiui,equiſeti,permixto oui albumine vel bolo armena, ſanguine draconis & corallio diſſolutis & excolatis: alia duriora ſunt vt vnguenta & emplaſtra epulotica prædicta per ceream candelam intromittenda ad carunculæ ſedem; dolor ardórque vel ex catheteris attritu, vel ex cathæretici remedij eroſione, vel ex vlceris puti nudique ab vrina acri vellicatione accenſus anodynis refrigerantibus humectantibúſque ſedandus & extinguendus eſt, omiſſa interim carun-

culæ curatione detractáque ad tempus candela cerea. Ex inijciendorum genere sunt lac caprillum, asininum, vel sincerum vel dilutum succo vel aqua plantaginis, solani, semperuiui.

Mucago etiam seminum psyllij & cydoniorum extracta ex iisdem succis aquísque frigidis multúmque cum caphuræ ʒ ß agitata fit liquidior vt iniiciatur. Sic & albumen oui cum aqua rosata & caphuræ eadem dosi multum agitatum. Simile est decoctum hordei mũdati, flor. violar. rosf. & seminis psyllij & cydoniorum, addito præsertim syr. violato: hęcautẽ omnia per siphũculum in penem sunt immittenda diúque ibidem continenda, manu etiam ne effluat glande apprehensa, sicq; per candelã intromissum vnguentum album rhasis cum opio promptissimè dolorem ardorémque omnem demulcet & extinguit. Ex admouendis autem sunt fotus ex oxycrato vel ex succis aquisue frigidarum plantarum addito aceti rosacei triente: item cataplasmata ex farina hordei cum iisdem succis. In assumendis denique numerantur syr. violaceus, nenupharin. de althea ex cochleari ante singulos pastus ℥ ij pondere assumendus.

Quod si crucians dolor ardórque exurens ad ceruicem vesicæ aut carunculæ sedem, fluxionem prolectarit vnde inflammatio & pestifera metuatur ischuria, tum verò reuulsionum species omnes in hæmorrhagiæ curatione modo enumeratæ, quantumuis eædem quoque sub initium curationis tuberculi vsurpatæ fuerint, denuo tamen vsurpandæ sunt, maximè verò purgatio & sanguinis missio per venas cubiti, quanquam saphenæ in poplite aut malleolo apertio recentis defluxionis de-

deriuationi, partísque oppressæ leuationi primùm conducit, mox quoque topica repellentia in eadem hæmorrhagiæ curatione proposita super dolentem & æstuãtem partem aliásque vicinas applicãda sunt, eáque tepida non valde calida ne humores fusi concitentur: postmodum autem in augmento statúque repellentibus mixta digerentia, sicuti in declinatione digerentia sola. vt

℞. olei chamęm. liliorum, ros. & myrtill. an. partes æquales: cum cera alba, fiat vnguentum.

℞. folior. plantagin. solani, summitatum rubi absinth. oleæ, orig. calament. an. m. j. ros. rub. flor. cham. & melil. an. p. j. coquantur & hoc decocto foueatur pars dolens.

℞. residentiam contusam & cribratam, cui adde farinæ hordei & fabarum an. ℥ iij axung. porci quart. j. fiat cataplasma. Et illa quidem in augmento & statu, in declinatione verò hæc ℞. ol. chamęm. & anethini vel lilior. & sapæ an. ℔ ß farinę lentium fabar. cicer. rubror. an. quart. ß seminis cumini ℥ ß fiat cataplasma addendo puluer. flor. chamęm. & meliloti ℥ j.

Abscessus curatio.

IAm verò si non repulsa digestave phlegmone, vel nullis vel certè tardius adhibitis remediis in abscessum degeneret qui foras vergat manifesto tumore, rubore & dolore lancinante: tum suppuratio eius arte iuuanda est, & ecpyiticis remediis acceleranda, quale est catapl. hoc

℞. rad. alth. & lilior. an. quart. j. folior. maluæ, altheæ, achanti an. m. j. flor. chamæm. melil. an. p. j.

caricar.ping.paria iiij.passul. purgat. paria xx. coquantur & colentur. Hoc decocto pars foueatur ex gossipio, deinde adde residentiæ contusæ & colatæ, farinæ lilij, fœnugr. & tritici an.℥ ij butyri, axung. gallin. adipis suilli an. quart. ß tandémque vitellos ouorum ij. fiat cataplasma.

Tale etiã est basilicũ vtrumque, & in frigidiori materia empl. diachylon, & de mucilagin. suppuratus autem abscessus scalpro vel cautero potius actuali aperiendus est, ante perfectam etiam suppurationem, vt emisso pure & soluta ischuria ceruix vesicæ vrinam liberè transmittat.

Gangrænæ & sphaceli curatio.

Quod si à magnitudine fluxionis non repressa gangrenę tandémque sphaceli periculum impẽdeat, tum cataplasmati ecpyitico pauca digerentia intermiscenda sunt, quæ redundantis partémque opprimentis fluxionis portionem dissipent, vt pars melius perspiret & à putredine vindicetur.

Eiusmodi sunt farinæ fabarum, lentium, orobi & lupinorum, sed si ne hac quidem arte & cautione gangrænæ & sphaceli perniciem amoliri licet, tunc ad ferrum ignémque, & corruptæ & emortuæ substantiæ auulsionem celeriter decurrendum est, ne pars sincera trahatur vitaque ægro rapiatur. Interea dum phlegmones abscessus & gangrænæ curationi prudens incumbit medicus, restitantem vrinam sedulo proliciat vel cereolo, vel potius cathetere in vesicam demisso, qui plumbeus sit cauúsque, & butyro vel oleo oblitus, per quem vrina profluat, ideóque continenter gestandus

ſtandus donec curatio tota expedita ſit. Denique ſi hæc quoq; ars tumoris mole & duritie eludatur, adeo vt catheterem non tranſmittat, tum ceruix veſicę vulnerãda eſt, vt ex vulnere liberius vrina defluat, donec tumor ſubſederit, vel digerendo ſuppurandóue, vel eradendo & comminuendo.

***

FINIS LIBRI PRIMI.



Liceat mihi igitur apud vos physicarum & medicarum rerum adolescentes studiosissimos abdita quædam almæ & procreatricis naturæ consilia, de sexuum duorum maris & fœminæ discrimine: de officiorum & instrumentorum cuiusque opportunitate, breuiter perorare.

Hanc vniuersitatem totam, quam mundum vocamus, in superiorem & inferiorem regionem natura partita est. Illam cœli nomine, ex vnico excitauit elemēto simplici, feréque immutabili, & sempiterno. Huic enim nullum materiæ communis commercium cum aliis inferioris mūdi partibus intercesse voluit: neque id ipsum cum illis ipsis inuicem commutari; sed illi vni motum circularem perpetuum, sibíque ipsi semper similem, æternitatis suæ testem affinxit: nō tamen vt ad locum aliū accedat, cùm sit cœlū perfectissimum, nihilq; ei desit, quod loci mutatione consequatur: sed vt quam simillimū primo motori suo Deo, licet immoto & constanti, euadat, & quemadmodum ille vbique est, sic vbique cœlum quoque sit quoquomodo possit.

Inferiorem autem, & sublunarem eiusdem vniuersitatis partem ex simplicibus elementis quatuor igni, aëre, aqua, & terra conglutinauit. Quorum incertam lubricam sempérque nutantem naturā, cum primarum qualitatū, quarum singulis singulæ præsunt, coniurata inter se discordia, tum subiectæ materiæ primæ, mutabilis varietas efficit. Hæc enim ipsa nihil est aliud, quam potestas quædam excipiendis vicissim rerum dissimillimis formis destinata, ex quibus recentes nouæque excussis prioribus protinus succedant. Proinde illa tandem elementa mutari necesse est, si quidem potestas hęc,

quæ alioqui frustra sit, in actum exitura aliquando sit, eadémque ex seipsis inuicem propagari, atque adeo eorum vnumquodque, mutuo præsertim symbolo iunctorum, in vnoquoque potestate desidere, stabulari, latitare statuendum est.

Mixta autem è quatuor primis illis, & simplicibus elementis corpora, vagam pariter, fluxámque, & caducam naturam, tum ex eadem materiæ secundæ inconstantia, tum ex primarum qualitatum capitali inter se & intestino dissidio, sortita sunt. Ab hoc enim euersa tandem, ex mixtorum substantiis prior forma recedit, móxq; noua alia & recentior ad eandem accedit, quæ aut temperies est, aut certè vis quædam diuinior in temperie constituta.

Porrò mixtorum genus vniuersum duplex omnino est, perfectorum, & imperfectorum. Ex quibus hæc firma constantique forma orbata, finitimam affinium elementorum speciem celeriter faciléque subeunt. Talia sunt meteora omnia. Illa autem bipartita sunt, animata nempe, & inanimata. Horum (quæ subterranea sunt) quatuor ex materię discrimine, notantur differentiæ: lapidum, succorum, terrarum, metallorum. Illorum formæ, vitæque varietas tres veluti tribus & familias digessit, vegetatiuorum, seu plantarum vnam; sentientium, seséque mouentium, & brutorum alteram; intelligentium, vt hominum, tertiam.

Hîc hîc vos appello (physici & medici auditores) hîc physeos & naturæ velut rerum omnium sapientissimi architecti numen eximium, & singularem in conseruando hoc vltimo mixtorum genere curam, industriam, & prouidentiam accuratè attendite, animaduertite, recognoscite. Etenim cum miseram

ram prorſus hominum ſortem ſine vitæ æternitate illa duxiſſet, (quam tamen repugnantibus principiorum originis ſuę viribus oppugnari, tandemque expugnari meminiſſet) vitam ſane ipſorum propagatione ſpecierum, inſitóque generationis deſiderio perpetuauit. Hinc enim ex ſeneſcente, marceſcente, penitúſque tabeſcente nouum hominem ſuſcitat: & moribundi parentis animam veluti per manus liberis traditam, ad infinitam poſteritatis ſeriem tranſmittit.

Ergo generationis principia duo, ſemen, & menſtruum, totidémque ſexus marem & fœminam, in hominum vt & brutorum genere, naturæ ſolertia & benignitas commenta eſt: vt ab illo generatrix facultas, ab hac idonea generationis materia conferretur. Hîc rurſum mentes veſtras erigite: hîc acumen veſtrum excitate, & admirabilem naturę ſapientiam in hoc fingendo ſexuum diſcrimine ſuſpicite. Vtrumque enim generationis principium ambóſque maris & fœminæ ſexus, aliter quàm in plantis, (quarum eſt vnicum generandi, ſéque ipſas alendi ſtudium) in animãtibus: ſed præſertim hominum ſpecie diſcerni voluit, vt ſublimioribus mentis operibus vacare poſſint, quibus omnes, præter alendi generandíque communem plantis omnibus & animalibus facultatem, magis minúſve vigere hinc deprehenduntur, quòd ſenſu valeant, qui cognitionis ſpecies quædam eſt, motus quoque tanquam functionis huius adiutor tum hominibus, tũ cæteris animalibus adiunctus eſt: íſque duplex. Vnus quidem illuſtrior, loci mutatione conſtans, in iis animalibus, quæ κινητικὰ vocantur. alter obſcurior, ex partium contractione ſola & remiſſiône,

cuiusmodi est spongiarum, & ostrearum. Vterque sane declinandi, prosequendíve eius causa, quod noxium, vel vtile à sensu in primis perceptum, deinde à mente iudicatum sit. Itaque in animalium genere neque mas solus (quod procreationis loco, fœtúsque commeatu & alimento careat) neque fœmina sola, (quod procreatrice facultate spoliata sit) propriis procreandi viribus quicquam præstitisse vnquam visi sunt. Quinpotius amborum sexuum coitus ad procreationem necessarius semper fuit: non quidem vt ex iis inter se mixtis omninóque occumbentibus, nouum animal reuiuiscat: sed vt eorum facultates in vtero confundantur, cum semine sexus vtriusque, quod subinde attracto permixtóque sanguine menstruo conformetur, alatur, & augeatur. Ergo maribus colem ad seminis emissionem, fœminis vterum ad eiusdem admissionem, fœtúsque ex eo ipso & menstruo conformationem natura largita est. Sed enim omissa parumper de seminis menstruíque facultate & natura, disputatione: nunc de fœcundis sexuum congressibus, eorúmque causis modicè philosophandum est.

Coitus animalium materiam, semen nimirum, item instrumenta, colem & vterum, modò designauimus: cæteras eiusdem causas deinceps apponamus. Coitum enim efferata quædam libido, & titillans voluptas incredibiliter prouocant, ex quibus illa testium vasorúmque spermaticorũ vrens quædam prurigo est: dum illa vel opprimente seminis copia, vel pungente acrimonia, spiritúque inflammante lacessita, vehementi eiusdem excernendi desiderio noctu, diúque sollicitantur. Hanc autem seminis excretionem tanto maior comitari voluptas solet:

ſolet, quanto ſeminis moleſtia, ex redundantia vel acrimonia,intolerabilior eſt, quanto voluptatis eiuſdem prætcritæ recordatio maior, quantóque exquiſitior genitalium extremis ingenitus à natura ſenſus eſt. Itaque brutorum omnium coitus ſola ſeminis exuperantia accendi ſolet, vt grauioribus eius tædiis liberentur: eorúmque mares expleta ſemel libidine ſua,omnino deſęuiũt,fœminę quoque eorundẽ grauidæ factæ, omnẽ veneris conſuetudinem prorſus abhorrent & refugiunt, nulláque omnino brutorum genus voluptatis venereæ memoria ad coitum commouetur. Sed in hominum genere, vterque ſexus tam vehementer ab hac percellitur, vt omni temporum corporúmque ſtatu libidini ſuæ procaciter indulgeant: Neque enim virorum furor muliebrium genitalium obſcœnitate reprimitur: neque fœminarum libido fœtationis nonimeſtris vel decimeſtris moleſtiſſimis tædiis, neque acerbiſſimis partuum doloribus: neque grauiſſimis biennis vel triennis lactationis ærumnis, ab iſtis veneris delitiis reuocatur. Tanta vis eſt voluptatis venereæ, & titillatio: vt moleſtiarum memoriam, metúmque periculorum omnium ex animis hominum deleat,penitúſque euellat. Tametſi autem conueniens temperies, victúſque ſalubrior ſeminis plurimum hominibus conciliet: voluptatis tamen multò maiorem ad coitum, quam libidinis impetum eſſe, luculentiſſimè declarat, tam multiplex,tam violentus, támque frequens multorum hymenęus coitúſque, vt exhauſto ſemine toto, ſanguinem ſuum profundant. Eorum denique, qui ſpretis veneris illecebris omnibus, vnius prolis gratia,nulláque laceſſente voluptate, in res ve-

nereas incumbunt, rarissimum est, víxque vnquam in vita cōmuni compertum temperantiæ exemplū.

Quare præter libidinem & seminis affluentiam, eiúsque emittendi, admittendíque instrumēta duo, colem & vterum: maximā vim in coitibus animaliū quorumlibet, hominum prçsertim, voluptatis spes, eiúsque præteritæ recordatio sibi vendicant.

Fœminarum igitur à maribus discrimen falso confictum videtur, tum ex corporum exiguitate, cùm in vrsorum & aquilarum genere, roboris & proceritatis fœminarum laus præcipua sit: tum ex ingeniorum infirmitate, à quibus tamen superari, nedum æquari viros: si modo studium & industria non desit: quotidie compertum est: tum denique ex monstrosa earum natura: cum earundem multitudo vsúsque ad sobolis propagationem, & vitæ communis perpetuitatem necessarius, istam muliebris sexus speciem naturæ propositam fuisse clarissime testetur. Verissimum autem discrimen est ex propriis tribus fœminarum officiis, menstruo fluxu, conceptu, partúque (cuius comes est & administra lactatio) eorúmque vnico instrumento vtero; eius morbi hac professione ordinaria septimestri explicandi curandíque sunt, quod ab his sterilitas, sicuti & à genitalium virilium proximè explicatis curatísque vitiis, oriri solet.

Sunt autem vteri morbi vt aliarum partium genere triplices, intemperies, mala conformatio, & vnitatis solutio. A quibus tum communes similares naturæ functiones, quæcunque nutritioni subseruiunt, tum propriæ & organicæ tres istæ læduntur, fluxus mensium, conceptus, partúsque: quarum symptomata quoque sunt tripertita. Aut enim fluxus men-

mensium supprimitur & deficit: aut redundat: aut denique deprauatur: Sic conceptus aut nullus, aut rarus est, (sterilitas vocatur) aut prauus: cùm mola, monstrum, vel aliud infaustum & inauspicatum animalculum concipitur. Sic partus denique alias celerior & pręcocior est (abortus dicitur) alias tardior: vel nullus, vt mortuo fœtu saltem altero cum gemelli sunt, túmque superstes vocatur vopiscus. Prauus est cùm vel difficilior, vel præposterus est. Difficilior ille est, qui grauibus doloribus, magnáque matricis offensione fœtus absoluitur: præposterus, cùm non capite primo, sed alia quauis corporis parte obuia fœtus prodit, vt sunt Agrippæ dicti qui primis pedibus. Morbos igitur vterinos omnes prima parte huius operis expediemus, alterâ symptomata eiusdem prosequemur: vtriusque generis affectuum therapiam cum eorundem diagnosi deinceps coniungemus. Solis enim indicationibus therapeutica methodus tota constituẽda est, vt pote à quibus inueniendorum, & vsurpandorum remediorum omnis ars, omnísq; ratio proficiscitur. Cùm autẽ indicationes istæ omnes ad tres affectus, morbos nempe, causas & symptomata referantur, à causis præseruatiuæ, à morbis curatiuæ, à symptomatis lenitiuæ propriè deriuantur. Has igitur omnes indicationum curatiuarum species nostra quoque historia complectetur, integrámque vterinorum affectuum omnium diagnosim cum methodica therapia coniunget. Neq; enim quæ cuique morbo idonea sint remedia inuenerit, aut inuenta rectè adhibuerit medicus, neglectis morborum causis signisque, & curatiuis eorundẽ indicationibus, à quibus solis iucunda, breuísque & tuta curatio comparari potest. Dixi.



PRÆFATIO IN LIBROS DE STERILITATE MVLIEBRI.



NIMALIVM generatio duplex eſt, vna ſanguineorum, & perfecta, quæ ſemine conſtat vtriuſque ſexus per mutuum congreſſum confuſo. Altera imperfecta exanguium & inſectorum: quæ ſine ſemine tribus modis abſoluitur: vel ſola confricatione vtriuſque ſexus: vel muliebris pudendi in maſculeum corpus inſertione: vel denique ſine maris congreſſu intra corpus cõceptione: vide de his generationis differentiis Ariſtotelẽ lib.1. de gen. animal.& lib.3.cap.9.& 10.

Ex ſexibus duobus mas in alieno corpore generat, fœmina in ſuo. Ille autem effectiuum generationis principium ſcilicet ſemen ſuum calidum, craſſum ſpumoſum magíſque ſpirituoſum & fœcundum ſubminiſtrat. Hæc ſemẽ quoque ſuum ſed frigidius humidiúſque & tenuius: atque mẽſtruum ſanguinem confert. Ex vtroque certè mixto animal nouum procreatur. Ita quidem in cæteris rebus, quicquid fit ab aliquo vt agente,& ex aliquo vt patiente & materiali fieri conſueuit. Sed fœmina prę ter ſemen & menſtruum generationi quoque idoneum locum ſuppeditat, Vterum; à quo ſemina trahuntur, reconduntur, retinentur, miſcentur & tantiſper

tisper fouentur, dum insita animæ paternæ facultas procreatrix, languida & otiosa in semine effuso, ad proprium munus excitetur. Quæ vteri actio conceptio est.

Cæterum in isto sexuum discrimine, mas & fœmina essentialibus differentiis inter se non dissident: vt diuersæ sint animalium species: sed potius vnica est Aristoteli, ideoque illo authore, hæc sexuum diuersitas in omni animalium genere obuia non est, lib. 1. de generatione: accidentalibus tantum differentiis discrepant: vt temperie & partium genitalium structura.

Illam enim in maribus calidiorem ficcioremque esse testantur, tum eorundem conceptus in regione vteri dextra calidiori, accretio motúsque in vtero, & ex eodem exclusio velocior, vt quæ plerunque septimo mense accidat, purgatio lochiorũ à partu breuior, vt triginta dierum: tum habitus solidior, hirsutior, vox grauior, pulsus maior vasáque ampliora, robur corporis animíque maius, iudiciũ constantius. Frigidiorem fœminarum vniuersam temperiem declarant: tum cõtraria corporum muliebrium symptomata: tum finis sexus fœminei vt sanguine abundaret fœtum procreaturo, alituro aucturóque & confirmaturo, tàm intra quàm extra vterum.

Genitalium autem vtriusque sexus partium varietas, non ex sola temperiei calidioris & frigidioris varietate, sed è conformatricis animæ facultatis tacitis viribus intimóque consilio pendet, quæ cõceptui fœtúsque nutritioni hoc structuræ discrimine sagaciter consulit. Muliebres enim partes intro cõdidit, internáque cauitate ad seminum conceptum



PRÆFATIO IN LIBROS DE STERILITATE MVLIEBRI.



NIMALIVM generatio duplex est, vna sanguineorum, & perfecta, quæ semine constat vtriusque sexus per mutuum congressum confuso. Altera imperfecta exanguium & insectorum: quæ sine semine tribus modis absoluitur: vel sola confricatione vtriusque sexus: vel muliebris pudendi in masculeum corpus insertione: vel denique sine maris congressu intra corpus cõceptione: vide de his generationis differentiis Aristotelẽ lib.1. de gen. animal.& lib.3.cap.9.& 10.

Ex sexibus duobus mas in alieno corpore generat, fœmina in suo. Ille autem effectiuum generationis principium scilicet semen suum calidum, crassum spumosum magísque spirituosum & fœcundum subministrat. Hæc semẽ quoque suum sed frigidius humidiúsque & tenuius: atque mẽstruum sanguinem confert. Ex vtroque certè mixto animal nouum procreatur. Ita quidem in cæteris rebus, quicquid fit ab aliquo vt agente,& ex aliquo vt patiente & materiali fieri consueuit. Sed fœmina prę ter semen & menstruum generationi quoque idoneum locum suppeditat, Vterum; à quo semina trahuntur, reconduntur, retinentur, miscentur & tantisper

tisper fouentur, dum insita animæ paternæ facultas procreatrix, languida & otiosa in semine effuso, ad proprium munus excitetur. Quæ vteri actio conceptio est.

Cæterum in isto sexuum discrimine; mas & fœmina essentialibus differentiis inter se non dissident: vt diuersæ sint animalium species: sed potius vnica est Aristoteli, ideoque illo authore; hæc sexuum diuersitas in omni animalium genere obuia non est, lib. 1. de generatione: accidentalibus tantum differentiis discrepant: vt temperie & partium genitalium structura.

Illam enim in maribus calidiorem sicciorémque esse testantur, tum eorundem conceptus in regione vteri dextra calidiori; accretio motúsque in vtero, & ex eodem exclusio velocior; vt quæ plerunque septimo mense accidat, purgatio lochiorũ à partu breuior, vt triginta dierum: tum habitus solidior, hirsutior, vox grauior, pulsus maior vasáque ampliora, robur corporis animíque maius; iudiciũ constantius. Frigidiorem fœminarum vniuersam temperiem declarant: tum cõtraria corporum muliebrium symptomata: tum finis sexus fœminei vt sanguine abundaret fœtum procreaturo, alituro aucturóque & confirmaturo, tàm intra quàm extra vterum.

Genitalium autem vtriusque sexus partium varietas, non ex sola temperiei calidioris & frigidioris varietate, sed è conformatricis animæ facultatis tacitis viribus intimóque consilio pendet, quæ cõceptui fœtúsque nutritioni hoc structuræ discrimine sagaciter consulit. Muliebres enim partes intro cõdidit, internáque cauitate ad seminum conceptum

fœtuúmque nutricatum ad partum vsque instruxit. Viriles ad immittendum in alienum fœminæ corpus maris semen siphunculi instar foras produxit. Itaque non temperiei tantum, sed figuræ quoque, magnitudinis situśque ratione diuersa, partes vtræque inter se discrepant. Neque enim ceruici vteri, penis virilis: neque fundo illius scrotum huius: neque vasis seminariis vtrisque & testibus muliebribus viriles vsquequaque respondent.

Quare fœminam monstrum esse naturæque erratum non satis philosophicè summo philosopho visum est: cum eadem sit vtriusque sexus eidem auctori forma & perfectio, x. metaph. eadémque ad speciei propagationem naturæ propositam necessitas: cum sine semine perfecta generatio non constet: neque idipsum à maribus intus contineri, neque concipi possit: Itaque non minor est fœminarum quàm virorum multitudo: neque rursus ad disciplinas percipiendas & exercendas maior inertia: tantúmque earum corpora virilibus debiliora & ingenia inconstantiora: quanto minus calida magísque humida sunt. Sed philosophus decreti sui falsitate, quo semen mulieribus eripuit, abductus est.

Multo minus fabulosis eorum commentis assentiendum est: à quibus fœminas quasdam ipso nuptiarum die, aut ineunte adolescentia, efferuescente calore, in mares fuisse conuersas narratur: Vt videre est apud nonnullos tum poetas, tum historicos & philosophos, vt Plinium 7. nat. histor. quibus omnibus penis virilis hermaphroditorum, qui ante intus delituerat ob debiliorē calorem, eruptio imposuit: vel clitoridis tentigo. Hæc enim particula

cula est carnosa in apice pudendi foras emergens, longior per rimam ipsius, regionibus præsertim calidioribus & fœminis salacioribus; in qua particula venereæ voluptatis sedes à Fallopio rectè collocatur, cuius titillatione libido vehementer accéditur muliebris: quæ quoniam maritis molestior est, resecari solebat. vide Paulum lib. vj.

Sunt igitur generationis perfectæ animalium sanguineorum principes causæ, quatuor: Efficiens duplex: vna principalis, procreatrix scilicet animæ naturalis facultas. Altera minus principalis, eaque triplex. Instrumentaria, vt spiritus calórque seminis natiuus à parentibus deriuatus. Adiuuans, vt proba seminum menstruíque temperies: & Sine qua non, vterus scilicet secundum naturam constitutus.

Altera materialis vt semen vtrunque & menstruum, ex quibus facultas fœtum excitat.

Tertia formalis quę noui est animalis productio.

Vltima finalis quæ speciei est propagatio generanti naturæ proposita.

Vterus autem generationi multipliciter confert, primùm quidem semen virile è ceruice sua in sinu suum rapiendo; deinde illud ipsum cum muliebri per cornua vteri infuso, permiscendo, asseruando, fouendóque, donec fotu suo vegetata quæ in semine otiosa languebat animæ naturalis facultas, animal efformet, formatúmque tantisper alat augeátque, donec iam grandius, ab vtero tandem ipsius mole oppresso in lucem emittatur.

Gemina hæc vteri actio instrumentaria est, conceptio, partióque, cui tertia iungenda est, mensium transmissio. Est autem Cóceptio non sola seminis virilis tractio retentióque: cum plerunque paucis

post attractionẽ horis diebúsve aut liquescens diffluat, aut in molam tandem monstrúmve faceſſat: sed est procreatricis animæ facultatis quæ in semine potentiâ tantùm latebat exsuscitatio, & ad proprium procreandi munus deductio. Neque enim semen quamlibet elaboratum, temperatúmve actu animatum, animáque à generatoribus decidua instructum videri potest: cum ipsum corpus animalis nondum adsit, cuius anima est ἐντελέχεια summáque perfectio: sed potentia tantum animatum est, animáque ipsa de subiectæ materiæ præparatione à proprio agente.i. vteri proprietate educitur. Est enim hæc actio (conceptio nempe) non à manifesta vteri temperie, sed à tota eiusdem substantia & forma oriunda. (Sic chylosis ventriculo, hæmatosis hepati propria est.) Inde fit vt neque in genitalibus virilibus semen in actum prodeat, neque in alia qualibet corporis muliebris parte, in qua potius corrumpitur.

Conceptus autem symptomata vt cuiuslibet alterius functionis sunt triplicia, abolitio nempe, & diminutio: illa sterilitas, hæc difficultas concipiendi vocatur: atque deprauatio, cuiusmodi in edita mola & monstro accidit. Læditur autem conceptio (sicuti actio ferè quælibet alia) dupliciter: tum per sympathiam ineptæ materiæ vtriusque scilicet principij seminis & menstrui, ob viscerum corporúmque vitium à quibus vtrumque corrumpitur: (de hac læsionis specie postea) tum per idiopathiã, ídque rursus dupliciter: vel enim labefactatur conceptrix facultas, vt à vehementi intemperie: vel impeditur, vt à morbo organico aliquo vel cõmuni: cùm enim vterus sit pars similaris & spermatica

sub-

ſubſtantia, actione & figura organica, vt ſeminis conceptioni & receptioni apta ſit, tribus illã morborum generibus conflictari contingit, tum intẽperie: tum mala conformatione: tum vnitatis ſolutione. Eſtque verè vterus omnium ægritudinum & calamitatum aſylum: vlcus enim vbicunque ſit, ſeminis excretionem dolore proritat. Pudendi phimoſis, id eſt occluſio, ſeminis admiſſionem prohibet. Sicut & obſtructio colli ab adnata membranula, vel tuberculo carnoſo. Læuitas autem eiuſdem, vel à cicatrice magna, vel à multiplici coitu, vel à mucoſæ pituitæ ſeroſæve perfuſione admiſſum ſemen ſtatim excludit.

Oris interioris amplitudo nimia, anguſtia, durities, tumores præter naturam, vlcus, cicatrix inſignis obliquitas, peruerſio, faciũt vt ſemen vel non admittat, vel celeriter emittat & eructet.

Vteri ipſius capacitas diminuta à tumore aliquo, vt phlegmone, ſcirrho, œdemate, cancro, hydrope, tumore aquoſo & flatulento, conceptioni officit: quod recepti conceptique ſeminis effluxum ante tempus excitet.

Mutatio ſitus: cuiuſmodi ſunt aſcenſus, deſcenſus, prolapſio, obliquitas, diſtortio, ſicuti læuitas internæ ſuperficiei, ſiue natiua ob frigiditatem menſiúmque penuriam coeuntibus acetabulis: ſiue aduentitia, ob ampliorem aliquam cicatricem, ſeminis adhæſionem impedit.

Vaſorum ſeminariorum amplitudo immodica, vel eorundem anguſtia & obſtructio ſterilitatem accerſit. Illinc enim ſeminis effluxio & gonorrhœa: hinc eiuſdem ſuppreſſio oritur.

Venarum denique hyſtericarum apertio, vnde

assiduus sanguinis fluxus semen deturbat. Vel earundem attrictio immoderata, ex qua sanguinis suppressio est.

Constat igitur vterum conceptui conferre: tum vt organicum, semen excipiendo, alendóque fœtũ: tum vt similarem, semen concipiendo, vnde ea actio (vt antea dictum est:) interpellatur tribus morborum generibus, Similaribus, Dissimilaribus seu Organicis, & Communibus.

De intemperiebus vteri.

Differentiæ intemperierum: ab iis enim therapiam ordiemur, variæ statuuntur: nam aliæ sunt insitæ & natiuæ ceu aduentitiæ. Aliæ modicæ, vel immodicæ. Aliæ simplices, vel composi-tæ. Aliæ solitariæ, vel humorales. Aliæ sympathicæ, vel idiopathicæ sunt: ídque vel ex consensu corporis totius, vel visceris alicuius intemperati.

Signa diagnostica.

Singulas vteri intemperies signis licet dignoscere: tum communibus vel adiuuantibus & nocentibus totóque victu præcedente: tum propriis (è Paulo libro tertio, capite 74. & Aetio cap. 37. 8. serm.) vt frigidam ex fastidio veneris & coitus & exigua delectatione (quod mulier proprium emittat semen parcius & frigidius minúsque genitalia vellicans, virile autem segnius attrahat, attractóque fruatur stupidius.

Ex mensibus aut nullis aut paucis & decoloribus iisque vel tenuibus & aquosis, vel crassis lentísque. Ex stupore & frigoris sensu partium vtero vicinarum

cinarum vt hypogastrij, lumborum femorúmque. Ex pectinis glabritie seráque pubis eruptione. Ex totius corporis intemperie frigidiori victúq; præcedente simili.

Calidam ex contrariis fere omnibus agnoscimus vt salacitate, veloci per coitum seminis eiectione, mensibus paucis, flauescentibus, pruriginosis, exulcerantibus pudendum eiusque ceruicem, vt in viraginibus toto corpore calidiori, aut diæta simili morbóve præcedente.

Humidam ex mensibus copiosis, tenuibus, fluxilibus, genitalium madore perpetuo, in ipso presertim grauiditatis tempore magnáque muliebriū per coitum perfusione ex multo & humido semine, minimáque in coitu voluptate.

Siccam denique ex mensibus paucis crassisque, muliebrium siccitate perpetua, raráque per coitum seminis effusione & simili corporis totius intemperie vel victu. Ex his simplicium vteri intemperierum signis coniunctis, licet compositas internoscere, tum humorales tum solitarias.

Prognostica signa.

NAtiuæ intemperies neque arti neque remediis parent: Aduentitiæ sæpius curabiles sunt. Vtræque quando leuiores raro quidem, si verò immodicæ nunquam fœcunditatem comitantur. Hæ dignoscuntur, si suffitus aromatum ad pudendum submissi aut pessarij odorati in ceruicem penitus inserti odor nares mulieris non feriat: nam aerea odoris substantia à sicca absumitur, à calida digeritur, ab humida obruitur, à frigida extinguitur (aphor.55.lib.5.) Simplices sæpius euadunt composi-

tæ, & solitariæ in humorales degenerant. Sympathicæ denique totius corporis vel singulorũ viscerum insalubrem intemperiem consequuntur.

Præterea Hippocrati vterus frigidus densúsque non concipit, tum quod frigore insitum seminis calorem & spiritum extinguat, à quo semen ipsum fermẽtari distrahi cogíque in animal nouuũ debet: tum quod præ densitate substantiæ suæ & acetabulorum angustia, læuitas oriatur, cui semen & secundæ adhærescere non possunt, neque alimentum & sanguis crassior ad fœtum transfluere, ideoque aliquot post coitum horis diebúsve liquescens semẽ diffluit.

Vterus calidus non concipit, vel quod calidam & spirituosam seminis substantiam attenuando resoluat: vel quod congruente mensium cõmeatu retentum semen destituat.

Vterus siccus non concipit, quod allectum & reconditum semen inedia mensiúmq; penuria tabefaciat.

Humidus denique non concipit, vel quod excrementis quibus refertus est, semen corrumpat & extinguat: vel quod mollitie & lubricitate sua, semen aut secundas non cohibeat, sed paulò post liquidum aquosúmque reuomat. Hæc Hipp. prognostica de immodicis intemperiebus, audienda sunt tum simplicibus, tum compositis: ad has enim simplicium prognostica transferri facillimè possunt.

Prognostica sterilitatis ex parte mulierum hæc sunt. Sterilitas mulierum frequẽtior quam virorum est: ob plura earum excremẽta, ex frigidiori intemperie, habitu densiori, vitáque magis desidiosa. Obesitas habitus muliebris, sterilitatem accersit, vel abdo-

abdominis & saginæ mole tam valde oppresso vteri interno osculo vt semen virile non admittat: teste Hippoc. in Aphor. & lib. de aere loc. & aquis de Scythicis mulieribus : vel seminis substantia & sanguinis redundantia in pulpam corporis facescente, teste Aristot.1. de gen. animalium. Vel certè quod mas aptè coniungi nequeat. Habitus tenuitas accidentaria & ex morbo prægresso sterilitatem inferre solet: ob seminis menstruíque penuriam. Sicuti eadem natiua, ob eandem caussam & quia virile ab æstuoso vtero digeritur: & à frigido restinguitur.

Proceritas corporis muliebris fœcunditati officit: quod seminis mensiúmque materia in eius alitionem abeat, síntque lumbi promissi & debiliores.

Breuitas corporis, lumbi astricti, ob aduersas causas fœcunditatem iuuant. Color fuscus magis quam albus, aut rubicundus, aut flauescens fœcunditatem maturat. Steriles denique magis valetudinariæ: sed tamen viuaciores sunt habitúque asperiori. Fœcundæ contra salubriores quidem excrementis in puerperio per lochia repurgatis : nisi grauiditatis tempore sæpius insalubres sint oppresso à suppressis mensibus calore (vnde pica, malacia &c.) Sicuti eodem per partus dolores & vacuationes copiosas dissoluto vitæ spatium contrahitur. Sterilitas mutatione ætatis aut coniugij aliquando exolescit.

Desperata sterilitatis curatio, vt eius quæ ab intemperie immodica & natiua est, aut à cancro, vlcere vastáque aliqua cicatrice, prorsus omittatur. Quæ ab eadem intemperie modica est, suscipiatur: prædicta tamen curationis difficultate & tarditate,

ne medici aut perfidia aut ignorantia mulierculæ suspecta sit.

Vltimum prognosticum est, an conceptum liceat prohibere, aut eundem deturbare: incidere enim aiunt aliquando iunioribus fœminis, aut valetudinariis, imbecillitatem tantam, aut adultioribus etiam vteri angustiam prauámque conformationem: vt si hæreat crescátque conceptus, de funesto abortu periclitari muliérculæ istæ videantur. Itaque Hippocratem etiam lib. de natura pueri conceptus eiectionem per grauiores saltus suasisse. Hippocrati subscripsisse Aetium lib. 16. cap. eod. & Auicenn. tertia tertij tractatus secundi cap. 18. Contra vero conceptum deturbandum non esse Hippocratem in suo iureiurando edixisse constat: rationem quoque iidem dictant, quod scilicet à medicamentis violentissimis cum fœtu fœta grauiter concutiatur, & impiam esse necem non solum eius qui actu, sed potentia tantùm homo sit. Quæstionis solutio ex Arist. lib. polit. ca. 16. excipi potest scribente ex veterum legibus impune licuisse fœtum nondum animatum præcipitare. Talem autem ante septimũ diem Hippocrates iudicauit lib. de natura pueri: cui Democritus, Aetius, Auicennas assensi sunt. Præstet tamen puellas immaturas, aut valetudinarias & imbecilles, aut vtero infeliciter conformato à nuptiis arcere: aut certè nuptas à conceptu prohibere: tum diæta parca & ærumnosa, sanguini seminíque cumulando aduersa: tum seminis sui eiectionem per coitum accelerando, tardandóve: tum clunes agitando retractandóque in ipso coitu: tum denique vsu vnguentorum ciborúmve semen digerentium,

vt

vt olei iuniperini circa regionem vteri, caphuræ, aceti, aquæ vitę, femin. viticis & aliorum.

Methodus curatiua generalis omnium intemperierum vteri.

VT sanitas cõseruationem per similia, sic morbus expulsionem sui per contraria indicat, Actio hæc curatio dicitur tribus omnino rebus absoluta : Genere remedij contrario, magnitudine remedij & vsu. Genus quidem remedij alterans ab intemperie indicatur contraria. Intemperiei differentiæ, remedij contrarij diuersas species indicant. Nudæ enim & solitariæ: alterans tantum. Humorales, vacuans simul & alterans indicant. Porro ex nudis, simplices : simplicia, vt calidæ, frigida tantum: frigidæ calida indicant.

Humorales vt dictum est remediorum genera duo indicant: vnum vacuantium humores vitiosos, alterum alterantium intemperies relictas à vacuatis humoribus. Humorum vitia cum duo sint, vacuantium totidem genera indicātur. Plethora enim phlebotomiam: cacochymia, purgationem: Vtraq; mixta phlebotomiam & purgationem indicat. Atque hactenus in intemperiebus curandis, tam solitariis quam humoralibus exposita est prima indicatio curatiua quæ generis est cõtrarij remediorũ.

Altera indicatio curatiua est remediorum efficaciæ & magnitudinis ab affectu suppeditata, cui profligando remedium par esse debet. Sic vacuantium efficacia per se ab humoris copia indicatur ; & per accidens à virium robore & ætate. Itaque vniuersa subitáque plethoræ vrgen-

tis vacuatio, per phlebotomiam copiosam & ad animi deliquium indicatur, viribus integris. At iisdem debilitatis, partita phlebotomia & modica, eóque interuallo repetita quo vires congruo victu reficiantur, eligenda est. Sic exuberantis cacochymiæ vniuersa purgatio & copiosa indicatur si vires tolerent humórque sit sequax & profluens. Alias modica eadẽ & in plures distributa vices, quarũ interuallis vires refocillentur, præstat: & vt humor contumax, crassus, lentus & durus qualis est pituitosus & melancholicus, præparetur & percoquatur. ἐπίκρασις hæc curationis species vocatur.

Alterantium quoque magnitudo proprie indicatur ab intemperiei magnitudine, vt à leniori primus, à mediocri secundus, à vehementi tertius, (tot enim sunt salutarium remediorum gradus) quartus autẽ venenorum est & venenatorũ: sed per accidens indicatur à partis alterandę & laborantis situ, substantia, actione & sensu. Quæ enim remotior, durior stupidiórque est, alterantis remedij vim deprimit. Itaque eius vsurpatio in plures dies mensésque producenda est: vt diuturnitate vsus, gradus depressio suppleatur. Vbi tamen intemperies aliqua immodica est, remedio depressiori sed diutius continuato, potius quàm æquali, præsertim frigido oppugnanda est: quoniam alteratio vehemens & repentina, sicuti & vacuatio, naturæ molesta est, teste Hippocrate.

Tertia indicatio curatiua est remediorum ab intemperie eiúsque causis indicatorum, tàm vacuantium, quàm alterantium congruus vsus: tempore, loco, ordine & consistentia definitus.

Tem-

Tempus quoddam vniuersale est, alterum particulare. Illud propriè à præsentia affectus tollendi indicatur: Et per accidens à partibus anni temperatissimis vere & autumno coindicatur: ab æstate & hyeme contraindicatur: (quanquam vrgenti morbo nulla pars subtrahenda est.) Particulare spectat diem & horam, & indicatur à motu morbi & statu corporis: accessiones enim, remediorum vsum contraindicant: sicuti & recens assumptus cibus.

Ordo diuersorum remediorum indicatur ab affectuum plurium successionis ordine, vt præcedat vacuatio humorum vitiosorum intemperiem fouentium, deinde vsurpentur alterantia intemperiem relictam. Inter vacuantia phlebotomia prior sit purgatione, illáque in cubito vniuersalis, particularis in saphena. Item alteratio humorúmque coctio, purgationem antecedat, tam vniuersalem quam particularem: alterantium simplicem intemperiem, nullus ordo aut vicissitudo indicatur cum eorum genus sit vnicum.

Locus assumendorum remediorum tam vacuantium, quàm alterantium: tam externorum, quam internorum: à conformatione partis laborantis sitúque indicatur: vt ei remedia quàm proximè apponantur, aut in eam per commodos & directos meatus transmittantur, viribus quam minimum fractis & debilitatis.

Consistentia denique tum à situ partis indicatur, tum per accidens à natura ægri & consuetudine. Itaque in vacuantium genere pilularum forma ob diutinam in ventriculo moram è longiori

parte attrahunt. Sicuti media & liquida potio à viciniori. Item alterantium siue sumendorum, siue admouendorum maior est penetratio & ad distantiores partes.

Methodus particularis curatiua intemperierum vteri.

INtemperierum vteri frequentissima est frigida humidáque & humoralis, siue communis toti corpori sit, siue vtero propria: ob similem mulierum salubrem temperiem: ex qua in insalubrem facilis lapsus est; ob earum intemperantiam & desidiam vnde excrementa expullulant.

Curationis instrumentum primum est Diæta magis minúsve calida & sicca pro intemperiei frigidæ gradu. Constet igitur aere vel temperato vel paulo calidiori, qualis est vere, autumno & ineunte æstate, eóque aquilonari potius, quàm austrino, vigiliis & laboribus animíque contentionibus maioribus. Cibis euchymis quidem & eupeptis, sed calidioribus vt pane anisato, carnibus recentibus sæpius assatis, rarissimè elixatis idque cum herbis calidis siccis & odoratis vt eruca, nasturtio, fœnic. hyssopo sampsuco saluia, quarum tamen iure abstineat fœmina, tantúmque imbutum eo panem esitet, idque insperso puluere cinnamomi, fructibus siccis vt passulis, nucleis pineis, dactylis caricis auellanis & amygdalis tostis, nucibus iuglandibus conditis, cortice citri vel aurantij. Et post pastus seminibus

condi-

conditis coriandri præparati, anisi & fœnic. vel puluere stomachico quem digestiuum vocant.

Acetosa & acetata omnia fugiantur, hæc enim vtero exangui & membranoso, penetrabili actique suo frigore infensa sunt, & quidem multo magis quam ventriculo perinde neruoso magisque sentienti & obuio, vel ob eius assuetudinem, vel ob mucosi humoris tunicarum internum munimentum, aciditatem aut temperans, aut prohibens eius immediatum appulsum.

Potus sit vini rubri generosi modicè diluti.

℞. crustæ panis tribus aut quatuor vicibus tostæ & totidem vicibus irroratæ aquæ vitæ ℥ j sem. coriandr. præparati & anis. an. ʒ ij pulu. electuar. arom. rosat. & interior. tunicæ ventriculi gallinarum an. ℈ quatuor, fragmentorum sapphyri hyacinthi rasur. eboris & cornu ceruini an. ℈ j nucis muscat. & macis an. ʒ ß moschi opt. ℈ ß vel gr. vj (si non obnoxia sit muliercula hystericis suffocationibus) fiat puluis, capiat cochlear vnum à pastu.

Alterum eiusdem curationis instrumentum est pharmacia purgatione constans primò vniuersali, deinde particulari vteri. Illi quidem id est vniuersali præparatio duplex præmittenda est, corporis & humoris purgandi. Prior illa rursus duplex est: tum ex clystere molli tergente & phlegmagogo: tum ex purgatione leniori, minoratiuam vocant. Vtraque indicatur à sede impedimentorum purgationis scilicet fæcum duriorum in intestinis & crudorum humorum in ventriculo venisque mesentericis,

quibus expeditis fiat corpus fluxile.

℞. rad. altheæ & enulæ camp. an. ℥ ij fol. betæ mercur. pariet. matricar. & prassij an. m. j. sem. fœnugr. & cumini an. ℥ ß flor. chamæmel. cẽtaur. min. & cicerum rub. an. p. j. coquantur & in colat. ℔ j vel etiam ß dissolue mellis mercur. ℥ ij olei chamæmel. & anethi an. quart. ß electar. diacathol. ℥ j hieræ picræ vel bened. laxat. ʒ ß fiat clyster. iniiciatur mane vel vesperi longè à pastu.

Licet media & solida forma vt & liquida purgationem instituere vt hac varietate naturæ ægrotantium consuetudini & libidini subseruiatur. vt

℞. elect. diacathol. & diaphœnic. an. ℥ ß vel pro diaphœnic. hieræ picræ ʒ ij fiat bolus cum sacch. detur vel per se, vel cum cochleari & pauco syr. capillor. veneris.

℞. mass. pilul. de hiera ℈ j. de agaric. ℈ ij fiat pilul. vj vel vij. capiat hora 3. vel 2. post mediam noctem leui cœna præcedente.

℞. fol. hyssopi, cicerum rub. flor. anthos & borrag. an. p. j. fol. sennæ oriental. mundat. ℥ ß sem. anis. ʒ. j. passul. mundat. paria iij. infundantur & coquantur secundum artem & in colat. ℥ iij dissolue elect. diaphœn. ℥ ß cinnamom. gr. iiij. fiat potio, detur mane cum custodia horis quatuor ante prandium.

Posterior est præparatio humoris pituitosi, coctionem largius vocant, per oppositas qualitates primas secundásque vt calidas siccas, incidentes & tergentes (frigidus enim est crassus & lentus) idque liquida forma iulepi & apozematis: à situ distantis humoris in venis indicati, cum sit forma illa penetrationi apertioníque vasorum obstru-

obstructorum maximè idonea. Huius tamen ebor-
orio tædio solidior vt tabellarum vocatarum;
vel inedia vt opiatarum expetenti ægrę adhibe-
bitur. Idque vel paucioribus diebus: vt tribus aut
quatuor, vel pluribus vbi multa crassáque & lenta
cacochymia pituitosa subest: vt

℞. Syr. de quinque rad. de hyssop. vel de arte-
misia & de prass. an. ℥ ij aquarum melissæ hyssop. &
artemis. an. ℥ iiij cinnamomi ℈ iiij fiat iulep. detur in
tribus dosibus matutinis.

℞. rad. eryngij rubiæ maioris, valerian. enulæ
camp. an. ℥ ij cort. pomi citrij sicci ℥ ß folior. cete-
rach. scabios. agrim. & summitat. absinth. pont. si
qua obstructi hepatis & lienis coniectura sit; sum-
mitat. hyssop. origani, calament. & artemisiæ an.
m. j. cicer. rub. flor. genistæ tamarisci & anthos
an. p. j. sem. apij petros. & carui an. ʒ ij coquan-
tur omnia suo ordine in hydromelite & in colat.
℔ j ß dissolue mellis optimi despumati, vel si
displiceat mel, panis sacch. ℥ iij cinnamom. ʒ ij
fiat apozema clarificatum pro quatuor dosibus ma-
tutinis. Quod si multa sit cacochymia tum vtili-
ter iterabitur admixtis purgantibus medicamentis:
vt sennæ mundatæ ℥ iij polypod. querni & semin.
carthami. an. ℥ j ß agarici trochisc. & hermoda-
ctyl. an. ℥ ß zingiber. ℈ iiij passul. purgatar. pari-
bus xv.

℞. Tabell. electar. aromat. rosat. vel diagalang.
℥ iiij capiat vnā pōdere ʒ iij mane & vesperi horis
duabus aut tribus ante pastus superbibendo pa-
rum aquæ melissæ vel vini rubelli hac aqua diluti.
Sic præparatus humor purgatione eget vt puta
tali:

℞. elect. indi maioris vel diacarthami ℥ ß dissolue in vltima dosi præscripti apozematis laxatiui. Alias in infusione fol. sennæ ℥ ß & agaric. ʒ j in vino albo & aqua melissæ. Pilularum vis potionem illam (si fortasse ingrata sit) supplebit.

℞. mass. pilul. aggregat. maiorum vel sine quibus & fœtidar. an. ʒ ß castorei gran. iij cum aqua artemisiæ fiant pilul. vij. deauratæ quas deuoret post primum somnum cum custodia. Postridie purgationis roboretur ventriculus conditura cort. citri, vel nucis iuglandis vnius, vel bolo ex theriacæ veteris ʒ vj. conseru. florum saluiæ ʒ j cum puluere ducis. detur mane superbibendo parum vini generosi aqua melissæ diluti.

Quod si quando fœmina in vomitionem prona sit latóque pectore & ceruice breui, citari vtiliter loco deiectionis, vomitio poterit: vt ab vteri sede in contrariam humor auocetur.

℞. rad. ari, ʒ ij sem. raphan. attripl. & agar. trochiscati an. ʒ. j. folior. hyssopi m. j. coquantur in colat. ℔ ß dissolue oxymel. scillit. ℥ ij detur manè tepide, & post dimidiam vel integram horam prouocetur vomitus vel penna vel digito in fauces inserto.

Ab hac intemperiei frigidæ humidæque specie phlebotomia remouenda est, nisi fortasse suppressis ob acetabulorum vteri obstructionem mensibus plethora cacochyma iuncta sit, quæ postridie minorationis præcisa cubiti dextri vena basilica, minuenda erit viresque oppressi caloris leuandæ.

Vni-

Vniuersali purgationi particularis vacuatio vteri mox subiungenda est per clysteres vterinos & pessulos purgantes, quibus balnea fotus vnguenta & vaporationes præponantur ad mucosi humoris crassarúmq; vteri sordium præparationem: hæc vero constent medicamentis alterantibus, calefacientibus, siccantibus, tergentibus & attenuantibus, liquidáque forma penetrationis promptioris altiorísque causâ. vt

℞. rad. Brioniæ, cucum. agrest. enulæ camp. aristol. rot. & iridis hortens. an. ℔ j folior. mercurial. anagallid. purpureæ chelidon. maioris scabios. pulegij, conisæ maior. nepetæ melissæ artemisiæ matricariæ, summit. sabinæ, lauri hederæ & lauend. an. m. ij. sem. fœnugr. ℔ j flor. chamæmeli meliloti centaur. min. an. p. ij. coquantur in aquâ fontana vel fluuiatili & colentur fiátque balneum quod ingrediatur mulier mento, vel vmbilicô tenus. (Ita indicante cacochymiæ sede vel promiscuè in toto corpore, vel priuatim in vtero) per triduum mane & vesperi ante pastus, maneátque in illo sine sudore cum adsit alterationis solius & coctionis non vacuationis externæ necessitas.

In introitu & exitu balnei sumat electarij calidi vt diamargarit. de gemmis, diambræ tabellam vnâ pondere ʒ ij vel iij superbibendo parum vini rubelli aqua melissæ diluti.

Quod si balnei ęgram pigeat, fotus ex eodem decocto toti epigastrio & perinęo adhibeatur eodem spatio & hora. Et à fotu vnguentum eidem regioni applicetur. vt

℞. olei laurini & costini an. ℥ ij olei muscatell. & de spica an. ℥ ß ladani & mastichis an. ʒ ij spicæ nard. calami aromat. schœnanthi & folij an. ʒ j cinnamom. caryophyl. & croci an. ʒ ß galliæ muscat ℈ ij ceræ albæ parum, fiat vnguentum.

Eodem tempore à balneo, fotuve pessarium purgans in ceruicem vteri altissimè inseratur muci extrahendi causa è sinu vteri.

℞. electar. indi maior. ℥ quatuor, elect. diaphœn. ℥ ij myrrhæ ℥ ß gummi opopanacis & ammon. radic. aristoloch. rot. & irid. flor an. ʒ ij pulpę colocynthid. ℈ iiij cum succo mercurial. concorporentur, fiátque opiata de qua fingantur pessuli digitali magnitudine cum serico rubro vel linteolo veteri & pauco cottone.

At vero si balnea & fotus fortasse displiceant, vaporem decocti eiusdem ex olla subiectis carbonibus feruente per siphonem ferreum ligneúmve potius læuem & oblongum ex tubulo plumbeo vel ferreo prominentem per pudendum penitus excipiat: móxque ab excepto vapore eiusdem decocti liquorem per metrenchyten & vterinum clysterem admittat capite supino, depressis humeris & natibus sublimioribus diductísque cruribus, eúmque liquorem per horam contineat: ita tamen vt singulis liquoris infusionibus electarij alicuius phlegmagogi portiuncula dissoluatur vt hieræ picræ, vel benedictæ laxatiuæ, vel indi maioris ℥ ß vel mellis mercuriati ℥ j. Neque tum (excluso etiam liquore) pessarium superius negligendum est.

His omnibus decoctis quacunque formula vsurpandis,

pandis,siue balnei,siue fotus,siue vaporationis, siue iniectionis, medicatæ aquæ & naturalia balnea nitrosa sulphurosa, bituminosa, chalcanthosa, aluminosa: fouendo, infundendo, balneando & potando præstent, Vt pote magis tergentia siccantia & absorbentia serosos humores,partiúmque obscœnarum luxuriantem mollitiem cohibentia & coarctantia.

A purgatione eiusmodi generali & particulari, si conceptus prima mensium periodo non responderit: (inchoanda enim est medicatio verno & autumnali tempore tribus aut quatuor à consueto mensium profluuio diebus) tum demum habitus totus (quo nomine partes non solum externæ sed & internæ continentur) aquosis & tenuibus excrementis liberandus est medicamentis diaphoreticis & sudores mouentibus. Ea autem sunt tenuis calidæque substantiæ, vt attenuando & detergendo vias obstructas aperiant & humores in habitum expediant. Talia sunt, scobes ligni guaiacini, radix zarzæ parillæ, radix chiuæ & lignum Sassafras: quibus in hac intemperiei frigidæ humidæque specie lignum cæteris preferendum est:expediendis viscerum obstructionibus ob lentorem humorum & crassitiem, cum calidum siccúmque detergens & attenuans multò magis sit, reliquis duabus radicibus & ligno Sassafras. Sæpe tamen muliebris mollities radicum decoctionis vsu blandiri sibi medicum cogit.

Diaphoreticæ potionis efficacioris exemplum.

℞. scobis ligni guaiacini nigerrimi ℔ ß infun-

de per xxiiij. horarum spatium in ℔. vj. aquæ font. tepidæ, coquantur ad mediæ partis consumptionem addendo sub finem coctionis semin. anisi, cardui benedicti & liquirit. an. ʒ ij postremo colentur & reponatur colatura ad vsum in ampullam vitream de qua singulis matutinis ℥ vj. vij. vel viij bibantur calidè & pluribus vestibus corpus tegendo.

℞. Residentiam & coquatur per sex horas in libris xv. aquæ ad tertiæ partis consumptionem tum colentur bis aut ter per cribrum Hippocraticum. Colatura recondatur in ampullam vitream qua vinum tenue & generosum diluatur sitis tempore. Alias si dolores quidam vinum contraindicent, eadem colatura cinnamomo & saccharo conditur ad gratiam saporis.

Secundum exemplum.

℞. rad. zarzæ parillæ electæ & præparatæ ℥ iiij, macerentur in ℔ iiij aquæ font. per xij horas, deinde coquantur ad medias & colentur, vtatur vt supra quotidie mane. Ex magmate in ℔. x. aquæ cocto ad ℔ ij consumptionem & declarato per duplicem aut triplicem colaturam, parabitur liquor diluendo vino idoneus vel saccharo & cinnamomo condiendus ad potionis vsum.

Tertium exemplum.

℞. rad. chiuæ per orbiculos tenuissimos sectæ ℥ ij infunde in ℔ iiij aquæ fontanæ tepidæ per diem naturalem, deinde coquantur ad medias & colentur

&

& hac colatura vtatur ad ℥ vj vel viij calidè. Ex secundo eiusdem decocto in ℔ x aquæ ad tertias diluatur vinum, vel ipsum cinnamomo & sacchارo condiatur. Vtriusque huius radicis decoctum in intemperie calida aut vlceribus internis est conuenientius; quod calore temperatum sit: Sicuti Guaiacinum in frigidis crassisque humoribus efficacius.

Toto sudoris spatio quod erit plurium vel paucioruni dierum (vt xv. xx. aut xxv. pro cacochymiæ & virium modo.) Si quando ignauior aluus fuerit, clystere tergente antea pręscripto proritetur: purgatio quoque in medio & fine sudoris repetenda est, vt crassior pituita quæ medicamenti attenuationem effugit nec in sudores solui potuit, sensim educatur. Priuatim etiam ex vtero eiusdem cacochymiæ reliquiæ formulis ante præscriptis, fotuum, pessariorum & clysterum euocandę quotidie: donec nulla omnino illuuies inde stillarit nullúsque circa pudendum mador supersit.

Diæta denique euchyma & eupepta per sudores tenuior, humorísque vitioso contraria instituitur ex pane albo bene fermentato coctóque & anisato: aut etiam frigidioribus humoribus viribúsq; vegetioribus, biscocto: Ex carnibus animalculorum tostis, vt hœdorum vitulorum gallinaceorum omnium & auicularum montanarũ nemoraliũ campestrium: Et fructibus siccis, vt passulis exacinatis, nucleis pini recentibus, aut lotis, caricis, auellanis & amygdalis tostis: Et initio pastus prunis damascenis elixatis & saccharatis. Et in

fine pastus conditura corticis citri & seminis anisi, fœniculi, coriandri præparati, aut puluere vocato digestiuo.

℞. Semin. anisi & coriand. præparati an. ʒ ij pulueris elect. aromat. rosat. ʒ j nucis musc. & macis an. ʒ ß cinnamomi interioris ʒ ij panis sacch. pondus duplũ, capiat cochlear vnum post singulos pastus.

Finitis vacuationibus omnibus primo & secundo mense tum demum intemperiei relictæ nudæ delendæ incumbendum est : siue communi, siue priuatæ etiam, idque per alterantia calida siccáque: tam sumenda, quàm admouenda immittendáque. Sumendis autem quacunque consistentia remediis permiscenda sunt, tum semen augentia, quædam, tum conceptum etiam iuuantia. Illius generis sunt alimenta & medicamenta calida, humida & flatuosa vt cibi quidem sint euchymi & alimentosi : cuiusmodi sunt bulbi, cardui, caules, cicera, fabæ virides, nuclei pinei, pistacia, dactyli, caricæ, auellanæ, amygdalæ, eruca, nasturtium & smirnium, mentha, eáque viridia.

Medicamenta sunt vt satyri & eryngij radix, scincus, semen lini & erucæ, allium, cepa cocta: huius generis quædam conceptum iuuant, quædam à proprietate & tota substantia : alia astringendo, retentricem facultatem vteri roborando qualia sunt puluis testiculorum verris, priapi tauri, coagulum leporis & cuiuslibet animalis, vulua leporis, rasura eboris, charabe & dexter testiculus mustellæ.

Admouenda quoque immittendáq; sunt nõ solũ calfa-

calfacientia & ſiccantia: ſed modicè etiam aſtringentia vt ſolutam laxámque vligine nimia vteri ſubſtantiam: vuluam nimis hiantem, & vacillantem ceruicem roborent & coerceant vt exceptum ſemen conſtanter retineat.

Hæc quoque curatio in tertiũ ferè menſem differtur quartúmq; vel vj. à 2. mẽſiũ periodo, cui præmittatur corporis præparatio per clyſterem tergẽtem & purgationem phlegmagogam quales ſunt hæ pilulæ.

℞. aloes hepaticæ, bdellij, pulpæ colocynthid. agarici trochiſc. hermodactylorum turbith & diacrydij an. partes æquales vt ʒ ij cum ſyr. de artemiſia, fiat maſſa omnibus ſimul puluериſatis, de cuius maſſæ ʒ j fiant pilulæ vj deauratæ quæ deuorentur mox à primo ſomno, ídque præcedente cœna breui & parca. vel

℞. gummi ammoniaci & pulueris hieræ an. ʒ ij agaric. trochiſc. hermodactyl. diacryd. & ſalis gemmæ an. ʒ j cum terebinth. fiat maſſa de cuius ʒ j fingantur pilulæ vj. pariter deglutiẽdæ. Inter aſſumẽda quoque hæc ex vſu erunt.

℞. mithridat. veteris radic. eryngij & ſatyrionis conditar. an. ℥ ij cort. citri conditi, zinziberis virid. an. ℥ j myrobalanorum condit. ℥ ß pulpæ nucis indicæ, piſtaciorum & nucleorum pini an. ℥ j ſem. napi, rapi, dauci hortenſis erucæ, fraxini, lumborum ſcincorum, teſticulorum verris ſiccator. priapi tauri, coaguli leporis, & ſcobis eboris an. ʒ ij pulueris elect. diamarg. calid. diamoſchi dulcis & diambræ an. ʒ j moſchi opt. ℈ ß ambræ griſeæ gr. vj cum ſyr. conſeruationis myrobalanorum vel nucis moſch. fiat electarium molle deuorandum ſingulis matuti-

nis ad ℥ ß superbibēdo parū vini Hippocratici. Vel
℞.cinnamomi,cardamomi caryophyllorū an.℥ ß zinziberis,piperis longi rad.bistort.& pæoniæ priapi tauri testiculorum verris, stincorum, galangæ, cubebarum nucis musc.rasur.eboris an.ʒ ij croci ʒ j moschi optimi ℈ ß fiat puluis, excipiatur sacharo aqua melissæ dissoluto fiántque tabellæ ponderis ʒ iij vtatur vt dictum est. Item,
℞.fol. artemisiæ siccorum rad. bistortæ & nucis musc.an. ℥ ß croci ℈ j ambræ griseæ gr. iiij moschi optimi gr.vj.excipiantur pariter & fiant tabellæ.

Exemplum pulueris hoc erit.

℞.zinziberis,piperis longi zedoariæ,galangæ caryophyll. rad. bistortæ & rasf.eboris an. ʒ ij semin. pastinacæ,linguæ auis, cardamomi maior.cinnamomi,& coaguli leporis an. ʒ j ß cubebarum ligni aloes & sem.seseleos an. ʒ j moschi gr. vj. ambræ gris.gr.4. panis sacchari pondus duplum vel triplum, fiat puluis de quo capiat cochlear vnum superbibendo parum vini Hippocratici vel pigmenti melle & cardamomo constantis loco sacchari & cinnamomi ex quo Hippocraticum dictum. Simile aliud euadat medicatum ex hoc puluere cum vino rubello.

Eodem sumendorum tempore topica celebrantur vt balneum semicupium vel insessus per tridui spatium manè & vesperi,ex radic.bistortæ, pæonię, enulæ campanæ foliis artemisiæ, nepitæ equiseti verbasci albi,hormini maior.ocymi tanaceti abrotani saluiæ polij montani,summitatum oleastri lauri,rorismarini lauendulæ : florum centaurij minor. saluiæ & balaustiorum. Decoquantur aqua cister-
næ,

næ, cuius colaturæ, fæcis vini albi pars vj. & aluminis ℔ j permisceatur. In exitu vel trypheræ magnæ sine opio ℥ j vel electarij mollis præscripta dosis cum pauco vino medicato exhibeatur, móxque in lecto pessarium roborans vterum eiúsque ceruicem indatur.

Pessariorum exemplum.

℞. ladani masticis santali citrin. balaustiorum nucum cupressi, gallarum viridium styracis calamitæ, calami aromat. cinnamomi, nucis musc. macis an. ℥ ij aliptæ vel galliæ musc. ℈ iiij caryophyll. ℥ ß zibetæ ℈ j moschi optimi gr. vj. fiat puluis, cuius pars media excipiatur melle anthosato instar opiatæ de qua formentur pessuli digitali magnitudine cum pauco gossipio & serico Kermesino filo pendente. reliqua pulueris pars inspergatur pauco gossipio moschato, quod serico rubro inuoluatur, fiántque pessuli ex vino rubro & calente in vuluam intromittendi. Serici penuriam supplebit linteolum vetus & lene. Simile est valdéque efficax ex odoratis & modicè astringentibus concinnatum pessarium.

℞. ligni aloes santali citrini, granorum alkermes, calami aromat. schœnāthos masticis ladani & styracis calamit, myrrhę, sem. seseleos, iridis florentiæ & pæoniæ an. ℥ ij balaust. nucum cupressi & gallarum an. ℥ j ß ciuetæ ℥ ß cum oleo laurino vel costino fiat vnguentum de quo formetur pessarium, vt dictum est.

Balnei si forte ægram pigeat (sæpe enim remediorum non quidem generis aut facultatis, sed formæ varietas leuando longioris curationis tædio, profuit) fotus ex eodem decocto, iisdem horis: sed

paulo pluribus, vt vj. vel viij. continuis diebus regioni vteri per splenia inducantur, móxque à fotu indendum vt supra est pessarium, vel cataplasma ex magmate contuso applicandũ, vel linimentum ex oleo laurino costino de spica cum pauca cera: vel vnguentum ex iisdem oleis addendo puluerum præscriptorum trientem, & ceræ momentum, vel emplastrum pro matrice aut simile quale est hoc.

℞. massæ emplastri ceronei ℥ iiij rad. cyperei calami aromatici folij an. ʒ ij ladani styracis calamit. & benioini an. ℥ ß galliæ vel aliptæ musc. ʒ j cum oleo laurino, fiat emplastrum super alutam bene rasam applicandum hypogastrio.

Fotui succedat suffitus iisdem horis in reliquum mensem siue humidus sit ex eodem decocto balnei (vaporatio dicitur) vel siccus, non intermissis interim sumendis & admouendis aut immittendis etiam post suffitum vt pessariis.

Exemplum suffitus tale erit.

℞. rad. bistortæ, cort. thuris, mastichis & rad. cyperi & myrrhæ, an. ʒ ij cort. citri nucis musc. macis, balaust. gallarum an. ʒ j ß croci caryophyllorum ladani & sem. lolij an. ʒ j trochiscorum aliptæ vel galliæ musc. ℈ iiij. fiat puluis de quo cum succo radic. pæoniæ vel artemisiæ fiant trochisci ponderis ʒ j quorum vapor in introitu & exitu lecti excipiatur ex olla carbonibus accensis referta, vel per tubulũ penitus in vuluam receptum, vel per arundinem, perforato ollæ operculo insertam.

Dropax denique & sinapismus lumbis & feminibus ex Pauli consilio applicentur: quibus scilicet spiritus sanguísque in vtero vehementius protrahatur.

tur. Atque ita quidem toto mensis spatio vterus recalescat & fœcundetur:paucis tamen ante instantem tertiam mensium periodum diebus, ab omnibus remediis foris intúsque abstinēdum,ne inchoatus sanguinis ad vterum motus auocetur, sicuti sequentibus etiam mensibus si conceptus deprehendatur. Aliàs omnium roborātium internorum externorúmque remediorum vsus in proximum mēsem & complures alios, atque adeo in annum integrum aut duos etiam reuocabitur. Omnis enim quæ diutius inualuit & radicem fixit intemperies, perpetua etiam vnius anni medicatione, ægerrimè percuratur.

Adhuc methodus curatiua vteri intemperiei è totius corporis sympathia enarrata est, eadem intemperiei idiopathicæ curatio omnino est, toto corpore per eius sympathiam laborante, multísque cohibiti menstrui excremētis oppresso:itaque post minorationē plethora inde nata per phlebotomiā minuatur: sicuti particularis vteri post vniuersalem & particularem vacuationem deriuanda est per incisas poplitis vel malleoli venas.

Nuda denique intemperies vteri vt quæ natiua aut recens ab externa causa contracta, alteratione simplici & contraria eget vt calfactione, qua etiam densitas substantiæ vteri relaxetur & acetabulorū angustiæ diducantur.

Calida intemperies Vteri toti quidem corpori eiúsque principibus partibus fere communis est, eiúsque signa sunt pręter salacitatem, habitus tenuitas, ingenium velox, mores iracundi, pauci menses & ob libidinem inordinati.

Adscititia autem sæpius est sympathica, túmque

intemperati & calidioris visceris alicuius signa comitantur: cùm substantia ipsius vteri membranea sit, naturáque sua frigida, sitque ex transmissione, vel receptione potius excrementorum alienorum.

Idiopathica vero quæque à cõmuni corporis viscerúmque temperie aliena, rarior est feréque externa calfaciente causa oriunda vt vnguentis, suffitibus &c.

Nulla sane simplex aut expers humoris est, siue insita, siue aduentitia, siue idiopathica, siue sympathica, si præsertim paulo diutius inualuerit. Itaque calidam hanc vteri intemperiem non simplicem Pauli Aetij more: sed siccam quoque: neque nudam, sed biliosis excremẽtis comitatam: neq; propriam, sed vt toti corpori communem, siue insitã, siue aduentitiam curari oportet.

Victus ergo modicè refrigeret humectétque ídque tardius: ne insigni frigiditate vtero obsit, cõstet exẽpli gratia ex vini potione oligophori, i. tenuis albi & aquosi: ex carnibus recentibus agnorum, hœdorum, vitulorum, gallinarum, iuuenculorum, pullorum: ex oleribus vt borragine buglossa endiuia lactuca, portulaca, atriplice, oxalide, tum in acetariis, tum in iusculis: ex piscibus recentibus & saxatilibus: ex fructibus horæis ex cõdimentis acidis, vt succo mali aurantij, omphacij: vigiliarum denique, laboris, inædiæ, æstus, iracundiæ & curarum fuga.

Alterum curationis instrumentum est Pharmacia, remediis constans alterantibus & vacuantibus; hæc indicantur duplicia, phlebotomia & purgatio: Illa quidem rarius tantúmque euentilationis non euacuationis gratia vsurpetur: cum tenuitas habi-

tus

tus adſit, paucitas ſanguinis & menſium penuria. Hæc(id eſt purgatio)cholagoga indicatur ab excrementi bilioſi exuperantia, cui tamen phlegmagogorum purgantium portiuncula permiſcenda eſt: ob mixtam pituitam in muliebri præſertim ſexu, natura &victu cruditatum feraci, cáque ſit deiectoria, ita indicante ſede excrementi purgandi, quod tum in præcordiis circa hepar, tum in maioribus vaſis reſidet. Eorum ordo primus ſecundúſque à duabus primis corporis regionibus indicatur. Sic medulla caſſiæ, pulpa tamarindorum ſebeſten mãña, ſuccus roſarum, aloe, looch de caſſia & diaprunum ſimplex ſunt primi cholagogorum ordinis, rhabarbarum, catholicum, ſecundi ſunt ordinis, quorum tamen tarditas & imbecillitas acriorum eiuſdem generis permixtione pauca indiget vt diaprunis laxatiui, electarij de pſyllio & de ſucco roſarum. Doſis denique ſit mediocris: niſi humoris indicationem vincat habitus aſtrictus & inteſtinorum ſenſus hebetior. Deiectio denique eſt ab vtero vtilis deriuatio.

Altera purgationis ſpecies vomitio eſt & è primæ ſecundæq; regionis partibus & vtero ipſo idonea reuulſio, ſi modo humoris ſpecies motúſque naturæ eo tendant, neque eam tempeſtas frigidior, inaſſuetudo, ægrotantis pectoris anguſtia, aut pulmonis aliqua noxa contraindicet. Eſt autem cienda hora matutina inaníque ventriculo, facilè vomenti & aſſuetæ mulieri: ſin minus, paſtæ tantum & cœnatæ vel pranſæ.

Exemplum purgationis minoratiuæ dictæ.

℞. medullæ caſſiæ recens extractæ ad vaporem

foliorum maluæ vel ℥ j vel ℥ j ß cum saccharo vel potius cum puluere ducis,fiat bolus, detur hora vna vel duabus ante prandium. Vel.

℞. pulpæ tamarindorum & sebesten an. ℥ ß fiat pariter bolus cum saccharo,& detur pariter vel per se vel ex cochleari cum syr.violat. Item,

℞.electar.diacatholic.vel diaprunis simpl ℥ j vel ℥ j ß fiátque bolus vel potio cum sero caprillo depurato: vel cum decocto hordei & trium florum communium: vel pro delicatioribus cum pauco iusculo pulli,foliis buglossi borrag. endiuiæ & acetosæ alterato.Sin intestina sola,puro ventriculo, à duro stercore obsessa sint,ea clystere molli liberanda sunt ante omnia.

Postridie minorationis aperienda vena cubiti, viscerúmque æstus temperandus est, sed parciùs, sanguis detrahendus ne mensium exigua materia subducatur, siquidem in eiusmodi picrocholo tenuíque habitu penuria sanguinis adest.

Exemplum iulepi alterantis & concoquentis bilem.

℞. aquarum endiuiæ acetosæ & cichorij an. ℥ iiij syr. acetosi simpl. oxymel. simpl. oxysacchari simpl.an.℥ ij santali citrini ʒ ij fiat iulepus in tres doses matutinas vel plures (pro cacochymiæ pituitosæ mixtæ copia & obstructionum) distribuendus.

Efficacior fiet iulepus ex eadem aquarum dosi & syrupor. acidorum vt de limonibus, de acetositate citri, de granatis acidis si bilis feruidior fuerit, vt inde nausea aut lipothymia ex vellicatione stomachi obrepat. In eundem vsum alterationis & apertionis apozemata ingratiora quidem, sed tamen efficaciora

ficaciora decerni solent, sicuti efficacissimi ex succis herbarum conuenientium iulepi.

℞. radicum lapathi acuti, acetosæ cichorij an. ℥ ij foliorum capillorum vener. endiuiæ cichorij, rostri porcini, dentis leonis oxalidis an. m.j. sem. 4. frigidorum maiorum contusorum ℥ ij hordei integri florum violariæ borrag. & cichor. an. p.j. coquantur omnia suo ordine & in colaturæ ℔ j ß dissolue sacchari rosf. q̃rt. j santali citrini ʒ j fiat apozema clarificatum pro tribus dosibus matutinis. In quo si aciditas ex vsu esse videatur ob acrimoniam bilis & lipothymiam ægri, in fine coctionis addantur succi mali limonij ℥ ij vel finita coctione dissoluantur syrup. de limonib. aut consimilis ℥ iij vel iiij.

Efficacissimi denique iulepi fient ex earundem herbarum vt cichorij acetosæ endiuię expressis succis & per quietem aut ebullitionē & despumationē depuratis, admixtóque saccharo & cinnamomo.

Sic vbi præparata, mitigata, detersáque bilis viæq; expeditæ fuerint, tum demum illa ex venis & visceribus purgatione commodè extrahetur.

℞. rhabarbari in aqua endiuiæ vel graminis per noctem infusi ʒ j ß agarici trochiscati ʒ ß spicę nardi ℈ j in expressione dissolue diaprunis solutiui ℥ ß syrupi rosar. laxatiui ℥ j fiat potio, detur mane cum custodia. Huius electarij vicem suppleat, sed minori dosi vt ʒ ij vel iij. electarium efficacius de succo rosarum vel qui sequitur bolus.

℞. electar. diacathol. & diaprunis solut. an. ℥ ß rhabarbari puluerisati & aqua endiu. irrorati donec mollescat ʒ ß vel ʒ j fiat bolus cum saccharo & detur eadem hora cum custodia. vel,

℞. massæ pilular. de agarico & aurearum an. ʒ ß diacrydij gr. iiij. cum aqua endiuiæ fiant pilulæ vj vel vij deauratæ deuorandæ post primum somnum, leui cœna præcedente. Pilulæ quia diacrydiatæ & colocynthisatæ acriores sunt, ideoque purgandæ bili in calida natura, vel febricitante minus aptæ sunt.

Vomitoria vacuationis exempla.

VOmitio, siquidem ad ipsam omnia congruant, citanda est vel leuioribus potionibus si bilis tenuior minúsque pituitæ mixta, aliàs acrioribus, magísque attenuantibus & detergentibus pituitam.

Leuior sit ex succo ℥ ij rad. raphani vel ex ʒ iij eiusdem pulueris cum iusculo tenui vel ex aqua tepida in qua olei communis ℥ ij dissolutæ sint.

Acrior & vehementior fiat ex hoc decocto quod recipit semin. raphani atriplicis & radic. azari an. ʒ ij agarici ʒ j. summitat. hysopi & satureiæ an. m. j. In huius decocti ℥ viij vel x oxymelit. simplicis vel scillit. ℥ ij dissoluantur & hæc potio detur tepidè.

Expurgata bile tanquã calidam intemperiem fouente: tum demum calida corporis vtrique intemperies alterantibus contrariis expugnanda est intus forisque propriis vt topicis & communibus: hæc sunt interna quidem electaria mollia duráque, iulepi, iuscula: Externa balnea & vnctiones, insessus, vnguenta, fotus.

Exemplum electarij mollis.

℞. conseruæ rosar. cichorij & nenupharis an. ℥ ij pulueris electàr. diamargarit. frigidi & triasantal. an.

an. ʒ j semin. acetosæ, portul. & lactuc. ras. eboris margaritarum & coralli rubri an. ʒ ß cum syrupo de nenuphare cogantur omnia in mediam consistentiam. Capiat ʒ ij vel iij mane superbibendo parum aquæ acetosæ lactucæ vel nenupharis. Ex eadem omnino materia si loco syrupi ponatur saccharum fiet conditum dictum.

℞. pulueris electar. diatriasantal. ℥ ß seminis acetosæ portulac. & lactuc. an. ʒ. j. rasuræ eboris margaritarum & corall. rub. an. ʒ ß pulueratis puluerabilibus misceantur omnia cum saccharo aquæ acetosæ, vel lactucæ vel rosarum soluto; fiátque electarium solidum tabellatum.

Ex eadem omnino materia, formula fiat remedij interni quod conditum vocatur, hoc solo discrimine, quod in hoc pro syrupo sacchari puluerisati conueniens modus adhibeatur mixtis etiam auri vel argenti 4. aut sex bracteolis. Sicuti electarium durum à molli differt: quod in hoc puluerum quarta pars melli aut saccharo misceatur, id est tres ℥ ℔ vni, ʒ ij ℥ j adiungantur: in illo ʒ j ad ℥ j aggregetur.

His electariis ingratioribus fortasse; vtiliter substituatur aut lac asininum aut serum caprillum per cocturam bene repurgatum in cuius ℔ j per totam noctem foliorum cichorij m. j. sub dio maduerit in quo post colaturam sacchari rosati momentum dissoluatur. Sic succi cichorij destillatione per filtrum purgati & saccharati ℥ iiij vel vj prosint: vel denique iusculum incoctis lactucæ portulacæ & acetosæ foliis alteratum & per xx dies aut mensem continenter potatum in exitu lecti.

Exemplum balnei refrigerantis.

♃. rad. altheæ lapath. acuti cum suis foliis an. ℔ ij fol. 4. emollientium, cannarum vitium salicis cucumerariæ melonum, cucurbitæ sonchi rostri porcini, dentis leonis, cichorij, betæ, & mercurial. an. m. iiij. siue fasciculum j florum trium communium & nenupharis an. p. ij. coquantur in aqua dulci pro balneo quod post colaturam factam ingrediatur mulier mento tenus, vacuo ventriculo mane & vesperi tepidè & sine sudore, in eóque maneat per duas horas singulis vicibus & per triduum in vnoquoque mense æstiuo.

♃. vnguenti refrigerantis Gal. ℥ vj applicetur subfrigidè toti spinæ hypochondriis & vteri regioni cum momento aceti albi post detersum balnei madorem in lecto, ídque multum fricando. Quod si à balneis ægra mulier abhorreat, ex eadem materia fotus concinnetur iisdem horis, móxque à fotu vteri, eidem idem vnguentum applicetur. Fotum quoque suppleat tum insessus aut semicupium, aut euaporatio etiam per sellam deiectoriam. His omnibus externis remediis, clyster vterinus ex earundem herbarum decoctis, vel succis vehementer prosit. Atque hæc sit curatio relictæ intemperiei calidæ vteri per contraria alterantia satis exposita: quorum magnitudo intemperiei ipsi spatio potius curationis longioris quam gradu æquiparanda est: cum enim contumacior sit intemperies insita non tam vehementibus: (ne vtero intemperiem priori contrariam .i. frigidam asciscant) quam diuturnis sæpiúsque repetitis debilioribus remediis absoluẽda est. Proinde cum vere medio inchoata hæc fuerit curatio, ea quidem in totam æstatem primámq; au-

autumni partem proroganda eſt, reuocatis ſemel, vel bis, balneis & topicis præſcriptis præmiſſáque purgatiuncula.

Adhuc intemperiei calidæ vteri ſympathicæ & vniuerſalis totíque corpori communis methodus curatiua expoſita eſt. Nunc eiuſdem intemperiei ſympathicæ & particularis, ex viſceris alicuius ſublimioris vt hepathis ſympathia exponatur: hanc autem propria hepatis calidioris ſigna libro de arte parua Galeni propoſita teſtantur.

Conſtat autem hæc eodem remediorum genere alterantium vacuantiúmque.i.cholagogorum:cum vtriuſque partis idem ſit excrementum bilioſum tum hepatis generantis mandantiſque: tum recipientis vteri. Itaque ab vniuerſali ſympathiæ methodo differt, vſu ſolo & vſurpatione externorum alterantium; quod hęc non toti corpori vt balneũ, ſed hepatis tantum vterique regioni neceſſe ſit adhiberi, vt litum, vnguentum &c.

Internorum enim tum quæ bilem vacuent: tum quæ alterando humorem vacuationi præparent, viáſque aperiant: tum denique quæ propriam partis vtriuſque vteri & hepatis intemperiem nudam à vacuatione relictam emendant, vſus idem omnino eſt. Hæc autem intemperiei ſpecies affectio veriùs eſt, quàm affectus, niſi poſtquàm diutius inualuit & à diutina ſympathia confirmata eſt.

Iam intemperies vteri idiopathica rara quidem inſita: ſæpiúſque eſt aduentitia à cauſæ alicuius externæ calidæ exuperantia, vt inſeſſus ſuffitus vnguenti &c.contracta. Generis eiuſdem remediorũ alterantium & vacuantium indicatio eadem eſt, ab eadem ſcilicet bilioſi excrementi abundantia par-

tísque intemperie calida: in vsu tantum discrimen est, & à parte indicatur siue de admouendis siue assumendis & immittendis sermo sit. Ac assumenda quidem alterantia vacuantiáque antea sunt exposita: semper enim particulari vacuationi, vniuersalis primæ secundæque regionis excrementorum præmittenda est. Immittenda autem constant iniectionibus refrigerantibus & tergentibus mixtis cholagogis, siue etiam pessariis, deinde refrigerantibus leuitérque coarctantibus laxiorem ab immodico calore matricem. Admouenda quoque topica eadem sunt nempe refrigerantia & astringentia.

Simplices intemperies quia vix vnquam solitariæ reperiantur, simplici curatione non egent: sed cognatis intemperiebus semper iunguntur, vt caliditas siccitati, frigiditas humiditati, præsertim vbi iam morbosæ euaserunt. Quare proximus curationis locus erit tumorum vteri præter naturam partim, vt qui vtriusque generis morborum naturæ participes sint similarium & organicorum.

De Vteri tumoribus.

EXposita omnium intemperierum vteri methodo curatiua, proxime subiicienda est ea quæ ad tumores dirigitur, quorum omni genere vterus exerceri solet & quidem tam naturalium quam nonnaturalium. Vocantur autem illi naturales quicunque ex aliqua sanguinis parte ab aliis secreta effusáque excitantur, quorũ sunt principes quidẽ species Phlegmone, Oedema, Scirrhus, Erysipelas eorúmq; differentiæ, vt phlegmone erysipelatodes scirrodes

des &c. Nonnaturales contrà dicuntur qui ex humore excrementitio exaggerantur vt inflatio, hydrops, herpetes cancri &c.

Cæterum cum vteri partes quatuor distinguantur fundum, eiusque interius orificium, siue os matricis, ceruix siue collum, & pudendum, seu orificium colli: nunc morborum tumorúmque fundi methodum aggredimur, mox de aliarum partium ægritudinibus acturi.

Phlegmone igitur vteri, quæ tamen ceruicem eius carnosam potius quam reliquum membranosum corpus exangue densúmque infestare solet, à communibus fluxionum causis commouetur tum internis vt plethora siue vniuersali siue particulari (ab vtraque enim obstructis cotyledonibus non in cauitatem vteri sanguis illabitur: sed in eius substantiam totam diffunditur) tum externis quæcunque vel præ ingenti dolore præcipitem sanguinis cursum proritant, vt sunt ictus, casus, occursus violentus, aborsus: vel præ frigore, terrore, ira inchoatum sanguinis cursum cohibent, aut lochiorum etiam in puerperis: aura enim frigidior subiens sicuti & potatio gelida, acetabula astringit: sicuti & terror coacto ad cor calore, ira foras impellit sanguinem cum spiritu ab vtero reuocatum.

Communia vteri phlegmones & reliquarũ partium signa diagnostica sunt, tumor, ardor, rubor, durities & renitentia, dolórque pulsans eius partis cui in vtero insidet, siue anteriori siue posteriori, siue laterali. Multo plura sunt aliarum partium symptomata, quæ suscitat per sympathiam atque transmissionem vaporis, humorísve, vel per contagionem tantum & generis cognationem: alligatur

enim cum recto intestino & vesica per villos complures: cum osse sacro pube & ilibus, per tunicam à peritoneo ductam & per vincula laxa quidem (ut moueri distendíque vterus facilius possit) sed tamen valida à processuum lateribus orta per coxas & inguina ad os vsque pubis delata. Hepati per venas spermaticas & hypogastricas, cordi per arterias, cerebro & neruoso generi per spinalem medullã, cui validis vinculis annectitur, pérque neruos tum à sexta coniugatione tũ à rachitide exortos: itaque ex anteriori parte inflammata non solum pubem & imum ventrem dolor ardórque excruciat, sed stranguria quoque vel dysuria vrget oppressa ab inflammationis mole vesicæ ceruice. Posteriori parte inflammata dolor idem ardórque lumbos grauiter exercet & fæcum retentio ab eadem intestini oppressione. A laterali parte & ligamẽtis inflammatis maior inguinum dolor & coxarum, ægráque ambulatio, aut claudicatio etiam femoris vicini, ægram molestat.

Ab antica quoque inflammata vteri regione, phrenitis delirium cephalalgia intolerabilis vsque ad radicem oculorum sinciput exercet delatis per iugulares venas & arterias eo desinentes vaporibus, à quibus panniculi cerebri per suturas rariores cum tenuium vasorum copia foras emicantes & pericranio annexas vehementius distenduntur & diuelluntur. Est quoque os ipsum maximè fistulosum, hinc à sincipite ferè sudor oriri solet.

A postica parte dolor idem ardórque per spinalem medullam sine vlla tamen vaporum translatione, sed sola contagione & sympathia communicatur totíque neruoso generi, ex qua ceruix brachia

chia manus digiti crura conuelluntur, diaphragma reuellitur, cum difficili respiratione, stomachus singultit, dolet, vomitque præsertim à pastu. Sic affecto corde per arterias venasque vteri lipothymiæ, sudorque frigidus frontis & extremarum partium commouentur.

Prognostica signa.

PHlegmone vteri quanto maior tanto periculosior, ob acutā magis grauemque ab ampla quàm ab exigua phlegmone febrem & symptomata funesta phrenitim, delirium, cephalalgiam, sitim, iactationem. Quod si phlegmone vterum prægnantis obsederit, certa mortis formula fœtæ fœtuíque est: hic enim calore febre aut inedia necatur vel à tumore foras eliditur: Illa ab ardente febre, abortu grauibúsque symptomatis de quibus Hippocrat. aphor. 43. lib. v.

Methodus curatiua Phlegmonarum communis.

PHlegmone morbus est ex immoderata maiorum minorumque venarum repletione. Indicatio curatiua est euacuatio, eaque duplex: tum antecedentis causæ, quæ sanguis est fluens vel mox fluxurus: tum coniunctæ qui sanguis est vasa omnia implens & distendens. Prior illa reuulsione & deriuatione constat, vtraque obtinetur per phlebotomiam, sed illa in parte contraria magisque vicina secundum rectitudinem: hæc in venis tali siue malleoli fieri debet. Posterior aliàs manifesta est, vt per apertionem, per hæmorrhoidum fluxum, per hirudinum morsum, per scarifi-

cationem aut phœnigmum: alias obscura est, & insensilis quæ digestione aut repercussione constat: hæc quidem posteriori ordine celebranda est: ne facta iam fluxio præ calore aut dolore, noua fluxione augeatur, aut, ne repercussa pleno corpore & turgentibus venis maioribus repellatur & in parte subsistat, gangrænam aut scirrhum excitatura.

Curatio Phlegmones vteri.

PRimum instrumentum profligandæ vteri phlegmones diæta est refrigerans incrassans & attenuans, vt fluxionis incitatrices causæ tenuitas caliditas & copia sanguinis subducantur. Itaque per æstatem ver & autumni primam partem quiescat ægra in conclaui aquiloniis ventis perflato, aut frigida irrigato, aut ramis foliisque frigidarum plantarum strato: per hyemem in eodem bene clauso: sed ignibus tamen luculentis submotis.

Vigilias prolixiores adhibeat, somnum fugiat, iram omnémque animi ægritudinem, spiritus & sanguinis perturbatricem declinet. Motus omnes femorum & tibiarum compescat, brachiorum agitationem fricationémque permittat. Cibi frigidi humidíque parsimoniam colat, non tamen integram tridui inædiam, quam Aetius Paulúsque præcipiunt, voraciori nostro sæculo non ferendam. Vescatur ergo pane loto coctóque cum hydrelæo, lacte amygdalino & hordeato cum aqua & saccharo elixatis. Aut si ægram horum obsoniorum tædeat, iusculis pullorum alteratis, foliis oxalidis buglossi endiuiæ borrag. & omphacio, prunis

nis & pomis coctis iisque semel vel bis in die, neque enim temerè sanorum pascendi pristina consuetudo, ægrotantibus illis mutanda est Hippocrate authore de vict. acut.

Alterum instrumentum est chirurgicum, scilicet phlebotomia duplex, reuulsoria & deriuatoria: illa in cubiti dextri flexu præcisa basilica, vel mediana exerceatur, primo quoque die & hora qua accersitus medicus nascentem phlegmonem detexerit; ac constantibus quidem viribus, ætate satis adulta & obeso habitu copiosè & ad animi lipothymiam sanguis hauriatur, siquidem fluxio præceps sit & vehemens. Alias in vices distribuatur quibus vires idoneo alimento recreandæ sunt. Sin exigua phlegmone, virésque valde afflictæ sint, vt puta à dolore ingenti, abortu, & vacuatione aliqua insigni, tum omissa phlebotomia, solis frictionibus & deligationibus brachiorum & cucurbitulis ad hypochondria apponendis confidendum est.

Altera phlebotomia deriuatoria vno aut altero die post reuulsoriam, repressúmque iam fluxionis impetum iure celebretur in poplitis vel pedis interna vena, qua coercitus circa vterum venásque eiusdem minores sanguis adhuc liquidior, diuellatur.

Tertium instrumentum est pharmaceuticum multiplici differentia: quædam enim antecedenti causæ opponuntur: tum vacuantia, tum alterantia: illius speciei est clyster mollis ex ℔. j. decocti emollientis & refrigerantis (ne maior liquoris copia vterum dolentem premat) qui phle-

botomiæ præmittatur, vel mox substituatur, vt intestina fæcibus & sordibus exonerentur in venas mesenterij exhaustas rapiendis. Huc etiam spectat purgatio præsertim cholagoga leniórque citra nimiam vasorum apertionem ne fluxio augeatur: bilis autem è subtiliori sanguine à febre cumulatur quæ fluxionem adiuuet.

Alterantium species sunt iulepi & apozemata frigida siccáque à quibus sanguinis caliditas febrísque obtundatur, tenuitas incrassetur, eiúsque motus & fluxio retardetur. Vtriusque speciei materia & forma exposita est capite de intemp. calida vteri. Commune antecedentis & coniunctæ caußæ remedium primúmque post phlebotomiam, purgationem & iulepos, est de genere repellentium, quæ frigido siccóque temperamento, crassa & terrena substantia, austero acerbóque sapore prædita sint, quæ non solum refrigerando fluentem sanguinem reprimunt: sed astringendo quoque coarctando & comprimendo partis substantiam, sanguinem iam influxum ex parte inflammata exprimunt, & ex venis minimis in minores, & ex his in medias, tandémque maximas: atque adeo ex ipsis quoque obscuris partis poris remeare cogunt.

Ea vero eo vsque vsurpanda sunt, donec pars liuescere incipiat in externis inflammationibus, aut donec tumor ardor dolórque internarum crescere sentiatur. Cauendum enim singulariter est ne perfrigeratione sanguis in scirrhum concrescat in quem opportunissimus est vterus: ob substantiæ suæ crassitiem & densitatem fluxionis retentricem. Vsurpanda insuper

per vel liquida vel media consistentia, quia solida minus alte penetrant in partem distantem suáque grauitate & duritie dolorem intendunt. Admouentur autem foris imo ventri & regioni dolentis vteri : vel immittuntur per collum vteri, vesicæ aut intestini, his enim ductibus admissus liquor inflammatam vteri anticam, posticam, lateralem regionem proximè attingit vt situs & conformatio vteri apertè declarant.

Primum ergo vsurpabitur remedium sub forma liquidâ, exempli gratiâ fotus ex oxycrato, ex aquæ & aceti ea proportione mixtis vt bibi possit. Hoc spongia excipiatur & subfrigidè admoueatur. Aquæ stillatitiæ vt solani, plantag. rosar. & lactucæ maiorem vim obtinent quàm aqua simplex. Post fotum commode parti inducetur medicamentum quod olei myrtini ℥ ij aquæ rosat. & solani ℥ j aceti rosati ℥ ß albumine oui vnius, & caphuræ ʒ ß diligenter inter se permixtis constet: Similis denique facultatis est mucilago seminum psyllij & cytoniorum ex aquis solani & plantag. extracta addita aceti parte octaua.

Tertiò admouebitur cataplasma : vt puta ex succis folior. semperuiui solani plantagin. vmbilici vener. cum polline (i. tenuissima farina) hordei super ignem vel etiam sine igne mixtis.

Licebit etiam pulueris santali albi & rubri, sumach balaustiorum corticis granatorum aliquid inspergere. Cataplasma hoc ex stupis vel linteolis minori mole imponatur; ne parti graue sit

& molestum.

Vnguentum denique ex vsu erit, vt quod comitissæ vocant, quódque ex oleo cytonior. lentiscino, myrtino, cum prædictis pulueribus & cera alba fingitur. Hæ omnes remediorum non solum externorum, sed internorum etiam formulæ, sæpius commutandæ sunt, ne cùm incaluerint, caliditatem partis vicissim foueant & ingeminent.

Ex iisdem aquis & succis iniectiones fiant tum in vterum, tum in vesicam, tum denique in intestinum, sed per vices, ne duplici oppressione dolor partis inualescat. Vterina autem iniectio sublatis cruribus & femoribus aliquantisper vt per quartarium horæ, ne effluat cohibenda est.

Pessaria denique ex magmate herbarum refrigerantium contusarum linteolis incluso digitali magnitudine, vel earundem iure cum farina hordei pisto, pultis instar, & linteolis excepto intromittantur. Hæc quidem est legitima phlegmones in suo principio curatio (per reuellentia phlebotomiam & purgationem, & repellentia) quæ tamen propter doloris vehementiam ab ardore & immodica tensione, sæpe interpellatur, vt ei leniendo omissis repellentibus imprimis studeatur, tum quia vires labefactat ægrotantis: tum quia fluxionem febrémque & symptomata eius omnia vehementer exasperat; sicuti ipse à repellentibus vicissim exasperatur. Lenitur autem medicamentis tum anodynis, tum narcoticis. Illa quòd moderatà sint substantia, modicéque calida & sicca partem

tem laxant, nonnihil materiæ coniunctæ digerunt, eámque mediocritate quadam temperant: sed reuellentibus semper subiungenda sunt.

Anodynorum exemplum vsitatissimum est cataplasma ex mica panis in aquâ calente macerati & expressi, tandémque cum lacte caprillo potius quam bubulo additis ouorum duorum vitellis in pultem percocta. Simile est ex folior. maluæ, violariæ manipulis aliquot, elixatis, contusis, mixtísque cum farina hordei & mucilag. radic. altheæ extracta ex decocto florum chamæmeli, meliloti; oleo denique chamæmelino, & violaceo, vt fiat cataplasma.

Sic pessaria fiant ex oleo violato chamæmel. & vitellis ouorum crudorum mixtis & gossipio exceptis.

Contumaciorem dolorem narcoticis domare practici solent, vt cataplasmate ex foliis papaueris albi hyoscyami, mandragoræ sub cineribus coctis, contusis cum vnguento rosaceo vel populeo: aut tempore hyemis cum axungia porci non salita &c.

Proximus est in curatione ordinaria post repercutientia digerentium vsus in augmento nempe, non tamen simplex vt in declinatione, sed admixtis repercutientibus quantitate quidem maiori in augmento: sed minori in statu. Tametsi enim eadem sit phlegmones toto suo decursu essentia: ab eius tamen causis per temporum vicissitudinem variantibus, varia medicamentorum genera indicantur. Superest sane in augmento

vis magna fluxionis quæ quidem cohibita fuit in principio morbi, reuulsionis & repercussionis ope, sed non prorsus repressa: quia factæ iam fluxionis portio parti adhæsit frigore repercutientium durior crassiorque. Ab illa repercussio: ab hac resolutio indicatur in augmento.

Distinguuntur autem phlegmonarum tempora symptomatis earundem: vt augmentum ex maiori tumore, dolore, ardore, rubore, duritie & febre.

Digerentium medicamentorum genus vnum est, sed duplici differentia. Quædam enim leuiora, arçotica dicta: alia fortiora quæ priuatim diaphoretica vocantur. Illa, sunt mediæ naturæ magis vicina, calore ab humiditate temperato ad primum tantum ordinem. Hinc dolorem leniunt, cutem eiusque poros rarefaciendo eosque tenuitate sua penetrando & humorem inhærentem liquando, ex quo vapor fiat semper expirans, donec locus detumuerit. Atque hæc quidem fere satis sunt in phlegmonis in quibus materia morbifica superficiei magis vicina est, eaque calida humida & tenuis, cúmque locus mollis & rarus est. Sic Galen. libro tertio de Arte parua à phlegmones curatione remouet vsum acriorum resoluentium: ne calore & dolore fluxionem augeant.

Quæ secundo ordine aut supra calida sunt, vtilia sunt, cum in alto corpore humor residet: cúmque idem humor crassus frigidus & glutinosus est: quando denique dura est & densa partis substantia & distantior sedes. Videndum enim non quale est, sed

ſed quale futurum ſit dum ad partem peruenerit remedium.

Vtramque diaphoreticorum materiam permiſcendam eſſe in diſcutienda vteri phlegmone, ſuadent ſitus eius remotior & ſubſtantiæ craſſities atque denſitas:tum ſanguinis menſtrui lentor & craſſities, ex quo phlegmone accendi ea in parte ſolet.

Ad procurandam igitur repercuſſionem validiorem cum modicâ digeſtione in ipſo morbi augmento poterunt exempli gratia ea quæ mox ſubiiciuntur vſurpari.

℞. fol. plantag. abſinthij maluæ violar. ſummitat. myrti & rubi an. m. j. roſar. rubr. flor. chamæmeli meliloti an. p. j. balauſtior. & cortic. malorum granatorum an. ℥ j coquantur in oxycrato: reſidentia contundatur & cribretur, eíque adde farinæ hordei & lini, butyri recentis & axungiæ porci ſine ſale an. ℥ ij olei roſati, chamæmel. an. ℥ iij fiat cataplaſma applicetur ſuper ſtupas cannabinas bene pexas: vel contuſa commixtáque eadem materia intra ſaccellos excipiatur. Ex hoc ergo decocto pars primum foueatur, mox à fotu patefactis poris cataplaſmate tegatur, cauendo tamen ne pars nimis oneretur & indoleſcat.

℞. olei roſati myrtini & chamæmelini an. ℥ ij mucilag. ſeminis cyton. & pſyllij extractæ ex aqua plantag. quartar. vnum. roſar. rub. baccarum myrti, & ſantalorum omnium an. ʒ ij axungiæ porci inſulſæ & butyri recent. an. quartarium ß ceræ nouæ q. ſ. fiat vnguentum.

Simile erit vnguentum reſumptiuum & de althea cui inſpergatur puluis roſarum, ſantalorum

omnium, gallarum calycum glandium & cort. mali granati ad partes æquales puluerum & vnguentorum vt pariter discutientia & repellentia euadant.

Emplastrorum & ceratorum forma durior grauiórque sit quam vt pars dolens ægráque ea perferat.

Cum status adest tumórque, ardor, dolor, febris & symptomatum eius tota syndrome plurimum vigent: tum digerentibus pluribus pauca repercutientia miscenda sunt: ne fluxionem tametsi iam suppressam redintegrari calore & dolore vehementissimo contingat.

℞. micæ panis frumentacei ℔. j. infunde per horam in aqua feruenti & exprime, eíque adde mellis rof. quartar. j. fiat cataplasma, vel

℞. fol. maluæ plantag. calamenth. absinth. an. m. j. florum rosarum chamæmel. & aneth. an. p. j. coquantur cum vino, contundantur & cribrentur, cribraturæ adde farinæ lini & fœnugr. & furfuris subtilissimi an. ℥ ij olei rosati q. s.

In declinatione sola digerentia abdicatis repellentibus omnibus conueniunt, non tamen valdè acria ob metum fluxionis: sicuti si proximo cataplasmati addantur folia artemisiæ pulegij matricariæ. Simile quoque erit vnguentum ex emplastro diachylone, ireato dissoluto cum oleo chamæmel. vel liliaceo.

Postquam denique tumor prorsus subsedit ac nihil quod exhalet reliquum esse videtur: tum pars ipsa confirmanda est, quæ longiori decubitu fluxionis vsúque digerentium valde elanguit, ne postea rheu-

rheumatiſmo ſæpius vexari eam contingat.

Fotus parabitur, ex decocto folior. equiſeti tapſi barbati, ſummit. at. oleæ, rubi, myrti & baccarum eius, balauſtiorum, nucum cupreſſi gallarum roſar. & aluminis rochæ, in vino tortiuo.

De abſceſſu vteri.

PHlegmone vteri quæ ob materiæ copiam lentorem aut craſſitiem, vel denique ſedem diſtantiorem neque prohiberi, neque digeri potuit, in nouam morbi ſpeciem degenerat quam ἀπόστημα Græci vocant à verbo ἀφίστασθαι, quod partes ſimilares quæ antea contiguæ erant, recepta fluxione impletiſque intermediis earum ſpatiis à ſe inuicem ſeparentur: hinc Abſceſſum Latini vocant ab abſcedendo, vel recedendo. Quanquam aliud etiam eſt abſceſſuum genus, nõ ex fluxione ſanguinea: ſed congeſtione ortum habens, idque ipſum varium admodum eſt pro multiplici excrementorum contentorum corporúmque ſolidorum natura.

In tres tamen ſpecies ſecari tantum ſolet, Atheroma, Steatoma & Meliceridem. Eſt autem abſceſſus phlegmonoſus, alias crudior, alias maturatus; In illo omnia phlegmones ſymptomata grauiter inualeſcunt, tumor fit eminẽtior duriórq; concepto vapore multo ex ſanguine efferueſcente, vnde tenſio ardórque maior longanonis, aut veſicæ aut pubis oppreſſio maior, vrinæq; & fæcum moleſtior quam antea ſuppreſſio, indéq; dolor acrior, magis pungens & lancinans: febres denique ardentiores,

ſed acceſſiones crebriores magíſque inordinatæ & cum horrore,emicantibus ſcilicet ex abſceſſu ipſo vaporibus acrioribus,in partes nerueas &membraneas, vel calore ipſo natiuo ſeſe ad coctionem & maturationem materiæ colligente, aliáſque partes affatim deſtituente.

Tum igitur phlegmonoſus abſceſſus ſuppuratione curandus eſt quæ materiam ad facilem eductionem comparet. Eius quidem ſola natura cauſa efficiens eſt,ſicuti ſolus ſanguis idonea materia quæ vertatur in pus magis minúſve ſincerum pro ſubſtantię eius craſſitie, vel tenuitate, calore vel frigore. Iuuatur tamen à medicamentis tum calidis humidis & naturæ partium ſimilibus : tum emplaſticis, vt præcluſis cutis ſpiraculis caloris ſubſtantia non qualitas creſcat: partéſque ſolidæ confirmentur, à quibus vitioſus ſanguis concoquatur, earúmque conſuetudine exalbeſcat, tandémque fiat pus album læue & vniforme. Itaque à ſuppuratoriis arceantur : tum detergentia, tum validè calfacientia ſiccantiáque niſi ſint emplaſticorum miſtione retuſa, vbi ſcilicet multa ſunt ſanguinis vitia, vt frigus & lentor, eodem tempore domanda.

Illius generis ſunt leuiora ſuppurantia, aqua tepida ſimplex, hydrelæum, oleum, butyrum, adipes domeſticorum animalium præſertim recentes, vt & medullæ, verbi gratia gallinæ,porci,anſeris,cerui,vituli,veruecis.

Paulo efficaciora ſunt, rad. althϵæ, liliorum, folia quatuor emollientium herbarum,caricæ,ſemen lini

lini eiúsque mucilagines & altheæ, extractæ ex decocto florum chamæmeli meliloti, folia quoque oxalidis & tussilag. sub cineribus cocta & cum adipibus prædictis mixta.

Efficacissima sunt, in lenta contumaci minúsque suppurabili materia vt phlegmonarum istarum vel inueteratarum, pix, terebinthina, galbanum, ladanum, styrax pinguis. Ex his omnibus differentiis fotus cataplasmata & vnguenta concinnantur, qualia etiam asseruantur in pharmacopoliis vt basilicum vtrumque diachylum, ireatum & de mucilaginibus.

Fotus ergo paretur tepidus: vel ex aqua simplici, vel ex hydrelæo vel ex decocto plantarum prædictarum, tantisper continuandus, donec pars erubescat & extumescat, non subsideat, aut expallescat.

Vel etiam ex pane calente ex furno, cataplasmata conficiantur, vel ex farina tritici, lini, hordei, quæ purissima sit & ab omni furfure purgata tergente & resoluente, cocta, cum aqua & oleo, vel cum mucilagine radic. altheæ, aut seminis lini extracta ex decocto florum chamæmeli vel caricarum pari quantitate, vel ex materia prædictarum plantarum cocta, tusa, cribratáque cui farinæ prædictæ adipes suis, gallinæ, medullæ veruecis vel vituli addantur. vt

℞. farinæ tritici & mucilaginis lini vt dictum est extractæ an. ℔. j. misce ad ignem. Item.

℞. rad. altheæ & liliorum an. ℔ ß fol. quatuor remollitorum an. m. j. florum chamæmeli meliloti an. p. j. seminis lini ℥ j caricarum paria quatuor

cepam numero j. coquantur, contundantur & cribrentur: cribraturæ adde farinæ hordei puriſſimæ ℥ iiij axungiæ anſeris & gallinæ an. quartar.ß. medullæ cruris veruecini vel vitulini & butyri recentis an. ℥ j miſce fiat cataplaſma & applicetur.

Iam vero ſuppuratio abſceſſus facta, ex omnium ſymptomatum mitigatione dignoſcitur:(Stupor enim ſolus & indolentia citra tumoris depreſſionem febríſque extinctionem & duritiei mollitionem, gangrænam, partémque ſyderatam & emortuam indicat) donec eadem omnia recrudeſcant vt acriores dolores febréſque vehementiores, dum pus acre partem exedens, eruptionis viam ſibi parat: quod pus ex fundo quidem & lateribus vteri: alias in eius interiorem ſinum influit, vnde ſincerum effluere per pudendum ſolet, aliàs in abdominis capacitatem inter peritonęum & inteſtina penetrat, imúmque ventrem ad inguina diſtendit opprimítque: ſic ex orificij externi aperto abſceſſu, pus per ceruicem eiuſdem eructatur: ſicuti aliquando ex antica parte per veſicam: ex poſtica per inteſtinum profunditur.

Eſt autem ex ventre detrahendum ſectis inguinum locis, vbi ilia terminantur. Diuidi enim, vt puto, & cicatrice claudi, peritonæos membrana poteſt, ſicuti ex paracenteſi hydropicorum & chirurgia enterocceles conſtat, in quibus ſine vllo periculo ſaneſcit.

Quod ſi ſuppuratio facta, ob craſſitiem carnoſæ vteri ſubſtantiæ, aut ob puris craſſitiem lento-

lentorémque nequaquam sponte sua rumpatur, illa ne serpat longius & cuniculos agat, partis substantiam longè latéque depascendo, maturè foras euocanda est, non ferro tamen aut igne: ne obuia vesica violetur; sed medicamentis, non causticis quidem, aut cathæreticis propter metum iniuriæ quæ eidem vesicæ inferri posset, sed epispasticis validéque attrahentibus, calidis siccísque ordine secundo completo & tenuis substantiæ, quæ conditum intus penitúsque in altiorem vteri substantiam abstrusum pus, in eiusdem superficiem transferant. Ideóque eorum forma solida conuenientior est, vt cataplasmatum quàm liquida: illa enim subditam saniem aliósque quosuis humores foris è regione opposita ad sese aduocant.

Licet tamen etiam pus ipsum quod paucum sit & superficiarium in aliis quidem partibus medicamentis vehementer resoluentibus & siccantibus per cutis spiracula exugere: nam in altioribus partibus hæc quoque consumendi puris ratio inanis est, vt & in vtero. Cataplasma epispasticum tale exempli gratiâ esto.

℞. caricarum in aqua vitæ coctarum & fermenti veteris an. ℔.ß rad. iridis cucumeris aggrest. crudarum & brioniæ an. ℥ ij seminis sinapi ℥ j fimi columbini & caprilli torrefacti an. ʒ ij contundantur omnia simul & fiat cataplasma. Emplastri hæc erit formula.

℞. Picis aridæ & ceræ nouæ an. ℔ ß axungiæ porci ℥ quatuor, sulphur. viui ℥ iij rad. pyrethri & hermodactylorum an. ʒ ij fiat emplastrum. Huic similia in officinis prostant emplast. de baccis lauri

croceum & diuinum.

Exemplum emplastri pus absorbentis & exugentis tale erit.

℞. olei veteris ℥ vj ceræ albæ ℥ iiij liquefactis ambobus adde terebinthinæ Venetæ ℥ ij permixtis & refrigeratis omnibus, insperge salis nitri, cineris ficulnei an. ℥ j fiat emplastrum. Huic similia è sale oleo veteri terebinthina lithargyro comparantur, quibus mixtis, acrium quorundam, vt æruginis, calcis, vitriolorum, stercorum caprilli & columbini pulueres adiiciuntur. Præstiterit tamen epispasticos & attrahentes liquores siue decocta per metrenchyten in vteri sinum interiorem infundere: vt in eum pus deducatur, quàm foris cataplasma aut emplastrum simul imponere; ne pùs in abdominis capacitatem rapiatur.

De vlcere vteri.

Abscessui aperto siue natura, siue arte, & pure expurgato succedit Vlcus sordidum saniosúmque. A quo medicamentum modice tergens siccánsque indicatur. Detergenda enim sordes est, saniésque absumenda quæ duo sunt gignendę carnis qua repleatur vlcus impedimenta.

Sordes autem tum ex partis vlceratæ corruptela, vt ex alimenti crudioris reliquiis concrescit.

Sanies quæ tenue & humidum excrementum est, (à quo virus vel ichor crassitie & lentore differt) vel aliunde allabitur vel stata naturæ lege ex alimentis in tertia coctione colligitur.

Vin-

Vincit autem sæpe alterutra sanies sordésve vnde maioris, modò tersionis modò exsiccationis indicatio hauritur. Atque hæc quidem simplicis vlceris curatio ad purgandi siccandíque rationem tota referenda est, tantisper dum vlcus rubens nec nimis siccum aut humidum appareat. Ab hac igitur remouenda sunt, tum acria, quæ sordibus cauum vlceris implent; humectantia à quibus laxata pars elanguescit & fluxionibus patet; salsa denique quę tergendo vellicant partem eíque impingunt sordes.

At si vlcus ipsum pluribus affectibus implicitum est, tum multis aliis medicamentũ tergens temperari possit, vt omnibus casibus opituletur, vt si quid in vlcere durius, malactica: si quid rheumatis, astringentia: si quid cruditatis, suppurantia: si quid caliditatis molestæ, refrigerantia: si quid denique putredinis adsit, acria vtiliter permisceantur. Ista vero medicamenta externis vlceribus media forma vt vnguenti, aliquando etiam solida, vt emplastri: vel pulueris aptari possint. Internis autem & reconditis nonnisi liquida per manifestos & cõtinuos meatus adhiberi vtiliter possunt. Sicuti in vlcere orificij interioris vteri, iniectio frequens conuenit per metrenchyten ex decocto hordei in quo dissoluta sit syr. de rosis siccis aut mellis ros. colati pars sexta quæ ne effluat prospiciendum, sublatis clunibus, & depressis humeris & obturato pudendo. Conuenit etiam pessarium è linamento contorto obductóque mixtura olei rosati vitelli oui & pauca terebinthina. Quod si per vesicæ ceruicem pus cum vrina simul erumpat, tum vrinæ purulentæ acrimonia: ne ceruicem & vrethram vellicet & exulceret, lenienda est potatione matutina lactis asinini vel

caprilli etiam,in quo tamen ad deterſionem ſacchari roſ.vel rubri ℥ j diſſolui poſſit,vel certè emulſione 4.ſeminum frigidorum maiorum cum ſyr.viol. mixta. Tum etiam iniectiones ſimiles partim in veſicam partim in vterum inſtillandæ erunt, vnde vtriuſque partis vlcera abluantur.

Si per inteſtinum,clyſteres tergentes ſubmittantur ex decocto betæ,agrimon.plantag.hordei, furfuris,roſarum,in quo vitelli ouorum cum melle,aut ſaccharo roſ.diſſoluantur.

Profuerit quoque plurimum detergendo cuilibet matricis vlceri bolus ſequens matutinus per ſex vel octo dies repetitus.

℞. terebinthinæ venet.decies lotæ cum aqua artemiſiæ ʒ iij aloes non lotæ ʒ ß concorporentur fiántque boli ex cochleari cum ſyrupo violato &. nebula deuorādi. Quod ſi vlceris vterini difficilior tardiórque ob ſitum & vſum partis deterſio videatur, tum potioni vulnerariæ, id eſt, tergenti ſiccantíque & aſtringenti per plures dies horis tribus ante prandium ægra muliercula aſſuefacienda eſt.

Exemplum potionis vulnerariæ hoc eſto.

℞. rad.biſtortæ cort.ligni guaiaci & rad. ariſtol. rot.vel gentianæ an.℥ j fol. agrimon. nepetæ abſinthij plantag. verbenæ conſol. minor. ſaniculæ, buglæ an. m. j. fiat decoctio in paribus vini albi & aquæ portionibus,eíque inter coquendum adde aſtacorum fluuiatilium plena luna captorum & in clibano poſt detractum panem crematorum ℥ ij poſtremo colentur & capiat colati iuris ℥ iiij.

Si denique ſanies exuperet, ſero repurgetur caprillo in quo ſacchari vel mellis octuplum diſſolutum

tum

tum ſit. Sin ſordes vincat, mellcrato abſtergeatur vel œnomelite: ſicuti putredo oxycrato oxymelite, vrina, aqua marina, lixiuio. Interiora quoq; inguinum vlcera pariter repurgentur.

Iam vero vlcus vbi purum, id eſt à pure, ſorde & ſanie aliíſque partis vlceratæ affectibus, caui vlceris repletionem prohibentibus vt rheumatiſmo, phlegmone, dolore, intemperie, callo vacuum deprehenſum fuerit, tum demum regeneranda caro eſt vlceris cauitatem impletura. Quod quidem naturæ partium vlceratarum opus eſt, ſanguine tali & tanto fruentium, vt inde carnem deperditæ ſubſtãtiæ ſimilem proferant. Naturæ autem ſubſeruiunt inſtrumenta duo, diæta & pharmacia. Inſtituenda enim eſt iuſta vitæ lex, ex cibis euchymis modice calidis ſiccíſque & eupeptis vt ex aue nemorali mõtana campeſtri: carne ſuilla, veruecina, vitulina, hœdina, & ex vino modico non ita tamen veteri & acri. Reliqua curatio medicamentis ſarcoticis perfici debet, quæ medię ſunt ſubſtantiæ atque infra ſecundum gradum calida ſiccáque, modicè tergentia ſordem, blandéque ſiccantia ſaniem: ſicque iuſtam naturæ materiam ſubminiſtrantia.

Medicamenta verè ſarcotica ſimplicia pauca ſunt vt farinæ, fœnugræci, lupinorum, orobi, fabarum, hordei, pix, terebinthina, aloe, myrrha, ſarcocolla, mel, radix peucedani. Multo plura componi poſſunt ex verè tergentibus ſiccãtibúſque, cum aſtringentibus & lenientibus mixtis: his enim aſperitas tergentium lenitur & acrimonia hebetatur.

Iniectionum ſarcoticarum pro vtero (neque enim vnguentis & emplaſtris in occultis aliíſque vlceribus commodè vti licet) hæc erunt exempla.

℞.vini rubri ℔ j mellis rof.col.qrt.j.misce & fiat iniectio. Vel ex sero lactis caprilli & melle mixtis: vel ex aloes myrrhæ sanguinis draconis an. ʒ ij in decocto hordei dissolutis. Similis & hæc est.

℞.lactis caprilli ℥ iiij olei rosati ℥ ij tuthiæ præparatæ ℥ ß aloes lotæ ʒ ij concorporentur in mortario plumbeo diu agitata: atque ex huius mixturæ portione cum tripla decocti hordei, fiat iniectio. vel,

℞.rad.irid.florent. & aristol.rot. & bistort. an. ℥ j fol.agrimon. absinth. melissæ plantag. an. m. j. hordei integri & ros. rubr. an. p.j. coquantur & in colat.℔ j dissolue mellis ros.colati vel syr. de ros.siccis ℥ ij vel denique cum decocto hordei dissolue vnguenti aurei vel tetrapharmaci ℥ ij.

Denique vbi impletum carne vlcus fuerit: tum demum cicatrice pro vera cute, aut certè callo tenui cutíque simili operiatur. Et quidem ipsa quoque cicatrix naturæ opus est: sed iuuatur tamen medicamentis epuloticis insigniter resiccantibus cogentibus & indurantibus restitutæ carnis superficiem, citra morsum quidem vllum & acrimoniam: sed cum frigore modico crassitie substantiæ & astrictione, vt absumpto humore carnem contrahant, constrigant, densentque. Huius generis sunt metallica omnia vsta lotáque: vt pompholix siue tuthia, cadmia seu cerusa, plumbum, antimonium, æs & æris squama & vitrioli genera, tum plantæ quædam & plantarum partes vt radix bistortæ & tormentillæ, tapsus barbatus, plantago lysimachia, summitates oleæ sumach & myrti, huiusque baccæ, sanguis dracon. terra armena & sigillata. Illa autem vsurpantur vel formâ pulueris qui vlceri repleto insper-

inspergatur, vel lotione, vt per aquam aluminosam & similia: vel vnguento vt cum cera alba & oleo myrtino, vel omphacino concorporentur: vel formâ liquida, mixto puluere cum aquis conuenientibus, vt plantag. portulac. aut similibus decoctis vt instillentur in partium occultarum matricis vlcera.

℞. rad. bistortæ & symphyti maior. an. qrt. ß aluminis rochæ ℥ j. fol. symphyt. maior. & minor. (prunellam vocant) plantag. centinodiæ tapsi barbati summitat. myrti, oleastri & summach an. m. j. balaustiorum mali corij nucum cupressi gallarum viridium an. ℥ j coquantur in aqua ferrata vel vino rubro & tortiuo. Colatura iniiciatur vel sola vel dissoluta cum pulueris conuenientis, vt metallicorum lotorum vstorúmque parte sexta. Hæc denique iniectionis materia tum in vterum per collum eius, tum in vesicam & intestinum infundatur, si illac pus effluxisse visum sit.

Deinceps de aliis tumoribus erysipelate, scirrho, œdemate, hydrope & aliis inflationibus dicendum.

De erysipelate vteri.

ERysipelas tumor est vtriusque cutis, tum externæ, tum internæ viscerum, id est membranarũ illa inuoluentium, biliosa fluxione constans, id est, calidissimæ & siccissimæ partis massæ sanguinariæ.

Aliàs verum est, & legitimum, aliàs contra: illius signa communia sunt, calor exurens partem affectam, dolor pungens, & acuum ictibus similis, color rubeus & fugax, qui ex pressa parte facile fugit refugítque, sine extuberantia, amplum, & superfi-

ciarium, sine palpitatione, duritie & renitentia, sed comitante febre vehementi, eiusque symptomatis violentissimis, vt cephalalgia intolerabili, deliratione, peruigilio, linguę nigritie, siti implacabili, & corporis iactatione.

Propria autem vteri erysipelatosi signa sunt, calor dolórque suminis, ilium, inguinum, pubis, & perinæi, alui supressio, & dysuria, &c.

Aliàs non verum est & legitimum erysipelas, sed ex alio humore cum bile confuso conflatum, vnde erysipelas phlegmonodes, œdematodes, & scirrhodes, dicitur pro specie humoris cum bile confusi.

Huius signa sunt tumor magis insignis cuti carníque communis, febris, eiúsque symptomata omnia leuiora.

Curationis scopus duplex est, refrigeratio, & euacuatio, vtrique causæ communis, antecedenti & coniunctæ. Instrumenta tria, diæta, pharmacia & chirurgia. Prima illa frigidior humidiórque quàm in phlegmone indicatur quanto bilis sanguine ardentior est. Pharmacia autem causæ antecedentis duplex est: alterans vna, id est refrigerans & humectans, altera vacuans: illa iulepis constet, & syrupis acidis, vt acetoso simplici, oxysacchar. simpl. de granatis acidis, de ribes, de succo mali limonij, aut citrij, mixtis cum dupla portione aquarum refrigerantium, vt acetosæ, cichorij, nenupharis, lactucæ, mixtóque quodam aromate, cum saccharo rosato ad saporis & odoris gratiam, vt,

♃. aquarum prædictarum ℔ j syrup. de acetositate citri, de ribes, & de granatis acidis, an. ℥ ij santali citrini ʒ j sacch. rosat. q̄rt. j. fiant iulepi tres qui tamen iterari poterunt.

Apo-

Apozema ex decocto refrigerātiū plantarū mixtisq; eiusmodi syrupis simili facultate cōcīnabitur.

Vacuans pharmacia cholagoga sit eáque clemens & leniens, contraindicante tum bile, tum febre, acriora purgantia eiusdem generis vt diacrydium & diacrydiata, vt elect. de succo rosarum.

Talis est potio ex infusione ʒ j vel ij rhabarb. cui spicæ momentū addatur in aqua endiuiæ per duodecim horas addita eius expressioni, syrupi violati ex pluribus infusionibus, vel rosacei laxatiui, vel de cichorio compositi ℥ j.

Talis sit bolus ex cassiæ, & tamarindorum pulpæ an. ℥ ß.

Tale denique decoctum rhasis ex ℥ iij tamarindorum, prunis dulcibus xx & florum violæ p. j.

Altera purgationis species phlebotomia est, partim reuulsoria è cubito, partim deriuatoria è poplite, vel malleolo. Illa quidem omissa cap. 3. 14. method. à Paulo adhibita: ille verum erysipelas curabat cuius est materia valde exigua, hic erysipelas phlegmonodes. Potest támen & in vero vtilis esse phlebotomia, si non tam vacuationis, quam refrigerationis gratia celebretur; vtraque tamen tam phlebotomia, quam purgatio repugnare videtur aphorismo 35. lib. 6. Erysipelas foris intro conuerti malum est, intus vero foras bonum, & vt causa, & vt signum, liberat enim viscera causa morbifica, ostenditque naturæ victoriam. Huius enim aphorismi sententia est, quòd materiæ decubitus, ab ignobili parte in nobiliorem, in malis habendus sit, nobilior autem pars est, tum superior inferiori, tum interior exteriori; atqui neutra vacuatio causam coniunctam intro reuocat, sed ante-

cedentem tantùm diripit foráſque excludit, quare aphoriſmus intelligendus eſt de humoribus à parte affecta intro conuerſis ibidémque reſtitantibus.

Cauſæ coniunctæ refrigeratio prior ſit, digeſtio ſiue reſolutio poſterior: illa conſtet fotu partis eryſipelatoſæ ex aqua frigida, vel oxycrato, ex ſuccis herbarum refrigerantium vt lactuc. vmbilic. veneris ſolan. ſemperuiui & ſimilium: conſtet etiam cataplaſmatis ex iiſdem ſuccis mixta hordei farina.

Sunt autem topica hæc tanto crebrius iteranda, quanto pars eryſipelatoſa celerius exſiccat & calefacit linteola infimo ventri appoſita. Sunt etiam eiuſmodi ſucci per metrenchyten in vterum altiſſimè infundendi, ſicuti per clyſteres, decocta refrigerantium herbarum admixtis oleis frigidioribus vt de nenuphare.

Non eſt autem metuenda viſcerum ex cauſę coniunctę recurſu inflãmatio, tum præ paucitate materiæ, tum prę debili repercuſſione, topicorũ frigidorũ humidorum ſine aſtrictione terrenę ſubſtantiæ. Refrigerationis terminus eſt ardoris in parte temperatio colorísque mutatio ad naturalem, aut ſaltem ad liuoris initium, túncque reſolutioni locus eſt, per cataplaſmata è farina hordei: quòd ſi liuor aut nigrities acceſſerit tum ſcarificatione præmiſſa, locus ſcarificatus abluatur vel aqua calida, vel ſi forte materia craſſior ſit & magis lenta, aqua marina, aut ſalſa, aut muria.

Non veri eryſipelatis curandi iidem ſunt ſcopi, eadem remediorum genera, diſcrimen tantùm eſt in efficacia & gradu, nam refrigeratio leuior eſſe debet cauſæ antecedentis; vacuatio vtraque copioſior, alteratio quoque loci leuior,

uior,ſed reſolutio ſit efficacior.

De œdemate.

OEdema communi ſignificatione omnis tumor eſt tam calidus, quam frigidus: propriè frigidus tantùm, íſque aut verus & legitimus, aut contra. Ille conſtat fluxione naturalis pituitæ, éſtque mollis, digito cedens, eiúſque veſtigium aliquantum retinens, concolor & albicans, calore exiguo, & dolore prope nullo.

In vtero cognoſcitur ex grauitate partis ad pubem, & inguina, faciliq; cutis eleuatione. Verus hic ſæpiſſime reſolutione curatur, rariſſime ſuppuratione, aliquando induratione in ſcirrhum.

Non verus & illegitimus, aut per mixtionem fit alterius humoris cũ pituita, vnde fit phlegmonodes, eryſipelatodes, ſcirrhodes; vel fit per degenerationem propriæ ſubſtantiæ, vnde fit tumor aquoſus aut ventoſus ſimilis ſcilicet hydropi, aſciti & tympaniti.

Hæ œdematis veri, & non veri ſpecies ſunt morbi, propriáque egent curatione. At ſymptoma eſt periculoſorum affectuum, vt tabis vel phthiſeos, hydropis, artuum tumor laxius circunſcriptione carens.

Oedematis veri curandi ſcopus duplex eſt, alteratio, vacuatióque, tum materiæ antecedentis, tum coniunctæ. Alterationis ſpecies indicatur ab antecedente cauſa, craſſo lentóque & crudo humore, calefactio nimirum, attenuatio, & deterſio, cuius abſoluendæ duo ſunt inſtrumenta, diæta, & pharmacia.

Illa conſtet aere calido ſiccóque, ſiue natura, ſiue

arte, vino rubello, tenuíque, & pauco, parúmque lymphato; pane bene fermentato, salsóque, & albo: carnibus recentibus assatis caryophyllo, vel fœniculo, vel saluia transfixis, vitatis volucribus aquaticis, carnibus porcinis, bubulis, & piscibus, nisi fortasse saxatilibus iisque assatis, aut in vino elixatis. Fructibus siccis, vt nucleis pineis, passulis purgatis, remotis recẽtibus omnibus fructibus & frigidis vt pomis, prunis, pyris, oleribus, iusculis, leguminibus, caseis, & lacticiniis.

Alterum instrumentum alterationis est pharmacia per iulepos ex syrupis incidentibus, & tergentibus, & similibus aquis concinnatos. Tales sunt syrupi de stœchade, de artemisia, oxymel simplex, & compositum, mel anthosatum. Tales aquæ sunt, betonicæ, hyssopi, melissæ, sampsuci, saluiæ, & fœniculi: qui iulepi tantò in plures dies prorogandi vt 5.6.8. quantò humor contumacior est coctionique ineptior.

Est tamen impuro intestino, aut ventriculo, minoratiua potio iulepis, & apozematis aperientibus præponenda. Purgatio causę antecedentis prius coctæ, detersæ, & attenuatæ instituatur, vel liquida, vel potulenta, vel ex infusione ℥ ß fol. sennæ, & agarici trochiscati, ʒ j in aqua betonicæ vel melissæ, vt in expressionis ℥ iij diluatur sacchari ℥ ß cinnamomi ℈ ß. Sic electaria vt diaphœnicon. elect. de citro, diacarthamum & benedicta ad ℥ ß vel ʒ vj ad summum, earundem aquarum ℥ iij dissolui possunt addito cinnamomo aut saccharo vt supra. Pilulæ quoque cocciæ, & sine quibus & de agarico ad ʒ j vel ℈ iiij singulæ vtiliter vsurpantur.

Phlebotomia rarò nec nisi in plethora pituitosa

eaque

eaque parcior conuenit.

Causæ autem coniunctæ vacuatio constet, mixta siccatione, & resolutione, cum modica astrictione in principio, nam in augmento maior resolutio, in statu & declinatione maxima & sincera sine astrictione conuenit. Topici in principio materia, est apud Gal. 2. ad Glauconem cap. 3. & 14. methodi cap. 2. posca, vel oxycratum, ex aqua & aceto, ita temperatis vt bibi possint: In augmento eadem posca, sed aucta aceti mixtione, additóque pauco alumine. In statu, & declinatione, pro oxycrato lixiuium ex cinere vitis, fici, vel ilicis, adhibetur. Porro liquores illos admoueri iubet Galen. ibidem per spongiam, quæ noua sit aut certè aqua salsa, & nitrosa detersa, atque supra partem calidè strictéq; appressa per deligationem expressiuam dictam in artubus quæ per fascias ab imis eorum partibus incipiat sensimque ad altiores producatur parum remittendo, laxandóque.

Hæc quidem est veri œdematis curatio in artubus, sed in præcordiorum partibus vt liene, hepate, vtero oxycrati vsum abdicandum esse suadet Gal. cap. 5. lib. 14. methodi medendi. quibus substituit fotum, oleum illitum, absynthium decoctum, sic Aetius curat œdema vteri, mollientibus & digerẽtibus internis externísque.

Eius autem œdematis quod symptoma est grauioris morbi, vt phthiseos, aquæ intercutis, necessaria curatio non est, nisi ægro permolestum sit, aut primarium affectum augeat, tum enim remitti poterit fricatione loci tumentis vt ait Galen. cum oxyrrhodino quod humorum affluxum reprimit, vel cum eodem & sale mixto, reprimit enim & di-

gerit quod impactum est,& oleo cum sale quod dilatat & vacuat.

Oedema impurum, mixtúmque cum alio humore vt phlegmonodes, erysipelatodes, scirrhodes, mixtis indicationibus curandum est, siue alterandi, siue vacuandi: phlegmonodes quidem phlebotomia,& purgatione, partim phlegmagoga, partim cholagoga,& repercussione digestionéque magis valida. Erysipelatodes parciori phlebotomia quàm phlegmonodes, sicuti & repercussione inualidiori & purgatione ex phlegmagogis & cholagogis mixta.

De scirrho.

SCirrhus tumor est, frigidus, durus, & indolens: sísque duplex est, verus vnus & legitimus, constátque ex melancholia naturali, & alimentaria, à sanguine secreta forásque expulsa in habitum: sed hic raro exactus & exquisitus occurit. Alter est spurius & illegitimus, de quo postea.

Causæ eiusdem humoris melancholici procreatrices, sunt aut externæ vt victus cacochymus à Gal. descriptus lib.3.de locis affectis cap. de melancholia. Aut internæ, súntque hæ duplices, vel enim intemperies hepatis frigida siccáque sanguinem melancholicum ex cibo etiam euchymo multiplicat, & lienis infirmitas præ intemperie aut obstructione vel humorem non attrahentis, aut certè non expellentis, eundem humorem in venis maioribus, & visceribus cumulat.

Veri scirrhi notæ sunt, tumor valde durus, & tactui resistens, hebes sensus, color fuscus, quòd ab exiguo initio sensim in insignem tumorem crescit, idque

ídque sæpius in musculorum finibus, aut mediis etiam musculis, aliquando etiam in visceribus, hepate, liene, & frequentissimè in vtero, tum ob proprietatem substãtię eius densioris, tum ob suppressionem mẽstrui, crassique sanguinis ex obstructione cotyledonum: cuius vteri scirrhus præter duritiem & indolentiam partis, designatur etiam ex eo quod grauitas in imo ventre, pube, & sede molesta sit, incessus difficilis, & totum corpus pigrum.

Veri scirrhi curandi duplex scopus est, alteratio, & vacuatio, illa à melancholia naturali frigida siccáque & crassa, indicatur calefaciens, humectans, attenuans & tergens, quæ duobus expeditur instrumentis diæta, & pharmacia. Illa constat ex aere verno aut simili, pane triticeo, bene fermentato, coctóque & modice salso, ex carnibus recentibus, vt hœdorum, veruecum, vitulorum, gallinaceorum omnium vel assatis, vel elixatis, ídque cum foliis buglossi, borraginis, pimpinellæ, lupulorũ, melissæ, ex vino tenui & oligophoro siue albo, siue rubello, vitellis ouorum, fructibus siccis, vt passularum, nucleorum pineorum.

Pharmaceutica alteratio purgationi præponatur, vt per iulepos elaboratos, è syrupis violato, de succo buglossi, de fumaria, & de pomis, cum aquis stillatitiis, buglossi, borraginis, fumariæ, melissæ.

Simili facultate apozema concinnabitur ex decocto radicis buglossi, polypodij, fol. vtriusq; buglossi, ceterach, pimpinella, melissæ summitatum fumariæ, lupulorum florum tamarisci viol. borrag. in cuius decocti ℔ j diluatur panis sacch. q̃t. j santali citrini vel cinnamomi ℈ iiij clarificentur pro tribus

dosibus matutinis: hæc tamen alteratio tantò pluribus diebus producenda est, quantò humor contumacior.

Causæ antecedentis sic præparatæ, alteratæ, coctæque vacuatio per purgationem subiungéda est, per medicamenta melanagoga, constabit, tum simplicibus vt radicibus polypodij, epithymo, myrobalanis indis, & cassiæ medulla (hæc leuissima sunt) ex foliis & foliculis sennæ quæ mediocris est, ex radicibus veratri nigri & lapide cyaneo & armeno. Idem est compositorum melanagogorum, quoad vires discrimen: leuissimum est, elect. diacatholicon, mediocre diasennæ solutiuum, vehementissimum confectio hamech, & pilulę de lapide lazuli.

Porro ex illis simplicibus vel infusis, vel decoctis, sicuti ex compositis dissolutis liquore conuenienti potiones catharticæ exhibētur potius quam pilulæ quæ exsiccant magis.

Altera vacuatio eiusdem causæ antecedentis phlebotomia est, vtilis dum præcisa cubiti vena sanguis crassus, & nigricans manare cernitur; aliàs inutilis. Rursus eadem phlebotomia quoties plethora est cacochyma coctioni præmittenda est, vt sanguis totus sit sequacior; est autem phlebotomia, in scirrho vteri non solum reuulsoria ex cubito, sed deriuatoria etiam ex poplite & malleolo celebranda.

Causæ coniunctæ indicatio duplex est, emollitio digestióque per topica calido humidóque temperata, calidiora enim crassam lentámque materiam, in duritiem lapideam & incurabilem cogunt, humidiora nihil resoluunt, sed potius prutredinem, cancrúmque, accersunt. Cæterum emollitio dige-

digeſtióque pro varietate temporum ſcirrhi variat:initio enim mollitio, in ſtatu & fine reſolutio, vincere debet,inſigniter,in augmento parum.

Malactica olea ſunt chamæmelinum , lirinum, irinum,cherinum,& ſambucinum.

Omnes quoque adipes , & medullæ , tum recentes , tum inſulſæ , domeſticorum animalium. nam vetuſtæ , ſalſæ , & animalium agreſtium , vt pardorum , leonum , ſunt acriores , & ſiccantiores. Gummi quoque,& reſinæ , malactica ſunt præſertim humentiora , & recentiora. Malactica ſunt vt bdellium,opoponax,galbanum, terebinthina, pix. Ergo ſcirrhum in principio fouet Gal.oleo cui cortex radicis altheę incoxerit:eidem cataplaſma mox apponit,& corticibus radicis altheæ, vel maluæ foliis,tum crudis , tum præſertim coctis, & cum ſeuo hircino , aut adipe anſerino , gallinaceo , accuratè permixtis.

Sed in vtero curabitur topicis liquidis, & mediis vtpote magis penetrantibus, tum foris appoſitis eiuſdem regioni, tum initio admiſſis per clyſterem, in inteſtinum,vel in vterum ipſum infuſum.

Fotus ergo,inceſſus, ſemicupium conſtabunt decocto radicum liliorũ,altheę, ebuli, foliorum 4.emollientium,maluę,parietariæ, violariæ , branchæ vrſinæ,ſeminibus lini,fœnugræci,caricis,&floribus chamæmeli, meliloti, ſambuci , à quibus continuo illinientur olea prædicta,vel vnguenta,ex prędictis oleis,adipibus,&medullis,cum pauca cera noua cõfecta. Poſt emollitionem humor magis digerẽdus, vt in augmento & ſtatu,quàm emolliendus; itaque decoctis miſcebuntur herbæ calidiores , vt arthęmiſia,matricaria,nepita,meliſſa.

Olea quoque calidiora ad litum vſurpabuntur, vt irinum, lirinum, ricininum. In vnguentis gummi aceto, diſſoluta admiſcebuntur. Poſtremo in declinatione vbi iam depreſſus tumor valdè fuerit, ceratis,vel emplaſtris munietur vt de meliloto diachylo magno, ireato &c. hæc eſt igitur veri ſcirrhi curatio.

Alter ſcirrhus eſt non verus,ſed ſpurius & illegitimus, iſque duplex, aut enim ex mixtione alterius humoris,cum melancholia naturali conſtat,vt ſanguinis, bilis, pituitæ, vnde ſcirrhus plegmonodes, eryſipelatodes, & œdematodes dicitur. Aut ex induratione cuiuſlibet tumoris, & humoris, per refrigerationem immoderatam in principio, aut per reſolutionem vehementiorem, ſic pori in articulis arthriticorum increſcunt, ex humoribus violentius digeſtis, ſic calculi in renibus, aſſo in iis craſſo & glutinoſo ſucco.

Eſt & alia tumorum ſpecies valde durorum, ſiue aquoſi ſint, ſiue etiam flatuoſi, idque ob tenſionem,& repletionem immodicam; ſed hæc durities à ſcirrhoſa aliena eſt,quæ concretionem tantum, & ſiccitatem ſequitur. Scirrhus ſpurius ſi exactus eſt, id eſt omnino ſenſus & doloris expers incurabilis eſt,ſicuti & magnus, ſic marcor ex febre hectica incurabilis eſt.

Non exactus difficile curabilis eſt, quòd humor craſſus, lentúſque ſit,præſertim à digeſtione, & reſolutione immodica, & partibus induratis contumaciter impactus. Huiuſce ſcirrhi vnica eſt curatiua indicatio, vacuatio nempe cauſæ coniunctæ (nullus enim antecedentis fluxuræ metus eſt, vt quę præcedenti curatione compreſſa ſit.) Vacuatio hæc ſuſci-

suscipietur per emollitionem & resolutionem cõiunctam; neque enim siccus lentúsque humor digeri, nisi prius attenuatus, tersúsque, neque rursus attenuari, nisi præmollitus possit.

Vtraque hæc facultas, à mediocri caliditate, & humiditate oritur, illa enim calidior, indura resoluendo, hæc aut nihil efficit, aut corrumpit putrefaciendo.

Vtraque vis molliendi digerendíque, pro temporum varietate, tumorúmque, corporum & partium mutatur. Nam emollitio maior in principio, & augmento, sicuti in corporibus durioribus, tumoribúsq; requiritur. Digestio in statu & declinatione, vbi præmollitus tumor est, vehementior cõuenit. Vtraque denique facultas sæpius permiscenda est, rarius seorsim vsurpanda & in articulis tantùm: quare malactica topica ab initio concinnabũtur ex materia exposita in principio, sed in statu & declinatione decoctis vinum album addetur & herbæ calidiores iam nominatæ: Sic vnguentis addentur gummi dissoluta aceto quod validissimè dissoluit crassos, lentósque humores.

Sic Galenus cuiusdam puerum à scirrho femoris præ erysipelate indurato percurauit lib. 14 methodi cap. 4. Aliàs aceti vapor, articulis artuum scirrho obsessis opitulatur, qui à lapide molari vel pyrite in ipso extincto in scirrhosos tendones & ligamẽta attollitur. Sed vaporis huius rarior sit vsus, vt ex interuallo duorum dierum, eíque malactica protinus subiungantur.

Postremo in declinatione, vbi non solum emollitus sed depressus etiam tumor valde fuerit, emplastris idoneis. i. malacticis & digerentibus vt dia-

chylone ireato,&diachylone magno,reliquiæ seorsim dissipentur.

Altera species scyrrhi spurij,ex alterius humoris vt sanguinis bilísque cum melancholia naturali mixtione constat: hæcque sæpius exquisita non est, noscetúrque cùm duritie & renitentia, tum loci caliditate, dolore graui, vel acuto, & pulsatione; hæc vero longiorem phlebotomiam, & purgationem mixtam ex melanagogis & cholagogis indicat in principio, item topica repellentia magis, & refrigerantia vt fotum ex decocto foliorum plantaginis, solani,tapsi barbati, maluæ,violariæ, rosarum & chamæmeli: cataplasmata etiam vel ex magmate herbarum illarum confecta, addita hordei farina,& oleo rosato, vel ex farina tantum & oleo. In statu autem & declinatione digerentia magis conueniunt, quàm in simplici, vt si decocto prædicto ad fotum,calidiores herbæ vt artemisiæ, matricariæ,nepitæ,sabinæ addantur: ex quo etiam decocto iniectiones in vterum fiãt, sic in scirrho erysipelatode parcior quidem phlebotomia initio, sed topica applicanda magis refrigerantia & humectantia, ex eadem hordei aut lentium aut fabarum farina cocta cum succo plantaginis, solani, semperuiui, & oleo violato, vnde cataplasma formetur. Iniectiones quoque ex sero lactis dissolutis mucilaginibus seminis psyllij & oleo violato commodissime fiant.

De cancro.

ADhuc veri scirrhi ex melancholia naturali & alimentaria,& spurij, per mixtionem aut indurationem, methodus curatiua exposita est: nunc alius

alius ortus ex melancholiâ excrementitia sed naturali curandus est. Hic humor crassus & turbidus est, fæcis vinariæ instar in doliis, & amurcæ in vasis o-leariis: ex crasso magísque terreno cibo, in hepate vnà cum reliquo sanguine genitus, à quo lienis vi secernitur vt inde propriũ capessat alimentum: reliquias autem in stomachum appetentiæ citandæ causæ refundit, ex quo si exuberet, vomitione aliquando excluditur, vel per splenicum etiam & mesentericum ramum in venas hæmorrhoidas internas deponitur; aliàs si à debili liene non secernatur, aut icterum nigrum excitat aut eiicitur è venis maioribus in habitum vnde elephantiasis, interdum in partis alicuius vel venas, vnde varices, vel substantiam vnde tumor emergit *cancer* dictus, à similitudine tum coloris, tum figuræ, tum naturæ.

Cancrosa enim pars vt cancri corpus liuescere solet & circumstantibus venis nigro sanguine turgentibus ambitur, vt cancer pisciculus pedibus vndiquaque è toto corpore prodeuntibus, partibus quoque obsessis contumaciter inhęret, non secus ac pisciculus hic ab occupato loco non nisi ægerrimè auellitur.

Est autem cancer duplex, vlceratus vnus, non vlceratus alter. Ille vlcus cancrosum, hic tumor cancrosus vel apostema cancrosum vocatur.

Vlceratur autem, efferuescente in loco obsesso, humore vel præ mora & putredine quòd parti penitus sit impactus, vel vsu topicorum calidiorum, vel etiam interna vstione, per febrem aut acriorem victum.

Tumoris cancrosi signa sunt, durities, renitentia, rotunditas, quę qualitas, color fuscus, calor, quàm in phlegmone minor, dolor, ab initio grauis & torpidus tandémque pungens humore magis incalescẽte & aeri, iámque ad vlcerationem properante. Initio valde exiguus est tumor, instar ciceris, aut fabæ, sed celeriter accrescens, atque hæc omnia signa cancrum in vtero, ad pubem, inguina, pudendum, comitari solent.

Vlcerati cancri signa sunt, labra dura, tumida, inuersa, albicantia, rubentia, liuentia, sanies serosa, olida, nigricans, vel flauescens.

Rursus cancer aut occultus est, in penitiori aliqua parte corporis, vt vtero, hepate, liene, naribus, palato, faucibus: Aliàs euidens in qualibet parte externa, sæpissimè tamen circa faciem, vt in genis, labris, naribus, & mammis; quamquam occultus etiã vocatur, qui non est vlceratus, etiamsi partem externam & conspicuam inuaserit.

Incipiens & exiguus cancer verè quidem curatur aliquando scopis duobus, præseruationis, & curationis, illa ad causæ antecedentis ablationem, hæc ad causæ coniunctę vacuationem refertur. Aufertur causa antecedens tum per phlebotomiam in cubito, primum ad reuulsionẽ: tum in poplite vel malleolo ad deriuationem, eruptionémque mensium si fortasse suppressi sunt, in fœminis, sicuti hæmorrhoidum consuetarum in viris: tum per purgationem melanagogam & mediocrem, nam à vehementibus exasperatur ille humor, neque illis etiam cedit: tum denique per diętam ex accidenti frigidam, humidámque & euchymam, cacochymiæ melancholicæ aduersariam, qualis in scirrhis expo-

exposita est,quæ melãcholia quod celeriter prohiberi non possit,ne cumuletur, purgationis crebritate subducenda est.

Causę coniunctæ curatio vacuatione duplici cõstat,repulsione & digestione;illa quidem vsurpatur in principio vbi imperfecta adhuc est purgatio cacochymiæ venarum ad eam regerẽdam ne affluat, partémque roborandam ne suscipiat illam fluẽtẽ. At vbi exquisita iam est purgatio in statu scilicet & declinatione, vtraque miscenda. Debet autem vtraque mediocris esse, non vehemens aut imbecilla ne hæc vincatur ab humoris impacti crassitie, illa humorem magis impingat & incrasset, vel repulsa vel dissoluta tenuiori portione.Materia vtriusque paulo post exponetur: minuti quoque illi cancri in loco libero,& superficiario vbi apprehẽdi possint,curari possunt excisione tumoris,& radicum eius omnium, deinde sanguinis expressione; móxque suppressione per vstionem candentis ferri reliquias absumentis & hæmorrhagiam immoderatam prohibentis.

Qui grandior est, & confirmatus cancer neque pharmacia,neque chirurgia curabilis est quocumq; in loco hæreat,nam repellentia & digerentia topica si imbecilla sunt respuit,sin vehementia ab iisdẽ magis incrassatur,sin acria efferatur ab iis & exulceratur;Chirurgicam sui excisionem cum suis radicibus non fert ob metum profusioris hæmorrhagiæ ex grandioribus venis arteriisque quæ neque deligatione,ne ad vicinas partes principes sanguis refluat,neque vstione supprimi possit, ne calor ignis in easdẽ transcurrat per continuitatẽ vasorũ & ob viciniam; quæ deniq; recidiuum cancrũ prohibere

non possit cicatrice inducta ob noui humoris impressionem.

Est igitur palliandus cancer grandior, i. ab incremento & acrimonia prohibendus, idque tum per diætam prædictā, & purgationes ante memoratas, tum per topica ex repellentibus digerentibusque, & refrigerantibus composita. Huc spectat Hippocratis apho. 36. sectionis sextę, cancros occultos nō esse curandos, curatos enim citius perire, non curatos lōgius tempus perdurare. Vbi Gal. occultos vocat, tum eos qui in penitioribus partibus delitescunt, tū eos qui exulcerati non sunt etiamsi in externa parte hæreant. Porro topica illa constāt metallicis vstis, lotisque, vt cadmia, tuthia, antimonio, plumbo, cerusa lota, cancris fluuiatilibus vstis lotisque, ex quibus cum oleo rosato, myrtino, omphacino, & cera alba fiant vnguenta.

Quòd si dolor nimis vrgeat, tum leniendus est balneo, fotu, insessu, aut ex lacte, aut ex aqua simplici, aut ex decocto emollientium, & refrigerantium herbarum. Iniectiones quoque ex eadem materia fiant in vterum, quibus mucilago seminis psyllij addatur, & oleum rosatum, vnguenta magis refrigerantia, lenientiaque, apponantur ex oleo rosato, nenupharis, succo solani, plantaginis, aceto rosaceo pauco & cera alba. Cataplasmata eodem scopo concinnantur, ex farina hordei mixta cum succo solani sine igni admixtoque oui albumine, vel mucilagine psyllij: Singulare est ranæ viridis oleum.

Iam vero cancer vlceratus in loco libero, liberè curari potest integra amputatione eius & radicum, cui subiungatur sanguinis è vasis expressio, moxq;

vstio

vſtio ad abſumendas reliquias & hæmorrhagiam cohibendam.

Aliàs curatur vſtione vi medicamenti cauſtici vt ſublimati, muniendo interim locum vicinum vnguento de bolo, & dolorem mitigando poſt effe-ctum tridui. At in loco non libero tutius palliabitur, dolore interim, ſi quando ſæuiat mitigato lenientibus, & refrigerantibus mixtis, tum admotis, tum iniectis vt lacte aſinino, vel ſolo, vel mixta aqua arnogloſſi, plantaginis, portulacæ, vel earundē herbarū ſuccis. Oleū vitellorū oui creſcente dolore aptiſſimū. Imminens hæmorrhagia ex eroſis venis maioribus (vlcere iam profundo) præcauebitur admixtis illis metallicis vſtis lotíſq;, bolo armena, & terra ſigillata. Singulare eſt vnguentum ſequens.

℞. plūbi vſti lotíq;, tuthię præparat. & thuris an. ℥ ß pulucrentur ſeorſim & ſubtiliter, tū ℞. ol. roſ. & ceræ albæ an. ℥ j & piſtillo plūbeo in mortario plūbeo agitata incorporētur, deinde addita ſucci ſolani ℥ j omnia diu verſanda, ita vt effuſo tandem omni liquore vnguentum retineatur.

De inflatione vteri.

Eſt quidam vteri tumor, inflatio dictus. Flatus autem eſt ſpiritus ſeu vapor craſſus & turbidus, quo vterus impletur & diſtenditur. Oritur ab imbecilli calore natiuo, & humorib. cibíſq; pituitoſis. Ille enim materiam quantitate & qualitate alioqui moderatam diminutè coquit attenuat & diſſoluit: hæc vegetū etiā calorē vincit. Colligitur flatus in cauitatib. manifeſtis & occultis. Illę vel ſunt maiores vt in vētriculo inteſtinis cerebro ſcroto venis, vel minores vt in ſpaciis inter partes ſimilares, ſub cute & membranis muſculorum, viſcerum & oſſium.

In maioribus multipliciter mouentur, ex quo ipsorũ motu variæ admodũ sonorũ species edũtur, vt in cerebro sternutationes, in corde & musculis palpitationes, in ventriculo ructus, in intestinis murmur, strepitus, sedis crepit⁹, sonori, vel obscuri, in vulua & vesica efflationes, in neruis tremores.

Flatus vteri tum substantiam, tum cauitatem priuatim obsident. Communia eorũ signa diagnostica sunt imi ventris & pectinis tumor dolórq; pũgens, & distendens aliquãdo ad præcordia vsq; stomachũ & vmbilicũ præ oppressione viscerũ ad ilia & inguina exporrectus: sed propria in cauitate vteri flatuũ signa sũt sonitus tympano similis pulsante digito: strepitus, tũ cùm flectitur aut conuoluitur corpus, humore cui mixtus flatus est in alterutrũ vteri latus affatim transfluẽte, efflationes vteri sonoræ, vel obscuræ (provt orificiũ internũ magis minúsve patet.) Flatuum in vtero colligẽdorũ externa fere causa est aura frigidior, in patulam vuluam vterúmq; incautis nec benè tectis puerperis, aut mẽstruatis mulieribus, aut deniq; balneatis clam subrepens subiénsque. Aliàs interna est vel idiopathica, vt obstructio à mensibus & lochiis retentis occursu refrigerantis causæ: vt aeris aut mœroris & tristitiæ: vel etiam grumefactis; aut sympathica ex cruditate ex qua flatus: vel ex flatuoso cibo & sanguine.

Prognosticum est quod sterilitas ab eiusmodi inflatione imminet astrictis acetabulis & cornibus, quo fit vt neq; semẽ muliebre ad cõceptũ allabatur, nec sanguis menstruus ad conceptus nutritionem.

Curatiua indicatio communissima omnium tumorum est: vacuatio scilicet flatuosæ alienæq; materiæ.

teriæ. Peculiaris est resolutio digestioque. Cæterum resolutioni & peculiari vacuationi præponendá est vniuersalis per clysterem tergentem & phlegmagogũ, & per purgationẽ ex infuso rhei & agarici trochiscati, cũ elect.indo maior.dissoluto, aut electar.sennæ cum diacarthamo.Sunt autẽ medicamenta resoluentia calida siccáque parũ, vsq; ad secundum gradum & tenuissimę substãtiæ vt calore suo cutem rarefactam tenuitate sua penetrent, crassũmque vaporem incidant & attenuent, vt spõte sua exhalare possit, aut certè trahentium vi maiori facilius tandem dissipari.

Forma medicamentorum liquidá vel media sit, quippe penetrationi vtraq; aptior est,multo magis quã solida nisi forte in declinationę vaporũ humorũmq; exiguis reliquiis dissoluendis hęc cõparẽtur.

Ergo ex topicorum externorum genere fotus paretur ex foliis artemis.nepit.pulegij,matricar.orig.calamint.meliss.ex baccis lauri &iuniperi ex semine cumini ex florib.denique chamæmeli meliloti in aqua decoquẽdis, addita vini quarta parte, & quod ex filtris,vel spleniis,aut vesicis etiam maiorũ animaliũ regioni vteri inducatur tepide ante pastus & per horam vnam singulis vicibus vicissim mutando.Fotus etiam siccus conuenientissimus erit per sacculos furfure macro, milio, sale, cumino frixis repletos.Ex eadem fotus materia fiant insessus & semicupia & clysteres vterini additis oleo rutaceo & anethino. Mox autem à fotu vel insessu litus vel embrochatio fiat ex oleo cui ruta aut calidum aliquod semen vt cumini carui incoxerit, ex quo etiam addita cera & prædictorum seminum puluere,vnguenta compatentur.

Sic ex residentia contusa cribratáque addendo farinam liliaceam,aut similium seminum pulueres cum oleo rutaceo cataplasma fiat. Tādem vero cucurbitulæ vmbilico affixæ magnæ & cum multa flāma flatus validissimè foras protrahūt in declinatione:sicuti dropaces & sinapismi. Vbi autem dolor ex nimia tēsione acerbior fuerit, plura anodyna & relaxantia paucioribus digerentibus misceantur: ne ab iis calidioribus plures vapores tensióque maior suscitentur.

Lochia suppressa post apertionem venarum poplitis aut malleoli in vtroque pede,& purgationem phlegmagogam, euocanda sunt tandem per clysteres & iniectiones prædictas,à quibus acetabula expediantur flatúsque digerantur.

Eadem erit grumorum cohibitorum ex vtero eductio per clysteres & iniectiones, si insuper duriores digito obstetricum leniter in sinum pudoris inserto detriti & dissoluti fuerint. Ventriculi denique intemperies & cruditas si inde flatuum vteri congeries est, abroganda prius erit per purgationem redundantis pituitæ siue phlebotomia & per alterationem intemperiei contrariam.i. calfactionem siccationémque cum leui adstrictione: tum per assumēda vt vinum absinthinum elect. aromat. rosat.& diagalang. per condituras zingiberis, cortic. citri,rad.enulæ &eryngij,florum anthos & saluiæ:per opiatas theriacam & mithridatium; denique per imponenda,vt emplastrum mastichinum.

De hydrope vteri.

VT flatuosus, sic aquosus quidam tumor vterū obsidet,hydrops vteri vulgò dictus,alibi à chirur-

rurgis apostema aquosum. Est autem serum tenue & aquosa humiditas, cuius instar aliorum humorum.i. sanguinis in hepate ortus est. Est autem vel moderatum, vel immoderatum. Illud è potulentorum ciborúmque humidiorum reliquiis prouenit, cuius magna pars vi renum tractrice, à sanguine secreta & in vesicam transmissa vrinarum fit materia, reliqua portio sanguine mixta permanet ad eiusdem deductionem per minores venas in habitum corporis.

Immoderatum autem vel ex victu frigidiori humidioríq; aceruatur vt ex mora in locis pluuiosis & palustribus, vt ex olerum frigidorum vsu eorúmq; iusculis, vt ex piscium, fructuũ horæorum, lactis & caseorũ, largiori aquæ frigidæ & intempestiua potatione, desidia, somnolentia. Tum ab hepatis frigida humidáq; intemperie, vel simplici, vel tumori alicui implicita, frigido humidóque, flatuoso, œdematoso, scirrhoso, eáq; vel idiopathica vel sympathica potius per consensum aliarum partium nutritioni seruientium, ventriculi, lienis, mesenterij, intestinorum, renum & vesicæ, quorum intemperiei ob viciniam venarúmque communitatem hepar facile tandem fit particeps. Quod si vtraq; causa concurrat, & intemperiei, & diætę prauæ, tunc ingens aquarum copia cumulatur.

Porro exuberantis seri pars magna, post vrinarũ etiam secretionem, sanguinem in vena caua diluit vnde fit praua nutritio, inde καχεξία virginum, fœdus corporis color, & virium omnium dissolutio natiuo calore prope extincto, pars ex eadẽ caua vena eiúsq; ramis per occultos & insensiles meatus in partium sinus exundare solet, vt in ventriculos

cerebri (vnde epilepsia, apoplexia, conuulsio, paralysis, vertigo) in thoracis capacitatē vnde dyspnœa suppurationi similis, in abdominis vnde hydrops, ascites, indéq; pedũ, tibiarũ, & articulorũ œdematosi tumores, in pericardium vnde palpitatio, dyspnœa, lipothymia, & aliquãdo mors repentina, in vterum denique vnde stupor sensuum, torpor motuum, & totius corporis inertia, sterilitas quoque & mensium suppressio. Cæterũ serosa illa illuuies in vterum aliquando non confluit, nec aliunde excipitur, sed in eo colligitur. ob frigidam humidámque eiusdem intemperiem, vel natiuam, vel potius aduentitiam, ab aere frigido, post menses, partum, abortum violentum, balnea, stuphas, ab incautis mulierculis in hiantem vuluam admisse, proprium corrumpēte alimentum, vel certe ex pluribus hydatidibus (i. vesiculis aqua plenis ruptísque à quibus in hepate oriri hydropem Hippocrates testatur.) Aceruatur denique serosa colluuies in vteri sinu conniuente eius ostiolo interiori non quidem ob tensionem & repletionem immodicam collectionis initio: sed potius vel ob conceptum, vel astrictionem à tumore aliquo. Aliàs eius destillatione pudendum muliebre perpetuo madere solet.

Huiusce tumoris signa sunt diagnostica imi ventris, tumor laxus, amplus, flatuosus & agitato corpore murmurans ob mixtos flatus, ambulatio difficilis pressis grauãte seri mole neruis femorum, difficultas spirandi impulsis sursum intestinis, & ventriculo, atque diaphragmate, valdè oppresso, deiectiones valde fœtidæ ob humiditatem intestinorum, dolor ventrem, lumbos, ventriculum, ilia, inguina,

guina hypochondria fatigans, vt de inflatione proditum est, suppressio mensium ob acetabulorum angustiam præ vehementi refrigeratione vteri: aliàs enim menses suo tempore tametsi praui paucíque & breuiori spatio, priúsque expurgata colluuie, erupisse aliquando Fernelio aliísque visi sunt, Cõceptus denique impeditur, extincto semine virili, neque intro admisso ob oris interni cõniuentiam. Quod si præcesserit conceptus, aquis tamen immersus continuo interit.

Curatio.

CVrationis scopus duplex est, primus aquarum eductio, alter relictæ intẽperiei alteratio. Eductio autẽ duplex est, prior causæ antecedentis seríq; cum sanguine per venas sparsi, posterior coniunctæ, seríque in vtero conditi. Illa inchoatur per accidens à diæta calida siccáque, & attenuante, qualis descripta est in œdemate, & inflatione, quæ seri nouum prouentum prohibeat.

Absoluitur à pharmacia 4. reuulsionum speciebus: prima est clyster attenuans, tergens, & hydragogus qualis est,

℞. rad. irid. cyclamin. & arist. rotund. an. ℥ ij fol. betæ mercur. artemis. puleg. sabin. matric. an. m. j. seminis cumin. ℥ ß flor. chamæmeli & centaur. min. an. p. j. decoquantur & in colatur. ℔. j. dissolue succi merculiaris & vrinæ pueri impuberis an. ℥ ij ferment. veteris & bened. laxat. an. ℥ j olei rutacei & anethini an. q̃rt. ß fiat clyster iniciatur pri die purgationis ieiuno ventriculo & reiteretur bis aut ter in hebdomade toto curationis spatio.

Secunda reuulsionis species est hydragoga purgatio, cuius clementior materia est, cortex radicis ebuli, item semen & folia, succus radic. iridis hortensis, rad. ebuli, brassicę marinæ & peti.i. nicotianę & radix mechoacam &c. Vehementissima sunt colocynthis, elaterium, succus cucumeris agrestis, & radicis cyclamini, folia thymeleę, chameleæ, laureolæ, tithymali & cataputiæ grana. Similia sunt electaria diagrydiata & colocynthisata, quale est de succo rosarum, diacartham. indum maius & benedicta.

Exemplum hydragogæ purgationis lenioris.

℞. rad. mechoacam subtiliter pulueratæ, vel seminis ebuli contusi ʒ ij cinnamomi ℈ j infunde per noctem in vini albi clari & tenuis ℥ ij & die sequenti mane expressum potetur.

Exemplum mediæ.

℞. succi rad. irid. purpureæ ℥ j detur cum decocto leniente hordei mundati, prunorum dulc. passul. violarum.

Exemplum validißimæ.

℞. rhabarb. puluerat. ʒ j ß agaric. trochiscat. ʒ j infundatur in vino albo claro & tenui, vel in aqua peti per noctē, & in expressione dissolue elect. diacartham. ℥ ß cinnamomi gr. vj sacchar. ʒ ij.

Tertia reuulsionis species est mictio incitanda augēdáque medicamentis diureticis calidis siccisq; tertio gradu, & tenuissimæ substātiæ, hæc enim sangui-

guinem liquant, tenuántque, & ab eo ſerum ſecernunt quale eſt ſequens.

℞ rad.apij,petroſ.fœnic.rubię maior.azari,cort. median. rad. capparum & tamariſci an. ℥ij fol. agrimon.capillar.omnium,origan.calamint.braſſic. marin. berulæ, ſiſimbrij ſiue creſſonis an.m.j. cicerum rub.flor.geniſt.tamariſci &anthos an.p.j.ſeminis apij petro.fœnic.ebuli & peti an.ʒ ij coquantur in oxymelite tenui &in colaturæ ℔ j ß diſſol.ſyrup. de 5.rad. oxymelitis diuretici & ſyrup. bizant.an.℥ ij panis ſacchar.qrt. j. pulu.elect. Iuſtini vel λιθοντρίβοντος ʒ ij fiat apoz.pro 4.doſib.matutinis.

Finito apozemate reiteretur potio laxatiua præſcripta. Similis ſit diuretica facultas pulu. rad. ononidis cũ pauco cinnamomo liquiritia & ſaccharo.

Quarta reuulſionis ſpecies eſt ſudor tum hydroticis medicamentis, quale eſt decoctum Guaiacinũ rad.chinę,& ſalſę parillę,tum ſtuphis & balneis naturalibus commotus.

Reuulſiones ſequitur vacuatio cauſæ coniunctæ per topica interna externáque calfacientia,& reſoluentia, cuiuſmodi ſunt ſaccelli furfure macro, ſale, milio, & cumino frixis repleti & calidè appoſiti: talis fotus eſt ex decocto rad.ariſtol.rotũdæ,ebuli, cucumeris agreſtis,ciclaminis,fol.puleg.origan.calamenthi,ſabinæ,artemiſ. matric.ſeminum cumini ſileris montani & flor.geniſtæ in ęqualib.portionibus aquę &vini albi additi poſt finitam coctionem: applicetur cũ veſica ſuilla vel ſpleniis vel filtris ter aut quater in die & per horam vnam ſingulis vicibus.Ex eadẽ materia cõmodiſſime inſeſſus paretur vel ſemicupiũ.Mox à fotu inſeſſũve lit' fiat vel embrochatio ex oleo rut.multũ fricãdo,vel vnguentũ

ex eodem oleo addendo cinerem buccinarum, purpurearum coclearum. Emplastrum simile est à Guidone descriptum ex seminis sinapi & vrticæ, sulphuris viui, spumæ maris aristoloch. bdellij ammoniaci olei rutacei & ceræ sufficienti quantitate.

Iniectiones comparantur è simili fotus materia siue decocto quæ menses moueant aperiendo tergendóque, & aquas educant quibus reiectis mox pessus subdatur ex myrrhæ, aloes, gummi ammoniaci, rad. iridis folior. brassic. mucernæ & colocynthid. puluere cum melle incorporato. Quod si topicorum acrimonia pruritum & ardorem pudendo & ceruici vteri inusserit, ille quidem deliniatur potione lactis asinini vel caprilli, locique perfusione ex eodem lacte, admisto succo plantaginis vel mucilagine seminis cytoniorum & psyllij extracta cũ aqua rosarum, linteolis etiam eodem liquore & albumine oui insuccatis & pudendo admotis. Denique post exhaustas vteri aquas pristina temperies & robur vtero restituatur, eiúsque mollities & laxitas substantiæ comprimatur topicis modice calidis siccísque, & constringentibus tum externis vt emplastro pro matrice, aut de mastiche, vnguento ex oleo nardino, absinthino, myrtino, muscatelino cum puluere rad. bistortæ iridis florentiæ mastiches ladani nucis moschatæ boli armenæ & balaustiorum cum cera alba : tum internis vt suffitibus ex eiusdem materiæ puluere in trochiscos cum terebinthina coacto : quorum vapor mane & vesperi ex ollula per infundibulum ferreum aut buxeum altissimè per vuluam in vterum

infera-

inferatur, pesso denique per opiatam ex eodem puluere cum melle.

Quod si ab hepatis aut alterius visceris intemperati sympathia noxa hæc vtero accesserit, illa quoque intemperies simul profligãda est, remediis scilicet calidis siccísque & modice astringentibus tum sumendis mane, vt opiatis, qualis est theriaca mithridatium &c. & tabellis vt aromatici rosati diagalangæ, & similium, in œdemate & inflatione vteri expositorum: tum admouendis vt emplastris idoneis & vnguentis.

De calculo vteri.

POst curatos vteri morbos similares, vt est pars substantiâ spermaticâ & membraneâ, organici eiusdem affectus, vt pars est quoque instrumẽtaria, curari cœperunt.

Primùm quidem ij qui ad figuram spectant, vnde tumores præter naturam, deinde morbi in cauitate, ex quibus inflatio & hydrops. Soli supersunt calculi & grumi moláque à quibus cauitas vteri repleri solet, cum eodem fœcunditatis, & mensium incommodo.

Est autem calculi materia frequentissima humor crassus viscidus limosus: magis infrequens arenulæ limo coactæ & conglutinatæ: sicuti & terrena vrinę portio adusta concretáque, vt in matulæ fundo, sic in vesica.

Euidentes causæ sunt intemperans & intemperata diæta, ex alimentis crassi, lentique succi, vt carnibus porcinis bubulis & ferarum vetustiorum, piscium grandiorum, cetaceorum, radic. napi, rapi, leguminum, lactis, casei, aquarum limosarum, vino-

rum crassiorum. Huc spectant exercitatio à cibo importuna, desidia, somnolentia, móxque à pastu balnea. Causa efficiens calor est, siue vehemens & valde acris, siue mitis & remissus, vterque sane humorem crassum lentúmque, tenui portione insensiliter dissoluta in lapideam duritiem cogit, ille quidem affatim, hic sensim; ille quoque terream vrinæ portionem in vesica adurit, & in renibus exusto crassiori sanguine arenulas colligit, hinc vtrique sexui molestus calculus est, (quamuis mas calidior, fœmina frigidior sit) omnique ætati, vt pueritiæ, iuuentuti, & senectuti.

Locus est cuiuslibet visceris partísve etiam externæ cauitas, vt articulorum, sinuum cerebri, brōchiorum in pulmonibus, intestinorum, mesenterij, lienis, hepatis, vtriusque vesicæ & renū: rarissimus in vtero locus est, ob mensium fluxum, viarúmque laxitatem, sitúmque decliuem in iuuenibus (sed in iunioribus conglobatus est arctissime vterus instar pyri) & in senescentibus quibus defecerunt menses, aut ob obstructionem cotyledonum, idque vel è proprij alimenti reliquiis, vel ex viscerum sese exonerantium sympathia. Causa sine qua non oris est interioris occlusio, perpetua quidem nisi coitus, mensium, & partus tempore.

Calculi signa sunt dolor grauis in pectine, & imo ventre, oppresso ore interiori, suppressio mensium, & sterilitas, obturato eodem ore ab impacto calculo minori, vel obiecto grandiori, indéque sanguinis emissione, & seminis virilis admissione interclusa.

Curatio.

CVratur vteri repletio à calculo, calculi ipsius amo-

amotione: non quidem per medicaměta diuretic:, tertio gradu calida ſiccáque & tenuiſſimę ſubſtantiæ, ob duritiem & diſtantiam nimiam, neque per inciſionem ceruicis vteri, ne veſica ipſa & inteſtinum ſcalpro violentur: ſed extractione & propulſione per os interius prius relaxatum. Sic enim calculus haud multò ęgrius quàm fœtus multo grandior proditurus eſt: illa autem relaxatio conſtet medicamentis humectantibus caloris & frigoris mediocritate tẽperatis, ſed humore aqueo & aereo magis minúſve confertis; Eiuſmodi ſunt inter mitiora radices altheę, liliorum, folia eorundem, violar. parietar. acanthij, pruna dulcia, flor. chamæmel. & meliloti: paulò calidiora ſunt lini & fœnugræci ſemina, caricæ, oleum lirinum, chamęmelinũ, amygdalinum dulce, iaſmininum: adipes denique & medullæ recentes & ſine ſale domeſticorum animalium, quia hæc humidiora ſunt, quàm agreſtia. ex hac materia cocta clyſteres, fotus, inſeſſus, cataplaſmata, vnguenta & cerata conficiantur.

℞. rad. alth. & liliorum an. qrt. j. fol. 4. emollientium an. m. j. prunorum dulc. & caricarũ pingu. an. par. vj. ſeminis lini vel fœnugræc. qrt. j. flor. chamęmeli, meliloti, malu. an. p. j. coquantur omnia in iure pingui omazorum veruecinorum. In colaturæ ℔ j (vt minor quantitas diutius moretur) diſſolue butyri recentis & axũgiæ recentis ſuillæ vel gallinaceæ an. qrt. ß, olei liliorum ℥ iij fiat clyſter, iniiciatur ſemel in die, ieiuno ventriculo.

Poſſit tamen etiam vtiliter caſſiæ bolus poſt clyſterem exhiberi, eíque plebotomia ſubſtitui ad fluxionis declinandum periculum in partem relaxandam & ex cõpreſſione atque extractione doliturã.

Ex eodem decocto clysteris, fotus & insessus siue semicupia, aucta eius quantitate, fructuosè vsurpẽtur bis aut ter, per singulos dies, & hora vna per singulas vices.

Ex magmate eiusdem decocti tuso cretóque per cribrum setaceum adiunctis prædictis adipibus & oleis, & farinis lini vel fœnugræci cataplasma fiat mox à fotu vel insessu, calfactæ & rarefactę parti super stupas bene pexas imponendum. Embrochationes, litúsque ex prædictis oleis, cataplasmatis loco conuenient, indéque vnguenta eiusmodi.

℞. mucilag. seminis lini extractæ ex decocto caricarum ℥ iij olei lirini chamæmel. & amygdal. dulcis an. ℥ ij butyri recentis, axungiæ recentis gallinæ vel anseris & œsypi an. ℥ j farinæ lini ℥ ß ceræ nouæ parum, fiat vnguentum.

Similia prostãt in pharmacopoliis, Resumptiuũ & de alth. & emplastrum filij Zachariæ.

Vsurpatis per biduum, vel potius triduum istis remediis relaxantibus: tum dehiscente satis osculo interno vuluæ calculi amotio per extractionem internam, & propulsionem externam tentanda est.

Extrahent autem & à fundo ad ceruicem deducent calculum longiores duo sinistræ manus digiti obstetricum, vel chirurgorum per anum altissimè in intestinum demissi: eundem eodem tẽpore propellet dextra manus superiorem ventrem fundúmque vteri ab vmbilico valide comprimendo, & calculum ad os interius cogendo: muliere interim decumbente supina & diuaricatis cruribus, intestino denique prius eloto vt dictum est.

De

De repletione vteri à grumo ſanguinis, aliòve humore.

VT puerperis lac in mammis, ſic lochia ſiue ſanguis in vtero grumeſcere ſolet. Eſt autem θρόμβωσις grumefactio vtriuſque communis affectio, tum lactis, quoties in mammis duritiem caſeoſam ſubit: tum ſanguinis qui è cotyledonibus in vteri cauitatem infuſus, neque ex eadem maturè effuſus, vel ob indecentem puerperæ decubitum femorúmque arctiorem accubitum, aut interioris oris tumorem aliquem, in eadem ſimiliter coit, & in exigua fruſta condenſatur, qui grumi vocantur, idque ob refrigerationem propriíque caloris diſſolutionem ob quam nigricare: ſed etiam putreſcere, ac tandem corrumpi ſolet cum funeſtiſſimis ſymptomatis, vt coloris fœditate, pulſu paruo, frequenti, & obſcuro, anxietate, animi defectione, & morte frequenti, ob caloris natiui perniciem à venenata corruptelæ aura per communes arterias in cor delata.

Eadem ſanguinis refrigeratio per habitum carníſque meatus obſcuros, à contuſa & colliſa vena reſperſi accidere ſolet, vnde pars ipſa liueſcit & nigricat, vocatúrque eiuſmodi affectio liuor, ſugillatio, & in genis priuatim ὑπώπιον.

Eadem ſanguinis concretio & corruptela non in vteri ſolius ſed in aliarum quoque partium euidenti cauitate accidit, vt ventriculi, inteſtinorum, renum, veſicæ, thoracis, narium quomodolibet, ex venis ſiue per διαβρωσιν, ſiue per διαπήδησιν, ſiue per ἀναστόμωσιν, ſiue per ῥῆξιν exciderit.

ſurſum, mutata ſede ad viſcera, vel incitante libidine: vel cogente ſiccitate ad humiditatis captanda ſubſidia, cum vterus ſcilicet immodicè exaruit præ immodico labore & calore, vel ex inedia, vel ex menſium & lochiorum redundantia, vel ex menſtrui ſuppreſſi, veluti alimenti idonei penuria, vel ex ſeminis virilis inopia, vel denique ex contractione conuulſiua venarum & ligamentorum poſtquam humore vel vapore repleta nimis ſunt. Addunt extumeſcere eundem vterum multo intus cōcepto flatu craſſóque ex intima ſeminis & menſtrui ſanguinis putredine, vel ex aëre in hiantem vterum per eruptionem menſium & lochiorū ſubeunte, ſolutionem denique naſci ex violenta flatuum diſtenſione quam pungens & colico ſimilis dolor imi ventris ſequatur. Sed enim ab affectus huiuſce vterini cauſis, aſcenſum eiuſdem, tumorē & ſolutionem continuitatis remouere iure mihi videor: cum enim tres corporis partium motus notari tantum poſſint, animalis, naturalis & ſymptomaticus, à nullo certè iſtorum præcordia opprimi vt omnino non dilatētur, ab vtero poſſint. Naturali enim ad vmbilicum tantum non ad medium ventriculum, nedum ad diaphragma extendi poterit, ſicuti deorſum ad ceruicis initium tantum & ad latera leuiter contorquetur, dum ſcilicet gratis odoribus allicitur aut ingratis fugatur, aut dum ſemini virili per coitus incendium obuius obuoluitur, aut denique dum moleſtis vel iucundis rerum caſibus nuntiiſve percellitur, nam quæcumque ab eiuſmodi motu naturali hyſterica ſymptomata cieri ſolent, ea quidem non ad aſcenſum preſſúmque præcordiorum: ſed ad humorum putrium vaporúmq;

venenatorum agitationem & exſpirationem proximè ſunt referenda; mota enim vehementer parte qualibet eiúſque ſpiritibus, humores quoque vaporéſque quicumque ſopiti & inertes in ea delitéſcebant, grauiter commouentur. hinc vertiginis & epilepſiæ acceſſiones à vehementi ira & timore, ſicuti hyſtericæ inuaſiones ſuſcitantur. Animalis autem motus vteri nullus eſt, cum animal non ſit (vnum enim, fœminam nempe, è duobus actu exiſtentibus conſtare paradoxon omnino eſt) cúmque omnibus motus animalis & voluntarij inſtrumentis muſculis & neruis careat: neque etiam deſiderij ſui compos per eiuſmodi animalem motum ſi fortaſſe à Platone concedatur fieri omnino poſſit. Simplicem enim & aqueam humiditatem non mutata ſede ſua, è vicina veſica & inteſtini parte aliqua celeriter & quietus captaret; alimentalem autem ſicuti ſanguineam aut chyloſam etiam hepati & ventriculo proximè aduolutus deriuare nullam poſſet præ denſitate & craſſitie externæ ſuæ tunicæ nullis meatibus manifeſtis peruiæ, ſolíſque venarum à caua ortarum propaginibus intus hiantibus conſperſæ. Multo verò minus ſepti commercio, quod natura ſiccum aridum & membranoſum eſt, ſocietate & adhæſione irrigetur: nulla denique coitus voluptate aut generationis cupiditate incitari motus hic animalis vteri poſſit, cũ ſeminis excretio ſicuti ſtercoris vrinę & moleſti cuiuſlibet excremẽti ſit omnino naturalis brutorúmq; citra voluptatis cogitationẽ proliſque cupiditatẽ cõmunis. Motus denique ſymptomaticus vel cõuulſiuus vterum attollit deprimitve, aut in latera adducit: ſed omnino leuiter neque lõgius à ſua ſede vt diaphragma
laceſſat

lacessat, dum scilicet suppresso menstruo impletis venis valida quidem eius, sed tamen laxa vincula vicissim implentur & contrahuntur, vterumque secum versus suam originem vel æqualiter, si omnia, vel inæqualiter si quædam conuellantur, reuellunt, qui motus violenti, vteri peruersiones, merito vocentur: nequaquam tamen hystericorum symptomatũ authores statuantur, cũ illa à cõmuni origine & causa menstrui scilicet retenti corruptione & expiratione suscitẽtur. Vteri quoque tumor valde ingens amplus & turgidus respirationem quidem crebriorem minorémque per se effecerit (oppresso diaphragmate) eandem tamen omnino per se non sustulerit, aut hysterica symptomata vt apnœam, aphoniam, ἀσφυξίαν, torporem, conuulsionem sine venenata expiratione non attulerit, sicuti neque satietas & ingluuies immodica aut imprægnatio aut hydrops. Solutio denique continuitatis nullum aliud tædium nisi fortasse doloris pungentis & colico similis commouere potest. Ergo cum neque ascensus vteri neque tumor eius vllus hystericorum symptomatum author sit, ad intemperiem vteri solam vterinum affectum referri & hysterica symptomata necesse est, quæ passio quædam diuturna, sed paroxysmis acutissima est. Ergo affectus vteri vnde suffocatio ægrotantis mulierculæ, intemperies est frigida humidáque à veneno simili frigido, humidóque ex corrupto semine & menstruo orta. Itaque viduis potissimum ob intermissam purgationem & venerem symptomata hysterica infensa sunt, à quibus antea aliena omnino erãt, dũm probe purgarentur, parerent, virísque miscerentur. hinc hysterica fœmina titillatis digito obstetricis geni-

talibus magnam vim crassi seminis reiecit & accessione confestim liberata est; sic monialibus quoque ex voto castis innuptis benéque habitis & otiosis puellis eadem corrupti potissimum seminis molestia creberrima esse solet. Cæterum corrupti mẽstrui seminísque materia non manifesta tantũ qualitate frigida humidáque, sed occulta quoque antipathia veneni præsentissimi instar mulieribus est noxia. Non enim nouum aut inauditum est venena intestina in nostris corporibus succrescere, à quibus vt ab externis & assumptis funestissima symptomata & inopinatæ mortes nobis consciscantur, similésque mortuorum corporum affectiones excitentur, vt liuor, nigrities, varij colores, mollities & laxitas, vnico tantum discrimine, quod externorum pestis in hominem eusarchum & temperãtem lautéque & frugaliter victitantem sæpius grassari videatur. Colligũtur autem minutatim, sensimque intus inualescunt venena sine graui tamen ægrotãtis & euidenti ostensione, donec aut cumulata vberius, aut corrupta deterius, aut longius sparsa, aut mota sint vehementius ab irritata tandem partis in qua desident facultate expultrice. Materia igitur hæc in plures vapores resoluitur agitata in vtero humorum corruptorum sentina. Hinc repentina mors quam in sinu diutius antea gestauerant ægras velut ex insidiis rapit. Sic rabies à morsu canis rabidi non quidem illico sed pluribus postea diebus vel mensibus hominem inuadit, dum scilicet iusta mole satisque vehementi pernicie creuit, quæ cerebri temperiem calore & siccitate subuertat. Sed enim ex duplici illa materiæ venenatæ specie, seminis corrupti maior est quam menstrui pernicies.

Cum

Cum enim mutatio omnis in contrarium fiat, sitq; semen sanguine magis coctum perfectum & elaboratum, deteriorem veneni conditionem hoc ipsum subire quam illum necesse est: hoc verò perspicuum est tum ex illis fœminis non viduis quæ suppressa purgatione menstruali hystericis aliquando symptomatis sed multo leuioribus lacessuntur, quàm pleræque viduæ, quibus procedente etiam purgatione, vehementissima maximéque funesta insultare solēt vt apnœa, aphonia, syncope, conuulsio, stupor torpórque, illis præsertim quibus est à luxu, otióque & longiori continentia copiosius semen congestum.

Virile autem semē minus est quam muliebre ad putredinem & corruptelam venenatam procliue, cùm sit illud quidem calidum siccúmque magis & sincerum, hoc contra frigidius humidiúsque, frigidóque veneno magis affine & vt dicunt proportionatum, & præterea in obscœno sordidóque vtero resideat. Neque tamen hystericis similium symptomatum molestiam viri plane effugiunt dum veneris consuetudinem diutius intermittunt vt cephalalgiæ, stuporis, inertiæ, fastidij, cruditatis, metus & mœstitiæ. Neque vero dubitandum est quin tantula veneni vterini portio tantum possit aduersus principes totius corporis partes. Quid enim? An non exiguum valde venenum pungentis phalangij per angustissimum foramen partibus principibus cōfestim imprimitur? Nónne ex infixo scorpionis aculeo quidā vel tabificus vapor, vel deleterium virus sine foramine conspicuo totum corpus celeriter peruadit? Quid? An non solius qualitatis sine vlla substantia diffusio vicina corpora permo-

uere aliquando videtur? Sic piſcatoris manum per continuum tridentem torpedo marina eneruat. Sic electrum paleas. Sic magnes ferrum ferreáſque acus complures quaſi nexu quodam inter ſe deuinctas tacta vna ordinatim omnes ad ſeſe pertrahit: Rectè igitur vterinum affectum ad intemperiem frigidam humidámque vteri retulimus, qua vterus primùm, deinde reliquum corpus perfrigeretur. Huius quoque intemperiei continentem cauſam verè ſtatuimus materiam venenatam frigidam humidámque ex corrupto ſemine & mẽſtruo aut alio quolibet humore, præſertim pituitoſo, cuius expiratione tetra, venenata & deleteria, partiũ principum omnes functiones labefactentur, vitáque ipſa aliquando eripiatur, dum in cerebrum per neruos & ſpinalis medullæ tunicas, in hepar per venas, in cor per arterias, in totum corpus per latentia ſpiracula quoquo verſum efflante vtero per acceſſiones ſpargitur. Inde ſymptomatum hyſtericorum numeroſa & violenta ſoboles tum cerebri, vt ſtupor ſenſuum, torpor in motu, mentis inertia, veternus, dolor grauans, deliratio melancholica aut furioſa, vertigo, epilepſia, conuulſio ſiue vniuerſalis ſiue particularis crurum & brachiorum, eáque omnia à craſſis, frigidíſque vaporibus cerebri ſubſtantiam meninges neruóſque impetẽtibus, tum cordis, thoracis & diaphragmatis vt apnœa, aſphyxia, aphonia, lipothymia & ſyncope, calore ſcilicet natiuo aut vaporum frigidorum craſſorúmque copia oppreſſo, aut venenata qualitate extincto, tunc enim reſpirationis & pulſationis vſus nullus eſt: tum ventriculi vt nauſea, vomitus rarus, faſtidium, ructus, irrepentibus ex vtero malignis vaporibus: tum inteſtino-

teſtinorũ vnde murmura rugitus borborygmi præ flatuũ tumultu. Inde etiam imi ventris, lumborum, pubis inguinum ilium dolor pũgens & colico ſimilis, ex flatuoſa diſtenſione ligamentorum & membranularum peritonæi, quibus ad vicinas partes annectitur vterus.

Quod ſi per menſium aut lochiorum eruptionem nimiam purgationem & inediam extumeſcere vterum aliquando contingat: hunc quidem tumorem ab aëre ſimplici hiantem ſinum mulieris ſubeunte non à vapore venenato excitari certum eſt, atque inde diaphragmate leuiter compreſſo minorem & crebriorem ſpirationem ſine grauioribus ſymptomatis oriri. Similis eſt quoque ab odoribus ſuauibus olfactis diſpnœa, ſeptique oppreſſio, vtero ſcilicet ad eos odores inclinante vnde impelluntur ventriculus & inteſtina, niſi fortaſſe vetus & ſopita vteri camarina his vteri motibus concitetur. Porro hyſtericorum ſymptomatum varietas non ſolum ex varia viſcerum vtero condolentium natura, ſed pro diſſimili etiam cauſę efficientis, id eſt venenatæ materiæ ſpecie, quantitate & qualitate emergere ſolet; nam venenum ex ſemine multo magis quam è menſtruo corrupto peſtiferum eſſe iam docuimus. Idem ſi copioſum valdéque frigidum & humidum ſit totum corpus tam vehementer perfrigerat obſeſſo corde vt veram mortis imaginem exprimat, cerebro inexpugnabilem veternum, thoraci apnœam, cordi & arteriis aſphyxiam, lipothymiam aut ſyncopen inducat, ſi vel craſſum vel acre ſit conuulſionem, ſin bilioſum delirationem, furorem, loquacitatem temerariam, ſi atrabilarium metum & mœſtitiam, riſum & la-

chrymas suscitet. Ex hac igitur hystericorum symptomatum varietate vterini affectus species tres obseruabat Galenus libro sexto de locis affectis, vnam cùm hystericæ fœminæ sine sensu motúque, respiratione & pulsatione euidenti tanquam mortuæ iacent: alteram cùm, sensu motúque & iudicio constante, lipothymia tamen & dispnœa laborant: tertiam cum eędem fœminæ cruribus & brachiis præter reliqua symptomata conuelluntur. Sed de prima specie, an à morte distet dubium non est. Vegeto sane calori natiuo, per quem vita est & sine quo vita nullo modo possit esse, conseruando, purgando alendo temperandóque respiratio pulsatióque euidens est omnino necessaria: sed eundem tamen debilitatum vehementer maximéque perfrigeratum vterinæ labis aspersione fouere tantisper tueríque transpiratio sola potest, dum excussa ex vtero venenata materia omninóque eius expiratione compressa restituatur calor & respiratio; Non igitur nullo, vt in respiratione: sed obscurissimo & languidissimo pulsu motúque cordis qui transpiratio dicitur, hystericæ fœminæ possunt viuere.

Similis est serpentum in suis latebris sine sensu motúque, respiratione & pulsatione conspicua per totam hyemem vita, qui tamen blando veris tepore excitari & veluti reuiuiscere videntur. Sunt autem serpentes acri quidem magis calore quam homines, sed minus copioso, & frigore magis infesto, sicuti homines etiam magis quam bruta ob cutis mollitiem & laxitatem maiorem: proinde incertum falláxque est in fœminis hystericis mortis argumentum sumptum ex eo quod neque nitidum spe-

ſpeculum ipſarum ori admotum inquinetur, neque carptæ lanæ floccus naribus obiectus moueatur; neque denique cyathus quolibet liquore plenus & ſtomachi regioni impoſitus agitetur; tria enim hæc reſpirationem ſolam abeſſe non tranſpirationem denuntiant. Differendum itaque fœminarum hyſtericarum in tertium ab acceſſione diem funus, ſapientum literis traditur: hoc enim triduano ſpatio, aut fœtere grauiter, aut excitari ab acceſſione incipiunt.

De ſignis diagnoſticis.

VTerini affectus ſigna diagnoſtica ſunt vel propria vel diſtinctiua. Illa rurſus triplicia, imminentis, vigentis & declinantis acceſſionis. Prima illa ſunt torpor mentis, ſtupor ſenſuum, crurum debilitas, ſtandíque impotentia, faciei pallor, ventriculi oppreſſio & diſpnœa, vẽtris inflatio, facilíſque in eum decubitus, quæ omnia incipientem ab vtero euaporationem ſequuntur. Secunda (hoc eſt vigentis) ſopor, apnœa, aphonia, deliratio, furor, conuulſio brachiorum & femorum aucta vaporũ multitudine, maximéque exacerbata continente cauſa, riſus denique vel lachrymæ vel vtraq; viciſſim pro natura atrabilarij ſanguinis vel menſtrui. Tertij ordinis ſunt virium recreatio, oculorũ apertio, ſenſus motúſque & iudicij redintegratio, corde & cerebro craſſis & venenatis vaporibus deſinentibus liberato, inteſtinorum murmur & rugitus, saniei ſeroſæ mucoſæ aut ſeminalis profluuium aut ſpontaneum aut titillatione digitorum obſtetricis illectũ: hæc enim sanies acceſſionis cõtinens cauſa fuerat: vteri denique ad ſuã ſedẽ reditus & detumefactio.

Signa diſtinctiua ſunt bipertita, quædam cauſas ſpectant. Sic vitiatum ſemen inſinuant hyſterica ſymptomata omnia grauiora vt vniuerſi corporis vehemens & repentina perfrigeratio, apnœa atomia aphonia lipothymia, veternus, cõuulſio, ſi præſertim mulier vidua ἀξίᾳ prædita ſit lautéque & otioſe victitans & iuniorum virorum colloquiis familiaritatéque fruens, fluentibus interim menſibus. Eadem eſt ratio innuptarum iuuencularum ſiue monialium ſiue aliarum.

Contra menſtruum ſuppreſſum leuiora ſequuntur ſymptomata vt ſtomachi dolor & oppreſſio (adducto ſurſum à venis repletis & contractis vtero) cephalalgia grauans, diſpnœa tantum, ſi præſertim mulier ſit ætate florens luxúque & otio abundans menſibus ſuppreſſis.

Alia ſunt ſigna ex quibus affectus hic à ſimilibus morbis diſtinguitur, vt à ſyncope, ex pulſu minore, nullo ſudore frigido, pallore faciei minore odoratorum noxa: à catalepſi ex eo quòd rigor nullus adeſt, oculi clauſi ſunt: ab apoplexia quia ſtertor nullus: ab epilepſia quia concuſſio nulla, ſpuma circa os nulla; pallor vultus nullus aut minimus apparet, quin potius rubet in præfocatis.

De ſignis prognoſticis.

SIgna prognoſtica ſunt quod fœminæ viduę moniales & innuptæ puellæ affectui vterino ſunt obnoxiæ, ſicuti ſeniores ceſſantibus menſibus multo magis quam iuniores; Quod à corruptela ſeminis multo magis quam menſtrui pernicioſa & vehemens ſit acceſſio; quod longa & violenta acceſſio penè funeſta ſit, breuior leuiórque tuta; quod acceſ-

accessionis longitudo cum vehemẽtia symptomatum & spuma circa os mortis sint indicia, cõtraria omnia sanitatis: quòd mulieres fœcundæ raro sint hystericæ absumpto semine in conceptum menstruóque in alitionem fœtus; Quòd suffocatio à pituita putri, in sexagenariis & in iunioribus intemperanter victitantibus frequens est: Quod hyeme & autumno sit frequentior languente magis venere, coercito vapore à densitate habitus & pituita succrescente: Quod denique homines à seminis corruptela minus infestentur.

Curatio.

THerapia siue medicatio affectus vterini est duplex, præseruatiua & curatiua: hæc vrgentem submouet accessionem, illa futuram prohibet. Futuræ accessionis causa duplex est; vna sanguinis menstrui aut alterius humoris, altera seminis retentio quam corruptela subsequi solet. Vtraque amotis suis causis antecedentibus præcauetur, sicuti menstrui retentio sublata plethora & vacuata cacochymia. Minuenda autem est illa plethora tum vacuationibus occultis vt per victum tenuem parcúmque & frugalem, frigidum siccúmque, vel humidum & minimè crassum & alimentosum, exercitationes vehementes, vigilias graues, curas, & negotia ardua, tum manifestis vt phlebotomia in cubito & malleolo, quã antecedat leuior purgatio & clyster emolliens. Phlebotomię quantitas ex plethoræ & virium modo æstimanda est, tempus eiusdem ex periodo instante & consueta menstruæ purgationis, vt triduũ

aut quatriduũ ante illã;vt duplici ſtimulo naturæ & artis cõmotus sãguis liberius profluat. At poſt phlebotomiã & purgationẽ ſanguinis alterationi & attenuationi apertioniq; & relaxationi vaſorũ hyſtericorũ ſtudeatur, vt ſic facilius transfluat ſanguis. Alterantia & aperientia ſunt balneum, fotus, litus & iulepi attenuantes in ingreſſu balnei; ipſo denique fluxus tempore ſanguis foras inuitetur (ſi ſegnis & tardus ſit) frictionibus multis duriſque, deligationibus arctioribus femorum crurúmque, cucurbitulis ad inguina apponendis, lotionibus tibiarum femorúmque calfacientibus; matutinis & veſpertinis, multis deambulationibus, peſſariis denique acribus valdéque tergentibus. Sed de iis omnibus copioſius in fluxu menſium curando poſtea, nunc genera remediorum indicaſſe ſatis ſit.

Cacochymia quæ ſanguinis menſtrui eruptionem cohibet, craſſa lentáque pituitoſa vel melancholica vel certè mixta, purgatione dematur phlegmagoga & melanagoga. Purgationi præponenda eſt cacochymiæ coctio & præparatio attenuans & detergens caliditati moderatę & ſiccitati iuncta per diætam, tum pharmaciam vt iulepos & apozemata.

Coctionem rurſus præcedat primæ regionis vacuatio per clyſterem attenuantẽ tergentem & phlegmagogum ſimilémque minorationẽ, cui pariter ſubiungenda eſt phlebotomia ſiquidem plethorica ſit cacochymia, vt reliquię illius facilius coquãtur; alias phlebotomia è malleolo tantum rectius poſt purgationem differatur. Abſoluta purgatione relicta cacochymiæ portio ſumendis & admouendis re-

remediis percoquatur viæque vteri liberentur. Ex horum genere sunt balneum, insessus, vel semicupium & fotus in triduum producenda ex decocto calidorum siccorúmque & tergentium atque attenuantium simplicium horis matutinis & vespertinis sine sudore tamen vllo, à quibus embrochationes oleorum calidorum, vteri regioni adhibeantur deinde gossipium imponatur; in introitu quoque balnei electaria calida, confectiones aut iuscula similia exhibeantur.

Expleto balneo atque instante iam periodo mẽsium consueta, lotiones calidæ tibiarum femorúmque deligationes & fricationes vehementes, cucurbitulę magnæ & cum multa flamma ad inguina appositæ, iniectiones in vterum ẽ simili decocto balneorum dissoluta hiera aut benedicta aut trochiscis de myrrha; suffitus aromatum pessaria acria adhibeantur non intermissis interim topicis prædictis donec sãguis copiose satis prorumpere videatur. Hæc cacochymiæ menses remorãtis multo prolixa magis & ardua quam plethoræ therapia est, ideóque pluribus ante periodum diebus vt quindecim inchoanda & maturanda est. Quod si sine corruptela seminis aut mẽstrui hysterica symptomata sæuire aliquando contingat ex quolibet humore vtputa pituitoso putrescente (perseuerante etiam coitu & menstruo) omnia præter phlebotomiam cacochymiæ notata remedia aptanda sunt.

De præseruatione.

PRæseruatio suffocationis vterinæ à retentione & corruptela spermatis versatur in duplici scopo; vacuationis sanguinis & refrigerationis

eiusdem, idque in viduis tantũ, monialibus & virginibus innuptis; maritatis enim singulare remedium est coitus.

Diæta itaque frigida siccáque, tenuis & parca cumulando sanguini ex quo seminis redundantia est aduersetur; aëre fruatur frigido, vescatur cibis frigidis minimúmque alimentosis, vt pane hordeaceo, aquæ potione, piscibus, oleribus eorúmque iusculis, acetariis, fructibus vernis; laboribus interim sese dedat, studiis grauibus piísque cogitationibus. Carnes, vinum, lac, caseum &c. fugiat lectósq; molliores, quin potius super folia plantarum frigidarum vt salicis nenupharis aut super paleam recumbat.

Chirurgia quoque redundãtem seminis materiã (id est sanguinem) exhauriat per phlebotomiam superiorem venarum maiorum cubiti dextri, & inferiorem ad malleolum.

Postremo pharmacia eandem sanguinis redundantiam circumcidat vacuationibus vel manifestis, vt purgationibus crebris, clysteribus laconicis & balneis naturalibus, aut artificialibus etiam sudores mouentibus: vel occultis per quęcumque remedia vehementer desiccantia & resoluentia, vt sunt electaria mithridatium & theriaca vetus, diacyminum, semina viticis, nasturtij, menthæ, rutæ, cumini, cardamomi maioris coriandri præparati, oxalidis & portulacæ frixorum, quæ omnia vel in puluere assumantur vel electario & tabellis sacchаro aqua melissæ dissoluto. Externa sunt vt frictiones & deambulationes citatiores. Extinguitur denique seminis ardor regione lumborum vnguentis frigidis sæpe obducta

obducta quale est populeum, refrigerans Galeni: talis denique lamina plumbi est noctu diúque gestata, sic enim segnior & torpidior renum vis tractrix vasa deferentia vicina minori copia sanguinis onerat. Quod si seminalis materiæ portio antea in vterum infusa eiiciatur, ea detrahatur post expedita præseruationis præsidia per clysteres, iniectiones & pessaria acria tergentia & phlegmagoga.

Curatio accessionis hystericæ.

CVratio constat causæ continentis duplicis vaporosæ scilicet & corruptæ materiæ vacuatione. Vaporosa autem tum reuellitur deorsum cum vtero ipso (vt sublimiora viscera infestare desinat) frictionibus validis ex linteis duris aut ex aceto & sale mixtis, deligationibus actioribus & dolorificis pedum crurum & femorum, cucurbitulis magnis & cum magna flãma mediis femoribus, deinde inguinibus, hypogastrio denique affigendis, plãtarum fotu ex vino calente aut aqua vitæ aut oleo laurino, de spica, & simili. Fotu etiã pudendi ex decocto calente cum spongia vel staminum glomis duobus in oleo feruefactis & vicissim appositis, vulsione pilorum pudendi, titillatione ceruicis intimæ & vnctione odorata; Titillatio enim lenísque frictio calfacit modicè laxátque partem & voluptate afficit (sicuti per pruritum scalptus) indéq; vapores venenatos putrémq; materiã effundit vterus. Odoribus quoq; suauib. (quorũ à tẽperie sũma & perfecta coctione origo est, sicuti à cruditate fœtor) recreatur vterus non animali quidem sensu & quali-

tatis odorabilis apprehensione quæ propria nariũ est aut meatuũ mammosorũ : sed naturali substãtię odoratæ perceptione, qua pars multo spiritu & calore ad propriam functionem egens iucundius reficitur tanquam familiari spiritus insiti alimento vt vẽtriculus cor & cerebrũ; ideóq; vterus ad illos quã potest proximè extensus accedit sicuti fœtidos declinaturus, seipsum quã lõgissimè potest subducit. Neque vero de fœtidis odoribus metuendum est ori admouendis ne eorum mixtione venenati vapores inquinari augeri & crassescere possint, vnde accessiones grauiores & contumaciores euadant; illorum enim fuga cõtractus cõpressúsque vterus tũ circũiecta viscera oppressione sua liberat, tũ venenatos vapores deorsum exprimit & dissipat, Illorũ etiã attenuãdi resoluẽdi & consumẽdi vapores eximia via est sicuti & acrium quorumlibet vt aceti incoctis foliis pulegij, rutæ, calamẽthi origani baccis lauri & iuniperi seminibus cumini sileris montani. Grati autem sunt odores vt storacis, ladani benioini, calami aromatici, polij, schenanth. zibeti, ambræ grisæ & moschi, & ex cõpositis galliæ aliptæ moschatæ. Vsus autem talis esto, zibetum quidem solũ allini ceruici intimæ potest & pauco gossipio excipi atque intromitti, reliqua vel puluere cotoni insperso, vel oleo laurino muschatellino & simili excepta, vnguenti specie vsurpentur. vt

℞. galliæ vel aliptę moschatę ℥ ij moschi optimi ℈ ß dissolue cum oleo muscatellino, fiat vnguẽtum.

Fœtida sunt castoreũ, assa fœtida, sagapenũ, ammoniacũ, gagates eiúsque oleũ, petroleum, oleũ sulphuris, plumæ auiũ præsertim perdicũ cõbustæ, pili humani vsti, vetus coriũ, vngulæ cornua, cãdelę, papyrus

pyrus

pyrus incensa, quorum omnium vapores ore clauso & naribus aliquantisper retineantur donec eorum odio veluti fugiens seséque occultans matrix in suã sedem sese receperit flatibus etiam expressis; talis est etiam vetus matula vrinaria, talis guttula olei gagatini linguæ instillata.

Exemplum compositi fœtidi odoramenti.

℞. castorei & assæ fœtidæ an. ʒ ij sulphuris ʒ j olei gagatis vel petrolei quantum sufficit, fiat vnguẽtum applicandum naribus intus vel ex nodulo ex pauco gossipio & linteolo. Item acetum acerrimũ in quo acria decocta sint vt pulegium &c. à quibus attenuetur vapor crassúsque digeratur.

Repellitur vaporosa materia fœtidis ad os & nares appositis vt dictũ est, & præterea sternutatione & vomitione; vtraq; enim hæc intentis & appressis abdominis musculis vterũ in sedem suã validissimè compellit, ex eóque compresso vapores expellit deorsum. Mouetur illa acri & vellicante puluere in nares insufflato vt piperis pyrethri, seminis staphisagriæ sinapi zinziberis &c. aut naribus adacta palea aut penna acuta & pungente. Vomitio excitatur faucibus inserto altius digito vbi initium œsophagi est, vel potione tepida pinguíque & acri laxato irritatóque stomacho vt ex libra vna decoctionis seminis atriplicis nasturtij raphani, in qua dissolutę sint oxymelitis simplicis vel scillitici ℥ ij resoluitur vaporosa materia acrib. tũ sumẽdis vt theriaca & mithridatio cũ aqua artemisię vel granis piperis nigri quindecim cõtusis cũ aqua absynthij; tũ admouendis vt cucurbitulis imo ventri, oleis digerẽtibus vt rutaceo, laurino, costino, emplastro deniq. ceroneo. At corrupta humoralis & seminalis materia vacuãt clysterib. iniectionib. & pessariis acrib. digerẽtib. &

phlegmagogis, quibus etiam phlebotomia adiungi potest ab initio accessionis si à menstruo suppresso orta fuerit, non si à seminali materia, ne vapores venenatos in venas deducat, aut vterū & viscera à veneno impēsius refrigerata maiorē in modū refrigéret, aut debilitata deniq; cōturbatis vaporibus vehemetius debilitet. Purgatio quoq; phlebotomiæ adiūgi vtiliter possit vbi diuturnus paroxismus fuit vt biduanus triduanus. Postremo post euacuationes prædictas imo ventri magnæ cucurbitulæ dropax & sinapismus infigantur ad digerendas reliquias tum vaporis tum humoris cotyledones obstruētis. Tandē finito paroxismo vterus bene purgatus confirmetur tū insessibus & balneis calfacientibus, tum vero emplastro, pro matrice apposito calfaciente scilicet astringente & odoris suauitate recreante; fuit enim per accessionem refrigeratus extensus & dilatatus violentius, vterus.

Curatio extraordinaria.

CÆterum grauiora symptomata in ipso paroxysmo leniantur, vt veternus quidem vulsione pilorum in temporibus, frictione & deligatione brachiorum propriique nominis altiori inclamatione, sternutatione vomitione & instillatione duarū vel triū guttularum olei alchymistici, saluiæ aut caryophyllorū in aures; cōuulsiones vero brachiorū crurúmq;, retētione eorūdē & acerrima totius spinæ & præsertim occipitis vnctione vt vapores crassi difflētur. Prospicietur dispnœæ accliui situ corporis hystericæ mulieris solutis ligamētis omnibus & laxatis vestibus vt liberius spiret, præcordiorū cōpressione manibus & fasciis facta vt thorax & diaphragma

phragma ab oppreſſione liberetur. Recreantur deniq; à ſyncope epithematis cardiacis electariis cõfectione alkermes, de hyacintho, aqua cinnamomi & ſimilibus.

De furore vteri.

NOmen à vehemẽti ſymptomate ratiocinationis læſæ & à parte primariò affecta tractũ eſt, quod ex vitio vteri per ſympathiam eius cum cerebro mens turbata ſit & ratiocinatio deprauata. Huius intemperiei vteri calidæ cauſa proxima eſt ſanguinis & ſeminis circa vterum copia, æſtúſque: Remotæ complures, quæcumq; vtrumq; cumulare vberius poſſunt, internæ externæque; illę ſunt natura calida humidáque, ætas florens: hæ verò aer tẽperatus, dięta calida humidáque flatuoſa lauta, otioſa, curarũ grauium expers & negotiorum arduorũ; ſecura, rerúmque venerearum lectionum & auditionum ſtudioſa; intempeſtiuus coitus aut omnino nullus; ille vaſa dilatat ſeminaria, vique eorum tractrice aucta ſemen affatim & multum colligit; hic ſenſim congerit; atque his cauſis multiplicatus ad vterum ſanguis ſeménque in teſtibus exuberans tum inflãmatur, vterúmque viciſſim inflammat & cerebrum mentémq; venereis concutit deliramentis ob vapores ſeminales venereis idolis onuſtos, in cerebrum expiratos, à quibus imaginatrix facultas pulſata naturalem excitat ad vacuationẽ neceſſariam excrementi ſeminalis affluentis, fitque hæc vacuatio per motus cõſuetos & partes huic muneri dicatas: Sic quibus inteſtinum aut veſica per ſomnum ſtercore aut vrina opprimitur, de ſtercoratione & mictione ſomniare ſolent.

De signis.

SIgna vterini affectus duplicia sunt, diagnostica, propria & distinctiua. Illa sunt procax & insatiabile coitus desiderium, atque eiusdem tum per obscœna verba, tum per motus gestusque inuerecũdos expressio, temeraria garrulitas, vociferatio tumultuosa, insana tandem mania, pudendi ob seminis pruritũ assidua fricatio. Distinguitur à pręfocatione vteri causis signisque, neq; enim per hũc affectũ vlla suæ sedis mutatione aut venenati vaporis expiratione, sublimioribus visceribus negotiũ facessit, sed loco suo constanter cõsidens intemperiẽ suã per seminales vapores iisdẽ omnibus sed cerebro maxime impartitur. deĩde præfocatæ mulieres torpẽt stupent obmutescũt veternosę fiunt conuel lũtur animoque linquũtur: at per vteri furorẽ garrulæ, lasciuæ iracundæ & rixosæ sunt, tumultuantur exiliunt, vociferantur bacchantium more, denique in viros obuios explendæ libidinis causa inuolant (est enim in præfocatione vapor frigidus in furore calidus semine ardente quidem sed non corrupto) tandẽque obliterata ratione vitã spontanea nece finire solẽt vel gladio vel laqueo vel pręcipitatione & submersione sępissimè. Distinguitur à priapismo & pruritu vteri, in quib. duob. coitus quoq; desideriũ cruciat sed sine ardore. Distinguitur denique ab intẽperie calida simplici vel phlegmonosa eiusdẽ vteri in qua deliratio quidẽ est: sed extra veneris cogitationẽ & seminalis vaporis affluentiam.

Prognostica signa sunt quòd viduas & virgines natura calida humidaque & florenti ætate quę prę sertim indulgentiùs & licentiosius educantur hic affectus sępe inuadat, Quòd nisi succurratur mature, vigiliis

filiis, inedia, ęrumnis tandē contabescant, nisi prius ad interitum ruant voluntarium & violentum.

Curatio.

CVrationis vnicus scopus est, refrigeratio vteri & seminis. Refrigerationis instrumentū primū est diæta frigida siccáque, & oligotropha, de qua in præseruatione suffocationis. Alterū instrumentum chirurgia est quę per phlebotomiā tum corpus totū refrigerat exclusis cum sanguine vaporibus calidis, tum vterū ipsum priuatim dum proximā gignendi spermatis materiā exhaurit, (sanguinē scilicet.) Exercēda igitur illa est primū in cubito dextro, deinde in malleolo pedis, vt plethorā tū communē toti corpori tū vtero peculiarem leuare possit. Phlebotomiæ modus infra plethoræ & viriū pręsentiū rationem tēperetur futuræ infirmitatis metu ob vigilias inediā & ferinos motus. Chirurgica quoq; remedia sunt frictio valida, deligatio arcta crurū & femorum, & cucurbitulæ inguinibus affigendæ, quib. omnibus à cerebri obsidione vapores reuocentur. Tertium eiusdem refrigerationis instrumentum est pharmacia vacuās alteransq;. Illa clysterē mollē aut minoratiuū bolum ex pulpa cassiæ & tamarindorū phlebotomiæ præponit, deinde humores acres & biliosos coquit coctosq; excludit à quibus acrius magisq; pruriginosum semen euadit; sic naturali œconomia sinistra vasa seminaria ex emulgentibus sinistris, dextra ex caua vena exprōpta sunt. Sic ergo remota causa antecedēte, cōiuncta cōfestim deriuetur ex vtero per iniectiones clysteres & pessaria ex acribus digerētibus & refrigerātibus mixta, à quibus facultas expultrix vteri irritetur & vapores consumātur sine caloris incremento: ab his enim simile quid

saliuæ elicitur & affectio sedatur. Postremo ardor partis & seminis relicti extinguendus est topicis tum internis, vt iniectionibus vel oxycrati vel succorum solani, plantaginis, vmbilici veneris, semperuiui, lenticulæ palustris, & clysteribus ex similium herbarum decoctis, tum deniq; pessariis ex earundem herbarum contusis foliis & linteolo exceptis: tum externis vt fotibus, insessibus ex eodem refrigerantium plantarum decocto, vt vnguentis rosaceo, santalino, populeo & refrigerante Galeni cum pauco aceto frigidè impositis, vt cataplasmate denique cum farina hordei subacta ex succis prædictis sine igni & cum pauca mucilagine seminis psillij.

Curatio extraordinaria.

CAput per totam morbi historiam contra vaporum calidiorum impressionem accuratè muniendum est repellentibus remediis & reuellentibus. Illius generis ad frontem & nares vsus est quale oxirodinũ est ex olei rosacei vnciis duabus vel tribus, aceti rosacei ℥ ß, albumine oui vnius laboriosè inter se commixtis; Quibus vnguenti populeonis ʒ iij, caphuræ ʒ ß si addantur multo efficacius euadat. applicetur autem frigidè & sæpe fronti & temporibus, aut syncipiti etiam rasis capillis de sublimi affundatur & pauco cotone supertegatur.

Simile est frontale ex puluere crassiori florum rosarum & nenupharis, seminum lactucæ papaueris albi, hyoscyami albi, santali albi & rubri, addito pauco semine rutæ tela canabina excepto & aqua rosacea leuiter irrigato sæpiúsque mutato.

Odo-

Odoramenta naribus admouenda constant puluere eodem nodulo excepto & in rosaceam infuso mixtáq; opij portione, si somnus quæratur, aliàs sola rosacea pauca caphura addita ex cotone ad nares admota satis sit. Olea frigida vt papaueris nenupharis rosarum in aures commode instillentur. Reuellentia sunt frictiones deligationes & cucurbitulæ tum cruribus & femoribus adhibitæ, tum brachiis etiam & scapulis vt liberando cerebro magis prosint quo sunt propiores. Neque denique minor est sumendorum vsus siue potionum narcoticarum (si ferina dementia est aut peruigilium) alias refrigerantium tantum & astringentium ex syrupo de granatis acidis de nenuphare de limonibus cum aquis rosarum acetosæ nenupharis &c. addito pauco puluere electarij diamargariti frigidi.

De morbis vteri in situ mutato.

PErcuratis organicorum vteri morborum speciebus duabus magnitudinis & repletionis, iamiam tertia eiusdem morborum generis species quæ ex situ mutato est curetur. Est autem naturalis vteri situs viscerum omnium abiectissimus in hypogastrio imóque ventre (hinc ὑςέρα dicta matrix est) in antro coxarum inter vesicam & rectum intestinum medius, osse sacro pubis & ischij obuallatus. Inde toti corpori omníque ex parte connectitur suprà quidem cordi & hepati per venarum & arteriarum propagines, apophysi peritonæi munitas quo validius grauem vterum sustineant sine ruptionis periculo, spinali medullæ & cerebro per neruos sensitiuos motiuósque. Infra, intestino & vesicæ, ídq; multo magis secundum collum quã

totum eiusdem corpus, per fibras complures à peritonęo ductas, ossi pubis ilium & sacro per tunicã quoque à peritonęo illic multo spissiorem densiorémque,& per vincula duplicia laxa quidem sed valida admodum; ex quibus duo ab osse pubis enata de quibus pendere vterus videtur, alia duo maximè conspicua ipsíque vtero propria, à cuius processibus orta super os pubis ad inguina & coxas deferuntur.

Vterus quandiu sanus & incolumis est suisque ligamentis & appendicibus membraneis obfirmatus, in loco descripto & naturali constanter persistit, tametsi naturali motu extendi aliquando contrahíque, cum sit membraneus, persæpe videatur, ídque boni cuiusdam auiditate aut mali odio (instar ventriculi cordísque.) At idem vterus ex vinculorum suorum & appendicum iniuria loco suo mouetur vel ascendens sursum ad ventriculum hepar lienem diaphragma, vel descendens deorsum ad vesicam intestinum propriámque ceruicem suam aut extra eandem, vel denique declinat ad coxas & latera ad regionem anticam vesicæ & posticam intestini recti. Hinc ex mutati situs differentiis tribus, totidem morborum vteri species emerserunt, ascẽsus, descensus, vel prolapsio etiam aut præcipitatio, atque peruersio siue declinatio, auersio, obliquitas.

De ascensu vteri.

AScensus igitur vteri aliquando à naturali motu eius est gratum odorem aliquem naribus vel ore perceptum consectantis, aut ingratum pudẽdo appositum vel aduersum denique molestúmque humoris alicuius quem sinu suo complexus sit,

fugi-

fugitantis. Aliàs ex conuulſiuo motu ſuperiorum ligamentorum & appendicum eius præ repletione à ſuppreſſo menſtruo ex vaſis propinquis per diapedeſin exudante, aut præ craſſi lentique humoris infarctu. Illa autem, ligamenta ſunt vteri propria à proceſſibus eiuſdem orta & ſuper os pubis ad inguina excurrentia, & pręterea apophyſes peritonæi venarum hyſtericarum fines roboris cauſa muniẽtes & obſepientes, ab vtriſque enim repletis coarctatis atque adeo verſus originem ſuam conuulſis reuulſus violentiùs vterus, loco ſuo naturali cedere cogitur. Cæterum earundem particularum conuulſionem ab inanitione repellit tum ipſa vteri conſtitutio ex membrana valde carnea & multiplicibus ſanguinis canalibus & euripis perfuſa; ſitúſque viſceribus naturalibus finitimus humorum affluentia ſemper reſtagnantibus, tum ipſa therapia per digerentia & attrahentia topica. Quod ſi per immodicam menſium aut lochiorum eruptionem aſcẽdere vterus aliquando videatur, motus ille certè aut ab aëre in hiatem per fluxum matricem ſubeunte; aut à concepto intus præ refrigeratione flatu, aut certè à grumis putrefactis excitato, incitatur.

De ſignis diagnoſticis.

ASceuſus ſigna diagnoſtica ſunt communia, quæcumque ex oppreſſione ſtomachi & diaphragmatis obtingunt ſymptomata, vt dolor ſtomachi, nauſea, vomitio, ructus, lipothymia ſtomachica, dyſpnœa, inquietudo.

Diſtinctiua ſigna à ſuffocatione vera vteri ſunt, quòd grauiora abſint cordis & cerebri ſymptomata, ob venenati vaporis penuriam, ſyncope, apnœa, aſphyxia, aphonia, conuulſio, deli-

ratio, veternus, torpor, ſtuporque & mentis inertia.

Cauſarũ quoque ſigna diſtinctiua ſunt, quòd aſcenſum naturalẽ leuiora & breuiora ex oppreſſione tantum ſequuntur ſymptomata, ſuaque ſponte diſſipantur, ſublatis odoribus: ſed conuulſiuum motum comitatur grauiſſimus dolor regionis in abdomine, ad quam particulę conuelluntur: alias æqualiter, alias inæqualiter.

Curatio.

ASceнſus curandi duplex indicatio eſt: vna conuulſarum particularum relaxatio: altera vteri in ſuam ſedem reuocatio & cõfirmatio. Prior illa conſtat vacuatione replentis & coarctantis materiæ, ſiue ſanguinis, ſiue mucoſæ pituitę. Vacuatur ſanguis tum ſectione primùm maiorum venarum cubiti dextri, ſi plethora toti corpori ſit grauis: tum ſubinde minorum ramorũ ſaphenæ in pedibus: atq; ſic inanito ſanguine immodico vaſa & ligamẽta relaxantur. Poſtremo topica emollientia leuiterq; digerentia, admouenda & immittenda ſunt, ad diſcutiẽdas reliquias; vt ſunt fotus, inſeſſiones, vnctiones iniectiones & clyſteres. Vacuatio quoque cacochymiæ pituitoſæ abſoluenda eſt purgatione phlegmagoga, pituitæ probè anteà coctæ; & per tanto plures dies iulepis & apozematis calidis ſiccisſque attenuãtibus & detergentibus præparatæ; quanto copioſior & contumacior illa fuerit. Huic quoque vacuationi topica prædicta ex acri attenuante & tergente materia adhibeantur.

Quod attinet ad alterã indicationem reſtituẽdi in naturalẽ locum vteri: Ea quidẽ explebitur reuulſionum differentiis omnibus ad inferiorẽ corporis regionẽ: vt frictionibus, deligationibus, crurũ femorumque

rúmque, cucurbitulis primũ ad inguina, deinde ad hypogaſtrium cum magna flamma affixis. Item per gratos odores & ſuffitus pudendo foris ſubditos vel intus in ceruicem inditos. Contra per ingratos ore & naribus inſpirandos: vel in ſtomachum admittendos, vt per pilulas ex caſtoreo aſſa fœtida & rutæ ſemine cum pauca aqua vitæ concinnatas (& hoc præſtantiſſimum eſt) ſed ante repoſitionem vteri, veſica & inteſtinum ſuis excrementis liberanda ſunt, vt recurſuro vtero locus liber ſit: neque ab illis plenis retrudatur. Sed de tota hac therapia lege caput de Suffocatione vteri.

Continetur denique in ſuo loco vterus primùm decenti corporis decubitu decliuíque capite & thorace ſurrecto, coxis depreſſis, femoribus diductis & cruribus valde extenſis, vt extenſis abdominis muſculis vterus comprimatur loco ſuo alias ſpatioſo, patulóque, vẽtre interim à diaphragmate ad vmbilicum arctius vincto. Admoueatur deinde hypogaſtrio emplaſtrum de galbano, in cuius extremo verſus pubem, vel in medio ſuper vmbilicum, moſchi vel ciuetæ gr. ij aut iij affixa ſint. Frictiones extremorum inferiorum adhibeantur, ſicuti grata pudendo, ingrata odoramenta ori & naribus admoueantur. Et quilibet vehementior corporis motus vterum concutiens prohibeatur vt ſternutatio, vomitio, tuſſis, curſus, ſaltus, clamor, choreæ, durities ventris, prolixitas ſomni, cibíque frigidi & humidi fugiantur, calidi ſiccíque apponantur & vinum bibatur rubrum aqua ferrata vel ciſternæ dilutum.

De deſcenſu Vteri.

DEſcenſus vteri duæ ſunt primariæ differentiæ

ſeu ſpecies; Vna eſt leuior : cum collum eiuſdem in ceruicem pudendi propius longiúſve elabitur. Altera grauior: cum non ſolum vteri collum, ſed corporis etiam vterini pars aut totum corpus extra ceruicem & pudendum foras procidit & prominet. Ille Deſcēſus ſimpliciter. Hic Prolapſio, Procidentia & Præcipitatio, vocetur. Porro vteri collum hoc loco appelletur infima pars eius ore anguſtiſſimo & rictui canis puſilli perſimili: quod partibus vicinis. oſſi ſacro, coxarum & pubis veſicæ & inteſtino pluribus peritonęi fibris & ligamentis, quam reliquum vteri corpus annectitur. Quibus laxatis magis minúſve, ipſum quoque in ſupremam mediam aut infimā ceruicis partem excidere contingit, vnde rubēs cum ſuo foramine oculis obſeruari obſtetricis & digito tractari poſſit. Hinc procidentia vteri in tres differētias ſecari ſolet: Vna eſt quādo non totum corpus vteri; ſed pars eius quædam, vt tertia vel media quartáve cum foramine proprio caninóque foris extat, oui anſerini ferè magnitudine: Altera dum totum corpus vteri foris eſt conſpicuum & tractabile inſtar oui ſtruthiocamæli, cum eodem foramine ſuo ad femora ſuprema media & infima genuáque ipſa: Tertia quando totum vteri corpus ſine foramine; at à fundo ſuo ita euerſum apparet, vt virilem penem præ ſe ferat, eiuſque interna facies externa fiat.

Deſcenſus leuioris cauſa proxima eſt laxitas vinculorum & appendicum inferiorum infimæ partis vteri (collum eiuſdem vocant) Antecedentes, paralyſis & extenſio. Ex quibus illa, aliàs à cauſa interna oritur vt ab aquoſæ & ſeroſæ pituitæ perfuſione. Quanquam ab externis quoque interna illa ſuccreſcit:

ſcit:nec ſolum à natura & ætate frigida humidáque: ſed ab aere quoque ſimili, moráque in illo diuturnâ, & reliquo victu, otioſo, ſomnolento, intemperanti, crebríſque addicto balneis, vnde affectio hæc, non ſolum ſeniores, ſed iuniores etiam licentioſè educatas inuadit. Alias à cauſa externa oritur paralyſis, vt à vehementi perfrigeratione, ſiue idiophatica, dum aer gelidus hiantem vterum per menſium vel lochiorum fluxum ſubit: Vel ſympathica, ſcilicet ob ſympathiam generis vt ex ſeſſione diuturna ſuper marmor aliúmve lapidem nimis rigentem, & ex longiori mora nudorũ pedũ in aqua gelida, magnáque animi conſternatione, mœrore, aut timore: calore ſcilicet ad cor compulſo & coacto nerueáſque partes deſtituente. Extenſio autem fit à quolibet motu corporis aut muſculos abdominis validius intendentis & comprimentis, vt curſu, ſaltu, choræis, vociferationibus, tuſſi, ſternutatione, vomitione, teneſino, extenſione totius corporis & brachiorum: geſtatione grandioris fœtus, vel gemini, arduóque partu & in eo longiori ſpiritus retentione, & coitu à partu recenti nimis effræno, aut poſt partum grauioris oneris geſtatio ſublatióque.

Procidentiæ cauſæ ſunt extenſio quidem maxima vel ſæpius ruptio vinculorum & appendicum vteri, à motibus violentiſſimis, vt à præcipiti caſu fœminarum ſuper coxas, ab ictu graui & contuſione hypogaſtrij, à laborioſo nimis & difficili partu, vtero ſimul cum fœtu excuſſo, à temeraria ſecundarum cotyledonibus nimium adhærentium, aut fœtus etiam mortui detractione facta à chirurgis, vel obſtetricibus imperitis.

De Signis.

EX signis diagnosticis, alia sunt vtrique descensus speciei communia, alia leuioris propria, vt etiam grauioris. Illa sunt dolor calórve partium illarum quibus annexus vterus est (siquidem ab extensione vel ruptione non à paralysi fiat) vt lumborum, ilium, coxarum, pectinis, pudendi, ani: indéque alui excrementorum vrinæque suppressio ob vesicæ & intestini oppressionem, ab incubante vteri corpore. Propria descensus leuioris sunt tumor oui anserini instar, aut minor intra ceruicem instar glandis virilis cum rictu canino, vnde congressus virilis tædium: hinc quoque fit vt ægrâ stante, grauitas ad pubem, eâdem sedente vel recumbente supina ad intestinum, eâdem denique prona, ad vesicam sentiatur. Grauioris descensus siue procidentiæ signa sunt propria, tumor extra pudendum cum rictu canino conspicuus (in duabus primis differentiis) moléque maiori vel minori vt oui struthiochamæli, pro relaxationis & ruptionis discrimine, colore rubro instar carnis: & sine foramine, in tertia differentia ab euersione fundi. Hæmorrhagia in omnibus copiosa, dolórque varius partium connexarum, cum à ruptione aut violenta extensione est.

Prognostica.

MVlieres aggreditur aut natura, aut ætate, aut ratione victus humidiores, vt ærumnis etiā morbóve languidas, & extenuatas: cùm sit eiusdem debilitatis & humiditatis cum reliquo corpore vterus particeps. Procidentia recens facilius dirigitur quam vetusta, aut tumida, aut callosa. In procidentia

tia ex relaxatione in iunioribus & ætate florentibus, vterus facile reponitur ſuóque loco continetur. At in effœtis & ſenioribus obfirmari non poteſt aquoſo ſcilicet redundante excremento, præ caloris labaſcentis infirmitate vterique vincula & appendices emolliente. At à ruptione in quauis ætate & naturâ incurabilis eſt, tantúmque ſuo loco cohiberi poteſt immiſſo penitus in ſinum peſſario ouiformi.

Curatio.

DEſcenſus leuior vteri curatur gemino ſcopo, ſcilicet repoſitionis & conſeruationis. Prioris illius duæ ſunt indicationes, repulſio à parte inferiore ventris, id eſt à pudendo & ceruice eius, & retractio ad ſuperiorem, hoc eſt hypogaſtrium.

Primùm ergo repoſitio tentanda eſt corpore ægrotantis reſupinato & accliui, id eſt capite & humeris depreſſioribus, clunibus altioribus, femoribus diductis & cruribus ad nates reductis, inteſtino etiam & veſica, à ſuis excrementis vacuis, vt collum vteri per ampliatam ceruicem pondere proprio & impulſu digitorum obſtetricis vel chirurgi, atque peſſariis immiſſis, in locum ſuum facilius reducatur. Eodem tempore eadem repoſitio acceleranda eſt validiſſimo cucurbitæ maioris & cum multa flamma hypogaſtrio affigendæ tractu. Vtraque inſuper iuuari poteſt; retractio quidem gratorum odorum ad nares: repulſio verò fœtidorum ad vuluam appoſitione.

Repoſitioni, confirmatio protinus ſubiungenda eſt, per aſtringentia intus foriſque vſurpanda, vt laxiores appendices & vincula coarctentur: vel ſola,

si laxitas ab extensione fluxit, vel adiectis calfacientibus, si quidem laxitatis à paralysi origo est, id est frigore aut destillatione serosa. Atque in hac quoque specie à destillatione repositioni præponenda est purgatio phlegmagoga & deiectoria & vomitoria: sicuti phlebotomia plethoræ adhibenda. Astringentium tantùm, sunt exempli gratiâ electaria, vel mollia vel dura. Illorum materia est ex conseruis rad. symphyti, acori vulgaris rosarum, caruis cytoniorum nucum iuglandium an. ad ℥ j quibus addatur pulueris mastichis rasuræ eboris cornu ceruini, boli armenæ & terræ sigillat. gummi arabic. an ʒ ß. cum syr. myrtino vel de granat. acidis. His addi potest conserua cort. citri, zinziberis & enulæ cam. p. roris marini florum saluiæ & stœchados vt euadat opiata astringens simul & calfaciens. Electaria dura ex eodem puluere addita nuce mosch. maci cinnamomo excepto sacchsaro aqua melissæ dissoluto comparentur. Dosis sit matutina vtriusque generis vel speciei electariorum ad ʒ iij cum cochlearibus duobus vini austeri superbibendis. Hæc vero sunt topica admouenda vt fotus litúsque vnguenta & emplastra hypogastrio, & immittenda, vt iniectiones per pudendum & clysteres in intestinum. Constent autem decocto astringente & exsiccante, vt laxata vincula in naturalem contrahantur figuram & magnitudinem. Exemplo est hoc quod

℞. rad. symphyti maior. & acori vulgar. an. ℔ ß foliorum symphyti caudæ equinæ tapsi barbati, sanguinalis, bursæ pastoris, summitatum lentisci oleastri sumach rusci an. m. j. cort. malorum granatorum nucum cupressi balaustiorum gallarum viridium,

dium,rosarum rubearum an. p.j. coquantur in aqua ferrata & vino tortiuo post finitam coctionem addito.Huic decocto misceantur calida vt folia saluię absinth.verbenę primulæ veris,polij montani summitates lauri,hederæ lauendulæ & roris marini,flores stœchados vtriusq; si adsit paralyseos suspicio, mox à fotu vnguentum comitissæ vel emplastrum contra rupturam aut simile hypogastrio imponatur. Aut in suspicione paralyseos emplastrum de mastiche,vel pro matrice. Sicuti eidem balnea naturalia vt sulphurea & bituminosa valde prosint. Pessaria denique in totam ceruicem pudendi inserantur ex lana prædictorum puluere farcta & linteolo obducta,cuius longitudo xij extremorũ digitorum & crassitudo pudendi atque ceruicis magnitudini respondeat. Atque hæc quidem de remediorum genere forma & vsu. Ea autem in xv. vel xx. dies sunt producenda, eodem semper mulieris decubitu in latus alterutrum, vt & femorum altero alteri incumbente & cruribus extensis: vt compressa ceruice & pudendo non relabatur collum matricis.

De procidentia Vteri.

DEscensus grauioris, id est procidentiæ siue præcipitationis vteri: iidem sunt scopi, scilicet vt reponatur vterus,& suo loco contineatur. Illius remedia sunt complura ad apparatum corporis pertinentia, vt phlebotomia ratione plethoræ, & purgatio cochymiæ siue pituitosæ materiæ, & vomitio:tum corporis decubitus ante expositus, vt pudendum eiúsque ceruix restituendo vtero quam amplissimè pateat, intestini & vesicæ inanitio, ne

intrusus inter vtramque partem vterus tumore & compressione foras retrudatur. Tum vteri pudendíque lenitio & lubricatio per malactica vt oleum amygdal. dulcium, lirinum, cheyrinum, iasmininũ butyrum vel decoctum quatuor emollientium, seminis lini florum chamæmeli & meliloti. Tandem emollitus vterus, abstersóque prius madore oleoso, blanda manu chirurgi vel obstetricis impellentis reponetur, aut agitatione coxarum sublatarum, aut mulieris de scala per pedes suspensione.

Confirmatur vterus in sua sede constrictis & cõtractis vinculis eius laxioribus & appendicibus per remedia interna externáque modo exposita: Ex quibus pessaria etiam fiant ex lana linteolo inuoluta & acaciæ hypocystidos aut aluminis dissolutorum liquore, insuccata: quorum extremitati fœtor aliquis addatur: sicuti naribus odorata continẽter admoueantur.

Similis est lanæ hapsus ex vino tortiuo calente pudendo appositus, fotúsque pectinis ex posca per spongiam, deligatio brachiorum arctissima: appositio maiorum cucurbitar. & cum multa flamma sub mammis in ilibus lumbis, suffitus fœtidus per cannam aut tubulum (vitatis naribus) clàm submissus. Conuenit denique supino decubitu mulieris laborãtis, cruribus productis sibíque inuicem innitentibus.

Quod si repositus vterus sæpius relabatur, aut pre humiditate redundante, aut ruptione vinculorum, tum cohibendus est in suo loco, pessariis in eius sinum conditis ex subere, aut buxo bene politis: aut argento, auróve, intus cauis, ceráque alba obductis. Itẽ perisomate Hippocratico cũ subligaculo.

Hæc

Hæc quidem recentis procidentiæ ex relaxatione curatio in quadraginta dies proroganda est: mutatis vnoquoque triduo eiusdem generis remediis. Interim vero mulier alatur cibis euchymis calidísque:& quiete vtatur animi & corporis, rarísque & facilibus ventris subductionibus per clysteres vel per bolum ex cassia, si natura isti muneri desit: ne laxatis vicinis partibus vterus relabatur. Possit tamē interim luxurians vteri humiditas, lotione lixiuij in quo nitrum aut fæx vini vsta, dissoluta sit, asperso subinde plumbi puluere absorberi.

Vetusta autem tumidáque procidentia è refrigeratione aerísque externi commercio, reponendà est, discusso prius frigore flatibúsque dissipatis per topica calida siccáque & digerentia; vt litum ex oleo laurino nardino costino muscatellino, de spica post fotum ex lanâ decocto simili imbuta, vt foliorum origani, calamēthi, pulegij, artemisiæ, matricariæ, sabinæ, florum chamæmeli in tribus partibus aquæ & vna vini. Postremo gangrænosus vterus præcidatur, sine quo mulier incolumis diutius viuat.

De peruersione Vteri.

PEruersio siue Auersio, Declinatio, Inclinatio & Obliquitas, tertius est moti è sua sede vteri organicus morbus, isque multiplex, dextrorsum, sinistrorsum & ad latera, vt ad ilia & ad inguina, antrorsum & retrorsum, vt ad vesicam & intestinum idque inæqualiter. Tametsi ad vtranque partem æqualiter aliquando fiat.

Peruersionis vteri autores sunt duo morbi vinculorum & appendicum ipsius, antea propositi, con-

uulſio ſcilicet & paralyſis.Illa à repletione eſt è ſanguine, vel menſtruo in vaſis & cotyledonibus obſtructis ſuppreſſo: vel inuitato & deducto vi aliqua externa iiſdem vinculis illata,vt per præcipitem caſum in coxas : grauem hypogaſtrij contuſionem ictúmque & violentam extenſionem , vt per arduum partum, grauiditatem moleſtam , & maioris alicuius oneris ſublationem geſtationémque. Hæc à fluxione aquoſæ pituitæ, aut immoderata perfrigeratione prouenit.

Signa diagnoſtica.

EX ſignis diagnoſticis: alia reſpiciunt cauſas paralyſeos & conuulſionis:alia ſunt ſpecierũ peruerſionis propria. Illa ſunt quod in conuulſione ad eam vterus regionem accedit ex qua orta ſunt,quæ tenduntur vincula & appendices: ídque cum dolore & tumore ſi ad alteram tantum: vel ſine tumore ſi ad vtramque partem æqualiter trahatur.In paralyſi autem vterus ad ſanam partem contorquetur ſine dolore ſed cum tumore, otiantibus ſcilicet antagoniſtis vtpote reſolutis, & trahentibus ad ſe vterum ſanis vinculis.

Propria ſunt peruerſionis conuulſiuæ ſigna,illius quidem quæ fit ad ile , dolor tumórque partis eius. Eadem ſunt eius quæ fit ad inguen , ſed dolor aliquando ferox vt mentem quoque commoueat : tumórque tantus, vt indiſcuſſus ſuppuret atque rumpatur,ſubſequente vlcere diuturno & fiſtuloſo apud Hippocratem 48.aphor.ſect. 5. Concurrit denique vicini femoris ſtupor torpórque, refrigeratio & ambulandi ſtandíque impotentia. Æqualem verò vtriuſque inguinis conuulſionem, vtriuſque cruris torpor,

torpor, difficilis motus, aut nullus cum acerbiſſimo dolore conſequitur.

Peruerſionem ad pubem comitatur hypogaſtrij diſtenſio dolórque & aliquando vrinæ ſuppreſſio: ſicuti quæ ad inteſtinum eſt, impatibilis dolor oſſis ſacri, aluique tarditas.

Signa prognoſtica.

Signa prognoſtica ſunt, quod ex qualibet peruerſione ſterilitas contrahitur, quod menſium effluxum per ſinum vteri, & ſeminis virilis in eundem influxum ſiue admiſſionem prohibeat os vterinum ſimul cum reliquo vteri corpore auerſum, quod pleræque prægnantes dolore coxæ afficiantur, affectis vt dictum eſt ligamentis, quo dolore poſt editum etiam fœtum permanente, claudicatio oritur puerperæ ex Gal. 6. de locis affect. Quod peruerſionem vteri ad coxam ſuppuratio aliquãdo excipiat, vlcúſque diuturnum & fiſtuloſum, quódque longioribus penicillis egeat; Quod denique in peruerſione vteri ad pubem & ad inteſtinum obſtetrix os vteri obſeruare digito poteſt, non tamen in aſcenſu ob digiti breuitatem cum ſit ceruix pudendi xij. fere digitos longa.

Curatio.

Communis omnium peruerſionis ſpecierum curatio duabus conſtat principibus indicationibus. Vna ſpectat morbos antecedentes, cõuulſionem ſcilicet & paralyſin. Altera peruerſionum propria eſt. Illa igitur duplex eſt, relaxatio conuulſionis & conſtrictio paralyſeos vinculorum & appendicum. Soluitur autem conuulſio vacuatione materię

replentis vincula & appendices, id est sanguinis siue ex suppressione mensium congesti:siue prę dolore à causa externa illecti: idque per phlebotomiam primùm quidem reuulsoriam ex cubito dextro, móxque deriuatoriam ex pede, atque vtranque κατ' ἴξιν, quam conuulsa regio indicarit: sic enim instans fluxio ad vterum & vincula eius inhibebitur factáque inanietur & mẽses expeditis viis profluent: sed præmittenda intestinorum vacuatio per clysterem mollem, aut impuri ventriculi per minoratiuum bolum, vel potiunculam.

Paralysis emendatur purgatione valida cacochymiæ pituitosæ accuratè coctæ & præparatæ per iulepos & apozemata calida siccáque & tergentia in sex, séptem, vel viij dies producenda, ne pergat vincula & appendices non intermisso decubitu suo eneruare & relaxare. Phlebotomiæ autem in paralysi nisi plethora fortasse pura impuráve sit, nullus omnino vsus est, nulláque commoditas.

Atque sic reuulsa vacuatáque cõuulsionis & paralyseos antecedente causa, tum demum coniuncta vtriusque sensim & sine sensu dissipanda est topicis laxantibus & modicè digerentibus in conuulsione. At in paralysi multò vehementioribus magísque resoluentibus & astringentibus. Mitiora erunt exempli gratiâ: partis conuulsæ, fotus ex hapso seu flocco lanæ œnelæo imbutæ, aut ex vesicis porcinis eadem mixtura plenis. Litus & embrochatio ex oleo irino cheirino lirino chamæmelino cum lana succida superimposita. Iniectiones iisdem constent oleis sicuti clysteres & ex decocto communi. Vehementiora erunt balnea, fotus, insessus, iniectiones & clysteres ex decocto acri calidarum plantarum vt

radicis

radicis ariſtolochiæ rotundæ, helenij, gentianæ, foliorum origani, calaminthæ, pulegij, artemiſiæ, nepethæ, tanaceti, ſabinæ, florum chamæmeli, centaurij minoris.

Litus & embrochatio ex oleo coſtino laurino muſcatellino rutaceo nardino de ſpica, de terebinthina, petroleo, & oleo de lateribus.

Tandem verò dropaces ſinapiſmi phœnigmi & balnea naturalia, nitroſa, ſulphuroſa, aluminoſa, à quibus omnibus perfuſionis reliquiæ validiſſimè euocari & reſolui poſſunt. Intus quoque paralyſi inprimis conferent acriores antidoti, vt mithridatium theriaca vetus, & quæ ex ſequenti puluere potiones cõficientur cum vino, vt ſeminum aniſi, cumini dauci ſileris montani enulæ campanæ.

Quod ſi phlegmone aut abſceſſus ex copioſa nimis & nequaquam digeſta ſatis fluxione vincula conuellat: huius quoque curatiua methodus in aliis vteri tumoribus antea expoſita eſt.

Iam vero conuulſione & paralyſi prius curatis, ſcopus alter iſque duplex ſupereſt. Vnus reſtituendi in ſuum locum vteri. Alter eiuſdem in eodem conſeruandi confirmandíque. Reſtituitur peruerſio quæ ad alterutrum inguen vel ile eſt, obſtetricis digito oleo lini vel ſimili perunćto & in orificium internũ ſi fieri poſſit, penitus inſerto, aut ſi breuior digitus eſt, ſummiſſo leuiter cũ eodẽ digito ſpecillo chirurgico: à quo in ſanã aduerſámq; conuulſioni partem impellatur: vel in ægram partem ſi ſit paralyſis. Adiuuatur quoque hæc reſtitutio, ſi foris eminẽs vteri tumor, manu obſtetricis leuiter cõprimatur: ſi denique cucurbitula magna, cum multa flãma ſanæ parti in conulſione nimirũ, aut ægræ, in

De Signis.

EX signis diagnosticis, alia sunt vtrique descensus speciei communia, alia leuioris propria, vt etiam grauioris. Illa sunt dolor calórve partium illarum quibus annexus vterus est (siquidem ab extensione vel ruptione non à paralysi fiat) vt lumborum, ilium, coxarum, pectinis, pudendi, ani: indéque alui excrementorum vrinæque suppressio ob vesicæ & intestini oppressionem, ab incubante vteri corpore. Propria descensus leuioris sunt tumor oui anserini instar, aut minor intra ceruicem instar glandis virilis cum rictu canino, vnde congressus virilis tædium: hinc quoque fit vt ægrâ stante, grauitas ad pubem, eâdem sedente vel recumbente supina ad intestinum, eâdem denique prona, ad vesicam sentiatur. Grauioris descensus siue procidentiæ signa sunt propria, tumor extra pudendum cum rictu canino conspicuus (in duabus primis differentiis) moléque maiori vel minori vt oui struthiochamæli, pro relaxationis & ruptionis discrimine, colore rubro instar carnis: & sine foramine, in tertia differentia ab euersione fundi. Hæmorrhagia in omnibus copiosa, dolórque varius partium connexarum, cum à ruptione aut violenta extensione est.

Prognostica.

MVlieres aggreditur aut natura, aut ætate, aut ratione victus humidiores, vt ærumnis etiã morbóve languidas, & extenuatas: cùm sit eiusdem debilitatis & humiditatis cum reliquo corpore vterus particeps. Procidentia recens facilius dirigitur quam vetusta, aut tumida, aut callosa. In procidentia

tia ex relaxatione in iunioribus & ætate florentibus, vterus facile reponitur suóque loco continetur. At in effœtis & senioribus obfirmari non potest aquoso scilicet redundante excremento, præ caloris labascentis infirmitate vterique vincula & appendices emolliente. At à ruptione in quauis ætate & naturâ incurabilis est, tantúmque suo loco cohiberi potest immisso penitus in sinum pessario ouiformi.

Curatio.

DEscensus leuior vteri curatur gemino scopo, scilicet repositionis & conseruationis. Prioris illius duæ sunt indicationes, repulsio à parte inferiore ventris, id est à pudendo & ceruice eius, & retractio ad superiorem, hoc est hypogastrium.

Primùm ergo repositio tentanda est corpore ægrotantis resupinato & accliui, id est capite & humeris depressioribus, clunibus altioribus, femoribus diductis & cruribus ad nates reductis, intestino etiam & vesica, à suis excrementis vacuis, vt collum vteri per ampliatam ceruicem pondere proprio & impulsu digitorum obstetricis vel chirurgi, atque pessariis immissis, in locum suum facilius reducatur. Eodem tempore eadem repositio acceleranda est validissimo cucurbitæ maioris & cum multa flamma hypogastrio affigendæ tractu. Vtraque insuper iuuari potest; retractio quidem gratorum odorum ad nares: repulsio verò fœtidorum ad vuluam appositione.

Repositioni, confirmatio protinus subiungenda est, per astringentia intus forísque vsurpanda, vt laxiores appendices & vincula coarctentur: vel sola,

si laxitas ab extensione fluxit, vel adiectis calfacientibus, si quidem laxitatis à paralysi origo est, id est frigore aut destillatione serosa. Atque in hac quoque specie à destillatione repositioni præponenda est purgatio phlegmagoga & deiectoria & vomitoria: sicuti phlebotomia plethoræ adhibenda. Astringentium tantùm, sunt exempli gratiâ electaria, vel mollia vel dura. Illorum materia est ex conseruis rad. symphyti, acori vulgaris rosarum, caruis cytoniorum nucum iuglandium an. ad ℥ j quibus addatur pulueris mastichis rasuræ eboris cornu ceruini, boli armenæ & terræ sigillat. gummi arabic. an ʒ ß. cum syr. myrtino vel de granat. acidis. His addi potest conserua cort. citri, zinziberis & enulæ can. p. roris marini florum saluiæ & stœchados vt euadat opiata astringens simul & calfaciens. Electaria dura ex eodem puluere addita nuce mosch. maci cinnamomo excepto sacchraro aqua melissæ dissoluto comparentur. Dosis sit matutina vtriusque generis vel speciei electariorum ad ʒ iij cum cochlearibus duobus vini austeri superbibendis. Hæc vero sunt topica admouenda vt fotus litúsque vnguenta & emplastra hypogastrio, & immittenda, vt iniectiones per pudendum & clysteres in intestinum. Constent autem decocto astringente & exsiccante, vt laxata vincula in naturalem contrahantur figuram & magnitudinem. Exemplo est hoc quod

℞. rad. symphyti maior. & acori vulgar. an. ℔ ß foliorum symphyti caudæ equinæ tapsi barbati, sanguinalis, bursæ pastoris, summitatum lentisci oleastri sumach rusci an. m. j. cort. malorum granatorum nucum cupressi balaustiorum gallarum viridium,

drum,rosarum rubearum an. p.j. coquantur in aqua ferrata & vino tortiuo post finitam coctionem addito. Huic decocto misceantur calida vt folia saluię absinth. verbenę primulæ veris, polij montani summitates lauri, hederæ lauendulæ & roris marini, flores stœchados vtriusq; si adsit paralyseos suspicio, mox à fotu vnguentum comitissæ vel emplastrum contra rupturam aut simile hypogastrio imponatur. Aut in suspicione paralyseos emplastrum de mastiche, vel pro matrice. Sicuti eidem balnea naturalia vt sulphurea & bituminosa valde prosint. Pessaria denique in totam ceruicem pudendi inserantur ex lana prædictorum puluere farcta & linteolo obducta, cuius longitudo xij extremorũ digitorum & crassitudo pudendi atque ceruicis magnitudini respondeat. Atque hæc quidem de remediorum genere forma & vsu. Ea autem in xv. vel xx. dies sunt producenda, eodem semper mulieris decubitu in latus alterutrum, vt & femorum altero alteri incumbente & cruribus extensis: vt compressa ceruice & pudendo non relabatur collum matricis.

De procidentia Vteri.

DEscensus grauioris, id est procidentiæ siue præcipitationis vteri: iidem sunt scopi, scilicet vt reponatur vterus, & suo loco contineatur. Illius remedia sunt complura ad apparatum corporis pertinentia, vt phlebotomia ratione plethoræ, & purgatio cochymiæ siue pituitosæ materiæ, & vomitio: tum corporis decubitus ante expositus, vt pudendum eiúsque ceruix restituendo vtero quam amplissimè pateat, intestini & vesicæ inanitio, ne

intrusus inter vtramque partem vterus tumore & compressione foras retrudatur. Tum vteri pudendíque lenitio & lubricatio per malactica vt oleum amygdal. dulcium, lirinum, cheyrinum, iasmininũ butyrum vel decoctum quatuor emollientium, seminis lini florum chamæmeli & meliloti. Tandem emollitus vterus, abstersóque prius madore oleoso, blanda manu chirurgi vel obstetricis impellentis reponetur, aut agitatione coxarum sublatarum, aut mulieris de scala per pedes suspensione.

Confirmatur vterus in sua sede constrictis & cõtractis vinculis eius laxioribus & appendicibus per remedia interna externáque modo exposita: Ex quibus pessaria etiam fiant ex lana linteolo inuoluta & acaciæ hypocystidos aut aluminis dissolutorum liquore, insuccata: quorum extremitati fœtor aliquis addatur: sicuti naribus odorata continẽter admoueantur.

Similis est lanæ hapsus ex vino tortiuo calente pudendo appositus, fotúsque pectinis ex posca per spongiam, deligatio brachiorum arctissima: appositio maiorum cucurbitar. & cum multa flamma sub mammis in ilibus lumbis, suffitus fœtidus per cannam aut tubulum (vitatis naribus) clàm submissus. Conuenit denique supino decubitu mulieris laborãtis, cruribus productis sibíque inuicem innitentibus.

Quod si repositus vterus sæpius relabatur, aut prę humiditate redundante, aut ruptione vinculorum, tum cohibendus est in suo loco, pessariis in eius sinum conditis ex subere, aut buxo bene politis: aut argento, auróve, intus cauis, ceráque alba obductis. Itẽ perisomate Hippocratico cũ subligaculo.

Hæc

Hæc quidem recentis procidentiæ ex relaxatione curatio in quadraginta dies proroganda est: mutatis vnoquoque triduo eiusdem generis remediis. Interim vero mulier alatur cibis euchymis calidísque:& quiete vtatur animi & corporis, rarísque & facilibus ventris subductionibus per clysteres vel per bolum ex cassia, si natura isti muneri desit: ne laxatis vicinis partibus vterus relabatur. Possit tamē interim luxurians vteri humiditas, lotione lixiuij in quo nitrum aut fæx vini vsta, dissoluta sit, asperso subinde plumbi puluere absorberi.

Vetusta autem tumidáque procidentia è refrigeratione aerísque externi commercio, reponendà est, discusso prius frigore flatibúsque dissipatis per topica calida siccáque & digerentia; vt litum ex oleo laurino nardino costino muscatellino, de spica post fotum ex lanâ decocto simili imbuta, vt foliorum origani, calamēthi, pulegij, artemisiæ, matricariæ, sabinæ, florum chamæmeli in tribus partibus aquæ & vna vini. Postremo gangrænosus vterus præcidatur, sine quo mulier incolumis diutius viuat.

De peruersione Vteri.

PEruersio siue Auersio, Declinatio, Inclinatio & Obliquitas, tertius est moti è sua sede vteri organicus morbus; isque multiplex, dextrorsum, sinistrorsum & ad latera, vt ad ilia & ad inguina, antrorsum & retrorsum, vt ad vesicam & intestinum idque inæqualiter. Tametsi ad vtranque partem æqualiter aliquando fiat.

Peruersionis vteri autores sunt duo morbi vinculorum & appendicum ipsius, antea propositi, con-

uulsio scilicet & paralysis. Illa à repletione est è sanguine, vel menstruo in vasis & cotyledonibus obstructis suppresso: vel inuitato & deducto vi aliqua externa iisdem vinculis illata, vt per præcipitem casum in coxas: grauem hypogastrij contusionem ictúmque & violentam extensionem, vt per arduum partum, grauiditatem molestam, & maioris alicuius oneris sublationem gestationémque. Hæc à fluxione aquosæ pituitæ, aut immoderata perfrigeratione prouenit.

Signa diagnostica.

Ex signis diagnosticis: alia respiciunt causas paralyseos & conuulsionis: alia sunt specierũ peruersionis propria. Illa sunt quod in conuulsione ad eam vterus regionem accedit ex qua orta sunt, quæ tenduntur vincula & appendices: idque cum dolore & tumore si ad alteram tantum: vel sine tumore si ad vtramque partem æqualiter trahatur. In paralysi autem vterus ad sanam partem contorquetur sine dolore sed cum tumore, otiantibus scilicet antagonistis vtpote resolutis, & trahentibus ad se vterum sanis vinculis.

Propria sunt peruersionis conuulsiuæ signa, illius quidem quæ fit ad ile, dolor tumórque partis eius. Eadem sunt eius quæ fit ad inguen, sed dolor aliquando ferox vt mentem quoque commoueat: tumórque tantus, vt indiscussus suppuret atque rumpatur, subsequente vlcere diuturno & fistuloso apud Hippocratem 48. aphor. sect. 5. Concurrit denique vicini femoris stupor torpórque, refrigeratio & ambulandi standíque impotentia. Æqualem verò vtriusque inguinis conuulsionem, vtriusque cruris torpor,

torpor, difficilis motus, aut nullus cum acerbissimo dolore consequitur.

Peruersionem ad pubem comitatur hypogastrij distensio dolórque & aliquando vrinæ suppressio: sicuti quæ ad intestinum est, impatibilis dolor ossis sacri, aluique tarditas.

Signa prognostica.

SIgna prognostica sunt, quod ex qualibet peruersione sterilitas contrahitur, quod mensium effluxum per sinum vteri, & seminis virilis in eundem influxum siue admissionem prohibeat os vterinum simul cum reliquo vteri corpore auersum, quod pleræque prægnantes dolore coxæ afficiantur, affectis vt dictum est ligamentis, quo dolore post editum etiam fœtum permanente, claudicatio oritur puerperæ ex Gal. 6. de locis affect. Quod peruersionem vteri ad coxam suppuratio aliquãdo excipiat, vlcúsque diuturnum & fistulosum, quódque longioribus penicillis egeat; Quod denique in peruersione vteri ad pubem & ad intestinum obstetrix os vteri obseruare digito potest, non tamen in ascensu ob digiti breuitatem cum sit ceruix pudendi xij. fere digitos longa.

Curatio.

COmmunis omnium peruersionis specierum curatio duabus constat principibus indicationibus. Vna spectat morbos antecedentes, cõuulsionem scilicet & paralysin. Altera peruersionum propria est. Illa igitur duplex est, relaxatio conuulsionis & constrictio paralyseos vinculorum & appendicum. Soluitur autem conuulsio vacuatione materię

radicis ariſtolochiæ rotundæ,helenij, gentianæ,foliorum origani,calaminthæ, pulegij,artemiſiæ, nepethæ, tanaceti, ſabinæ, florum chamæmeli, centaurij minoris.

Litus & embrochatio ex oleo coſtino laurino muſcatellino rutaceo nardino de ſpica, de terebinthina,petroleo,& oleo de lateribus.

Tandem verò dropaces ſinapiſmi phœnigmi & balnea naturalia, nitroſa, ſulphuroſa, aluminoſa,à quibus omnibus perfuſionis reliquiæ validiſſimè euocari & reſolui poſſunt. Intus quoque paralyſi inprimis conferent acriores antidoti, vt mithridatium theriaca vetus,& quæ ex ſequenti puluere potiones cõficientur cum vino,vt ſeminum aniſi, cumini dauci ſileris montani enulæ campanæ.

Quod ſi phlegmone aut abſceſſus ex copioſa nimis & nequaquam digeſta ſatis fluxione vincula conuellat: huius quoque curatiua methodus in aliis vteri tumoribus antea expoſita eſt.

Iam vero conuulſione & paralyſi prius curatis, ſcopus alter iſque duplex ſupereſt. Vnus reſtituendi in ſuum locum vteri. Alter eiuſdem in eodem conſeruandi confirmandíque.Reſtituitur peruerſio quæ ad alterutrum inguen vel ile eſt, obſtetricis digito oleo lini vel ſimili peruncto & in orificium internũ ſi fieri poſſit,penitus inſerto, aut ſi breuior digitus eſt, ſummiſſo leuiter cũ eodẽ digito ſpecillo chirurgico: à quo in ſanã aduerſámq; conuulſioni partem impellatur:vel in ægram partem ſi ſit paralyſis. Adiuuatur quoque hæc reſtitutio,ſi foris eminẽs vteri tumor, manu obſtetricis leuiter cõprimatur: ſi denique cucurbitula magna, cum multa flãma ſanæ parti in conulſione nimirũ, aut ægræ, in

paralysi applicetur. Sit autem interim dum reponitur vterus, resupinatum ægrotãtis corpus capite & thorace aceliui, femoribus decussatis & pedibus ad nates reflexis, intestinum quoque & vesica à suis excrementis exonerata sint.

Appendices denique & vincula ipsa conuulsa iniectionibus oleosis clysteribus fotibus & malacticis præditis sæpissimè reiteratis relaxanda: sicut eadem resoluta & laxata nimis topicis calidis siccísque & astringentibus coerceri debent.

Confirmatur loco suo naturali vterus tum perpetuo ægræ decubitu in latus resoluto aduersum: tum cucurbitularum prædictarum frequenti appositione: tum frictionibus & ligaturis puluinísque in eandem aduersam partem cogentibus, tum denique menses prouocantibus: vel pulueribus vt seminum anisi, dauci, carui, sileris montani, nigellæ romanæ, rad. gentianæ, aristol. rotundæ, enulæ campanæ cum hydromelite propinandis: vel trochiscis de myrrha cum vino albo claro & tenui dissoluendis, vel iulepis ex syrupo de quinque radicibus de artemisia cum aquis melissæ hyssopi artemisiæ fœniculi: vel denique ex antidotis calidioribus, vt theriaca & mithridatio veteri: fluxus enim mensium reliquias conuulsiuæ obstructionis demolitur vterúmq; ab inclinatione noua tuetur.

Peruersio colli vterini ad intestinum rectũ conuulsi, post eiusdem intestini & vesicæ excrementorum vacuationem, vinculorum & appendicum vteri relaxationem, per topica oleosa & malactica modo dicta, restituenda erit obstetricis digito altissimè in anum demisso à quo repellatur sursum sicuti à supposito, olido, ingratóque.

Con-

Conſeruabitur in ſuo loco beneficio ſuppoſitorij 4. digitos longi quod ex galbano & cera mixtis conſtet: vel ex lana caſtorei ſucco aceto diſſoluti imbuta & linteolo obducta ſubditáque: tum fotu pudendi per ſpongiam ex vino odorato & ſuffitu grato quo vterus ad locum ſuum alliciatur qualis eſt ziueta ceruici intimæ illita. At in paralyſi topica illa omnia per quamcunque peruerſionis ſpeciem calida ſiccáque & aſtringentia ſunt adminiſtranda.

Peruerſio denique eiuſdem colli vterini ad pubem conuulſi poſt eandem vinculorum & appendicum emollitionem, per topica modo expoſita vel aſtringentia calida ſiccáque in paralyſi, dirigitur digito obſtetricis: vel ſi breuiores ſint, ſpecillo chirurgico quod digitis clam & leuiter in ipſum collum immittatur, à quo deorſum deprimatur, & inſuper à manu hypogaſtrium comprimente. Tum demum ibidem continebitur peſſario & odorato altiſſimè intromiſſo & ligatura hypogaſtrij cum puluino. Hæc quidem eſt ſingularis & propria peruerſionum cuiuſque ſpeciei therapia, remediis topicis, repoſitionis & confirmationis gratiâ, conſtans, & quæ ad multos dies vt xx, aut xxx, aut xxxx, continuari debet, donec probè obfirmatis appendicibus & vinculis quæ affecta fuerāt conuulſione, aut paralyſi aut extenſione violenta, vterus à recidiua declinatione tutus ſit.

De morbis colli vterini.

EX quatuor vteri diuerſis magíſque compoſitis partibus fundo, ore interno, ceruice & pudendo; Primæ illius morbos omnes ſimilares, diſſimila-

res & communes, necnon curationem prosequuti sumus. Iam secundæ partis morbi curandi quoque instant. Illa vero est collum vteri, alias internum vteri orificium meatus scilicet sinui muliebri & ceruici pudendi vtrinque continuus & perbreuis instar pollicis vnius & ore duplici constans: vno versus ceruicem pudendi vergente, quod glandi virili & rictui catuli recens nati persimile est: altero versus vteri sinum & cauitatem directo & perangusto in virginibus, sterilibus & effœtis, in quibus specilli chirurgici aut acus acumen vix admittat, maximè verò in prægnantibus per primos conceptus dies donec membranæ scilicet fœtum sustinentes editæ sint ad arcendum genituræ effluxum, auræque frigidioris influxum; paucis tamen post conceptum diebus libidinis & coitus incēdio reseratur, seménque transmittit virile, vnde superfœtatio, sicuti raro tamen quibusdam mulieribus grauidis menses emittit. Est igitur externi oris vsus, seminis mensisque emissio, interni verò in mulieribus non prægnantibus neque virginibus seminis virilis cum muliebri commixti in capacitatem vteri admissio: mulieres enim non prægnantes, suum duplici via semen excernunt; partim per cornua vteri in eius ipsius cauitatem, partim per vasorum spermaticorum riuulos in medium vteri collum apertos: prægnantes autem & virgines per vnum vteri collum, non etiam per cornua eius vtrumque, menstruum nempe sanguinem & semen exigunt, alioqui enim effuso in vterum moráque corrupto, per totū grauiditatis tempus semine, sæuissima suffocationis symptomata excitarentur. Meatus hic siue collum vteri, siue os eiusdem interius, morbis obsidetur
tum

tum vtero toti communibus, vt qui in situs mutati speciebus versantur (sequitur enim pars totius motum) tum propriis à quibus vsus eiusdem, aut aboletur, aut deprauatur: cuiusmodi sunt dilatatio, constrictio siue clausio, mollities & durities: nam à constrictione & angustia & obturatione, mensium effusio & cuiuslibet rei molestæ, receptióque seminis virilis intercipitur: sicuti à lubricitate & dilatatione retentio seminis, conceptus & embrionis interpellatur.

De Læuitate & mollitie Vteri.

MOllities seu Læuitas siue Lubricitas colli vterini semen virile non cohibet, donec ab vtero intro prolectetur & recōdatur, sed ipsum mox à coitu exceptum diffluere sinit. Hinc conceptus præpeditur.

Origo læuitatis ab humida intemperie est, siue idiopathica, siue per sympathiam totius corporis, vel visceris alicuius frigidioris & humidioris: vt ventriculi, cerebri, hepatis, aut lienis, affluentibus excrementis serosis, siue ea intemperies insita, siue ex improbabili victu ascita sit. Hæc autem intemperies communis & sympathica curabitur diæta calida siccaque & euchyma, vt ex pane biscocto & anisato, carnibus assatis, fructibus siccis, & vini generosi potatione, intermisto etiam epulis sale condimentario (sacerdotali dicto) ex ℥ iiij. salis communis ℥ ij. canellæ exquisitissimæ, seminis anisi, fœniculi, sileris montani, foliorum siccorum hyssopi origani pulegij & piperis an. ℥ ß.

Curabitur eadem intemperies sympathica purgatione pituitæ accuratè coctæ per Iulepos & apozemata calida siccaque attenuantia & tergentia, de quibus sæpe antea: Deinde per hydroticas potiones decocti Guaiacini, aut salsæ parillæ, & diureticas. Tum denique per topica sumenda immittenda & admouenda: quorum omnium plures species capite de Procidentia vteri expositæ fuerunt.

Ex iisdem etiam suffitus humidus, astringentibus & calfacientibus constans concinnetur, vt radicum bistortæ, foliis plantaginis, caudæ equinæ, tapsi barbati, absinthij, saluiæ, pulegij, matricariæ abrotani, nucibus cupressi balaustiis, gallis, calicibus glandium, calamo aromatico, schœnantho baccis lauri & iuniperi coctis scilicet omnibus in aqua ferrata & vino tortiuo, vt decoctionis feruentis vapor per sellam deiectoriam & tubulum oblongum bis aut ter in die in mediam ceruicem demissum admittatur; moxque pessaria decenti magnitudine ex lana linteo molli inuoluta, quæ prius vino decoctionis aluminis & nucis muscatæ imbuta sit: vel aspersa puluere acaciæ hypocistidos, balaustiorum, nucum cupressi, gallarum, radicum bistortæ, caryophyllorum & nucis muscatæ.

Ex prædicta suffitus quoque materia fiat fotus hypogastrij & iniectio per pudendum. Denique applicetur emplastrum de mastiche, vel contra rupturam. Postremo antidoti calidiores horis matutinis adhibeantur vt theriaca mithridatium.

Quod

Quod si intemperies idiopathica sit, post particularis cacochymiæ, si qua adsit, vacuationem, v-terique per clysteres, & iniectiones tergentes, & phlegmagogas ablutionem, similique facultate immissa pessaria, tum demum deleatur præscriptis topicis calidis siccisque tam admouendis quàm immittendis.

De angustia colli vterini.

COarctatio siue angustia colli vterini morbus est organicus in amplitudine diminuta, meatus interni, externus enim fere liber est & patens: sicuti in eadem abolita prorsusque intercepta obstructio obturatioque versatur.

Angustiæ proxima causa est morbus ferè alius antecedens, interdum quidem similaris vt intemperies valde sicca vel frigida. Illa porro aut natiua est, aut aduentitia, atque hæc ex longa effluxione humoris cuiuslibet acrioris vt menstrui biliosi, pituitæ putris & salsæ: vel certè per accidens oritur ex menstruorum priuatione; præ ætatis morbiue prægressi granditate, frigida verò ex diutina super frigidiorem lapidem sessione moraque nimia contrahitur.

Vt ergo siccitas, sic frigiditas contrahit membraneam huius meatus substantiam vtrique alterationi maxime opportunam & densitati, vnde durities comes accedit. Aliàs eiusdem angustiæ colli vterini causa est morbus aliquis communis, vt tumor isque vel scirrhosus

vel phlegmonosus obduratus, meatum eundem foris coarctans & astringens, sicuti nonnunquam cicatrix intus, callúsque foris. Illa quidem ex prægressa vlceratione natâ ab acri & excrementitia fluxione, vel à partu abortuuè nimis arduo & ærumnoso; hic verò ex multiplici nimísque violento cõcubitu, & enormis mentulæ vibratione, frequentique contusione.

Commune causarum omnium symptoma est sterilitas ob seminis virilis parcius tardiusve, & postquam refrigeratum est admissi penuriam.

Est tamen eadem astrictio secundum naturam cum in virginibus & vetulis effœtis: tum in iunioribus, grauidis à conceptu ad partum vsque, nisi in raris quibusdam in quibus leuiter, primis præsertim mensibus dehiscens semen virile suscipit, vnde superfœtatio.

Signa diagnostica.

AStrictio naturalis vt in virginibus, effœtis mulieribus & grauidis, noscitur ex tumore laxo mollíque & indolente. Nonnaturalis ex communi symptomate, duritie, asperitate, & dolore vel magno vel paruo & ex relatu muliercula laborantis.

Signa prognostica.

OMnis astrictio cum duritie siue in grauidis siue non grauidis fœminis contra naturam est, & curationis indigens, de qua Hippocrates aphor.

aphor. 54. libri 5. Quibus os vteri durum est, iis arctetur est necesse: nam in grauidis abortum sæpe prouocat: ob impeditam vteri dilatationem iustúmque fœtus incrementum, qui etiam ex angustioribus locis excedere immaturè cogitur. Sæpe etiam vtrique & fœtui & fœtæ mortem consciscit, ex difficili nimis partu abortuue præ exitus angustia. In non grauidis mensium effluxum seminísque virilis admissionem prohibet.

Naturalis autem est sine duritie, vt in grauidis aliisque, tum iunioribus, tum senioribus menstruo carentibus. Exploranda est vtraque astrictionis species digito obstetricis in ceruicem pudendi altissimè intromisso.

Curatio.

CVratio multiplex causarum varietati opponatur. Quæ sine duritiè est & secundum naturam, naturæ permittatur. Quæ cum duritie est à tumore aliquo scirrhoso aut phlegmonoso: curetur vt antea expositum est de aliis tumoribus vteri, tam in grauidis quam non grauidis fœminis. Quæ à callo & cicatrice est, curetur topicis emollientibus primùm: deinde acrioribus & digerentibus, de quibus antea capite de obliquitate seu peruersione vteri.

De obturatione colli vterini.

OBturatio siue occlusio & integra colli vterini conniuentia, tripertita est, Vna à natura, & secundum naturam est, eaque duplex; tum

in virginibus & efœtis mulieribus; tum in grauidis a conceptu ad partum vsque: Altera à natura etiam est, sed contra naturam tamen, vitiosáque conformatione, quæ etiam in ceruice pudendi frequens est. Tertia verò prouenit, vel ab obstructione tuberculi carnosi, vel cicatrice ex vlcere prægresso, aut à pituitæ muco, vel sanguinis grumo intus obhærente, vel denique ab astrictione omenti pinguioris.

Signa diagnostica.

SIgna diagnostica communia obturationis contra naturam sunt durities & asperitas partis, priuatio mensium, & seminis virilis mox à coitu effusio, dolor imi ventris, lumborum, inguinum, ex perfusione ligamentorum matricis, à redundante menstruo. Aliàs ex palindrome mensium partes superiores condolescunt, vt pulmo vnde hæmoptoe, vel pectus vnde eius ipsius & mammarum ampliatio lacte turgentium; tandem etiam emergunt duri & cancrosi tumores.

Signa prognostica.

NAturalis obturatio & secundum naturam, tam ea quæ virginitatem, quàm quæ senectutem & conceptum comitatur, naturæ committenda est: facilius enim naturali coitus partúsue remedio, quàm medico hæc obturatio liberatur. Quæ à vitiosa conformatione est, vix curabilis fit, nisi à magna vi flatuum distendentium ex medicamentis cibísque flatuosis suscitandorum ex Hipp.

Hipp.consilio. Quæ à grumosi sanguinis vel pituitæ mucosæ obhæsione est obstructio, expedietur illa quidem primùm purgatione vniuersali satis valida: deinde particulari vteri euacuatione per topica tergentia & attenuantia, tum admouenda, tum immittenda, de quibus lege cap. de vteri Peruersione. Quæ ab omenti pinguedine & crassitie opprimente est, de qua Hipp. aphoris. 46. sect. 5. Quæ præter naturam crassæ non concipiunt (ait) his vteri os ab omento comprimitur, nec concipiunt priusquam extenuentur, id est ad mediocritatem habitus reducantur: illa inquam curabitur diæta parca & ærumnosa calidáque & sicca, vacuationibus frequentibus per phlebotomiam, purgationes deiectorias, vomitorias, vrinas & sudores, vt ex decocto Guaiacino. Distinguendæ tamen sunt natura pingues quæ ferè fœcundæ sunt, ab iis quæ victu obesantur. Quæ à cicatrice, callo, verruca, tuberculis meatui interno, vel prætensis, vel appressis obstructio nata est, hæc quidem expedienda est, primùm quidem emollitione ad multos dies continuanda, deinde resolutione per topica acria & attenuantia, vt sunt iniectiones fotúsque ex decocto rad. serpentariæ, enulæ campanæ, brioniæ cucumeris agrestis, foliorum ebuli, mercurialis, artemisiæ sabinæ. Item cataplasmata ex eadem materia tusa cretáque & diligenter subacta cum farina fabarum oleo rutaceo & amygdalarum amararum: denique pessaria ex iisdem radicibus & ciclamine sub cinere coctis, atque cum melle mercuriato, hiera diacolocynthidos, semine cumini & ficubus simul contusis & linteolo inclusis.

De hiatu vteri.

Contra vero hiatus colli vterini ab imbecillitate totius vteri est qui nequit fibras suas membraneas contrahere & meatum illum interiorem constringere: hinc Paralysis & lassitudo vteri ab aliis nuncupatur vt Aetio cap.75. sermonis 4.

Causa est vel intemperies frigida humidaque, vt à stillicidio diutino, & lento sanguinis fluxu, vel etiam à præcipiti longoque mensium diu antea retentorum (rarius enim nec nisi in vehementioribus motibus mensium superpurgationes fiunt) vel denique aliorum humorum quorumlibet effluuio, vt fit in fluore muliebri: Causa etiam esse potest violenta, ab abortu partuve laborioso, aut frequenti nimis.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica omnibus causis communia sunt, apertio colli vterini apposito obstetricis digito manifesta, seminis virilis non attracti neque retenti mox à concubitu effusio: vires omnes corporis sensim labascentes, febris lenta & horrifica putrescentibus quibusdam vteri excrementis, dolor hypogastrij, lumborum, ilium & inguinum, ligamentis vteri omnibus fibrisque defluentis humoris, sero perfusis: mensium redundantiæ proprium signum est fluxus diuturnus inordinatus & indesinens sanguinis liquidi & aquosi, fastidium veneris, & seminis virilis neglecti

glecti diffuſio, aut ad biduum vel triduum ſola retentio.

Curatio.

CVratur viribus infirmis, diæta analeptica inſtaurante parumque aſtringente: deinde purgationibus frequentibus & leuioribus tum vomitoriis, tum deiectoriis, ne ab efficacioribus vires nutantes labefactentur fluxu proritato. Poſtremo pars ipſa roborabitur topicis admouendis, immittendis & aſſumendis, de quibus omnibus partim antea capite de Præcipitatione vteri, partim poſtea in ſingulorum affectuum capitibus propriis agendum erit.

De morbis ceruicis pudendi.

TErtia vteri pars ceruix vel collum pudendi eſt, meatus ſcilicet ſiue canalis tum immittendo ſemini virili, tum emittendo fœtui & menſtruo dicatus: ideoque effi cta pars caua rotunda & oblonga è colli vterini ore externo ad os vſque pudendi externum exporrecta (quæ longitudo ferè eſt duodecim digitorum) vt eſſet virilis mentulæ ſemen in collum vteri euibraturæ, à quo mox ab vtero ipſo raperetur, introque ad conceptum conderetur, capax receptaculum.

Subſtantia eius eſt muſculoſa quidem dura conſtanſque, nempe ex carne, membranis, neruíſque condita vt à ruptionis periculo ex grandiori fœtu & enormi mentula tutior eſſet. Itaque in puellis mollior cum ſit, in annos tamen durior tandemque cartilaginea in vetulis euadit; in quibus Herophylus ſummitati aſperæ arteriæ eam vero

comparauit;atque inde vetularum corruptio, partioque difficilior est quam iuniorum.

Neque tamen ea durities ex sola collisione & attritu est genitalium per venereos congressus,sicuti scortis etiã iunioribus accidit, sed ex naturali quoque temperamenti in siccius mutatione partium præsertim exsanguium membranearum & neruearum suapte natura siccarum.Eadem quoque substãtia conniuente meatu rugosa& aspera est palati canini instar, sed eodem dehiscente læuis & æqualis: tum vt laxari ad emissionem fœtus tum coangustari ad amplexandum penem possit.

Compluribus morbis afficitur pudendi ceruix,tũ similaribus & intemperiebus: tum communibus vt vlceribus,fistulis,rhagadibus,verrucis,condylomatis,hæmorrhoidibus,& tumoribus præter naturam; tum organicis vt læuitate asperitate,laxitate, angustia,obturatione, &c.

De læuitate & lubricitate ceruicis pudendi.

CEruicis pudendi lubricitas intemperiei humidæ sæpe soboles, quæ raro quidem natiua & idiopathica est,sæpius aduentitia, ex sympathia aut totius corporis aut vteri priuatim contracta, cuius affluentibus excrementis madescere & irrigari solet. Hæc vero conceptui officit vel minutâ coitus voluptate, quam inæqualitas ex confricatione genitalium auget; tum seminis virilis præcipiti effluxione, vt quatuor, vel quinque à coitu horis.

Itaque refrænanda ista humiditatis luxuries est pri-

primum quidē in vniuerſo corpore ſi ex eius ſympathia prouenit, inſtitutâ diæta calida ſiccaque, tum vacuationibus idoneis, vt phlebotomia ſi plethora ſubſit; alias purgationibus phlegmagogis, & poſt illas potionibus hidroticis, vt decocti Guaiacin, & balneorum naturalium, ſulphureorum, chalcanthoſorum, bituminoſorum, aluminoſorum. Quod ſi ex vteri ſympathia ortum habeat, eius quidem illuuies primum eluenda eſt per tergentia & phlegmagoga topica, vt clyſteres, iniectiones, peſſaria. Poſtremo intemperies partis humida coercenda eſt topicis calidis ſiccisque, ſed aſtringentibus, de quibus omnibus lege caput de procidentia vteri.

Eadem læuitas à cicatrice relicta fere incurabilis eſt, ab vlcere ægrè curabilis ob excrementorum affluentiam, idque per topica tergentia & ſiccantia primùm, tandémque per epulotica remedia, id eſt cicatricem inducentia. Vlcus autem coitus voluptatem muliebrem turbat, ſemenque exceptum præ dolore ex confricatione præcipitat.

De aſperitate.

Siccitas nimia aſperitáſque à vehementi intemperie ſicca oritur: alias idiopathica, vt à labore, æſtu, inedia, coitu frequēti, ſuffitibus, & ex morbo aliquo calido ſiccoque vt eryſipelate, cancro, vlcere: alias ſympathica ex totius corporis vteriue ſolius conſenſu ab excrementis eius bilioſis acribus & ſalſis inuſta.

Illa autem fœcunditati officit vel ob ſeminis muliebris & ſanguinis penuriam, corpore vteroué

impensius attenuato, vel ob eiusdem eiectionem tardiorem, retuso ob duritiem loci titillationis venereæ sensu, vel certe ob seminis virilis contumacem nimis ad rugas adhæsionem, quâ fit vt ab vtero quamlibet arido, antequam refrigescat, celeriter satis attrahi nequeat.

Curationis scopus vnus est, humectatio, eaquè vel toti corpori, vtero & ceruici communis quãdo fit per sympathiam, vel propria vtero & ceruici pudẽdi. Humectationi alias calfactio, alias refrigeratio, pro causæ efficientis natura, iungatur. Itaque siccitas communis & natiua curetur primùm quidem diæta frigida, humidaque, lactis diutina potatione, balneis refrigerantibus, humectantibus, & vnctionibus. In hac autem intemperiei & habitus squalidi specie vacuationum rarior aut nullus vsus est, nisi fortasse lenientium clysterum & minoratiuarum potionum, vt medullæ cassiæ &c. At quæ aduentitia est & communis ex morbo acuto vel diuturno, ea quidem diæta calida humidaque & topicis omnibus pariter alterantibus persanetur.

Sed quæ ex sympathia vteri est, acria, salsa, putridaue fundentis excrementa, curatur vacuatione peculiari, per clysteres tergentes, iniectiones & pessaria: deinde per propria topica solis malacticis constantia, quibus scilicet idiopathica siccitas solis obliteratur, de quibus antea sæpe in affectibus colli vteri.

De angustia ceruicis pudendi.

CEruicis pudendi angustia quædam naturalis est, nempe symphysis, & coalescentia laterum ceruicis, quæ primo impetu diuulsa & dilacerata sangui-

sanguinem reddit quo tincta coniugibus substernebantur linteamina, quæ seruatæ ad desponsationē vsque virginitatis testimonia erant olim probatissima. Sin minus corruptio mulieris vel frigiditas mariti significabatur. Lege 22. Deut. caput. Aliàs angustia eiusdē partis non est naturalis, neq; ita facile separabilis à pene virili, quem non admittit.

Officit autem hæc angustia conceptui prohibita mentulæ virilis in eam ipsam admissione, & seminis in collum vterinū immissione, aut certe fœtus, si forte conceptus sit, exclusione, certo mulieris exitio post diros cruciatus, & inanes partus labores. Huius angustiæ causa est vitiosa conformatio, quæ fere incurabilis est, nisi forte à diuturna emollitione dilatari aliquantulum possit. Constet autem emollitio topicis malacticis lenientib. & relaxantib. vt insessibus, fotibus, clysteribus, iniectionib. prępinguibus ex decocto radicis althææ, liliorum, ebuli, foliorum 4. emollientium, seminibus lini, fœnugræci, ficuum, floribus chamæmeli, meliloti, litibus embrochationibus ex oleo liliorum, amygdalarum dulcium, lini, iasminini, & vnguento ex iisdem oleis addendo butyrum recens, œsipum adipes insulsos porci, gallinæ, anatis, anseris. Similia sunt resumptiuum & de althæa, pessariis ex iisdem vnguentis lana exceptis & linteolo inuolutis; vel ex emplastris diachylonis aut filij Zachariæ linteolo inuolutis oleoque lini imbutis ne adhærescant.

Atque sic relaxata prius ceruix iucundè mox dilatetur leni blandóque coitu, aut intrusis sensim pessariis ab initio quidem minoribus tandémque maioribus & iusta magnitudine solidáque substantia, vt ex fistula plumbea intus caua, aut ex

radice gentianæ,aut ſimili.

Eadem anguſtia à cicatrice quandocunque emerſit curanda,vt ante expoſitum eſt,primum quidem emollitione,deinde deterſione & reſolutione, poſtremo dilatatione.

De amplitudine vel hiatu colli pudendi.

Contra ceruicis eiuſdem capacitas immodicè aliquando hiat,& ampliatur, eſtque ægritudo hæc ſterilitatis author tum ſublata quæ ex genitalium colliſione per coitum oritur voluptate, tum deturbato foras ante attractionem vteri ſemine virili, quod arcte ſatis ceruix non amplexatur.

Eſt autem ægritudo hæc alias inſita & à vitioſa conformatione, alias adſcititia, idque tum ex ſympathia vteri eiuſque ſtillicidio, & menſium redundantia aut fluore albo: ab iis enim excretionum vteri ſymptomaticarum differentiis madeſcere ceruix pudendi, laxarique effusè ſolet, tum per idiopathiam ex violenta diſtenſione enormis mentulæ vel difficilis arduique partus vel grandioris vel mortui, vel quomodolibet præpoſterè prodeuntis fœtus. Hiatus ille ſi naturalis ſit,tum ſane incorruptam virginitatem teſtari ſanguis primo congreſſu profuſus & ſubſtratis linteaminibus exceptus, non poſſit: tametſi Deuteronomij 22. cap. puellæ deſponſatæ parentes cruentata à primo coitu linteamina in virginitatis indelibatæ fidem aſſeruare, publicéque oſtentare iubebantur contra ſuſpectas maritorum calumnias. Quæ conſuetudo apudHiſpanos inoleuit.ſed ille Deutero-

rono-

ronomij locus non ad violentam, seu auctam partis figuram spectat: sed ad naturalem, cuius symphysis distrahi sine cruore nequeat.

Curatio.

CVratur quæ sympathica est, affectuum vteri præuia amotione ante exposita cap. de hiatu colli vterini, deinde constrictione & compressione partis per topica astringentia calida siccaque, aromatibus & odoramentis condita; his enim suauiter vterus fruitur, cuiusmodi sunt fotus, insessus, litus, vnguenta, iniectiones, pessaria & suffitus liquidi, aridique, de quibus paulo ante copiosè satis cap. de Procidentia vteri.

Horum topicorum solus vsus sit in idiopathica illa amplitudine quæcunque eius origo fuerit, siue à natura, siue à labore, siue à distensione violenta in partu. Iisdem denique remediis puellarum corruptionem & stuprum fucare atque adeo virginitatem ementiri licet, vt pro virgine procacissimum, & obscœnissimum sæpe scortum pluribus scortatoribus vicissim vendatur.

De ceruicis pudendi clausura vel obturatione.

OBsidetur pudēdi ceruix tumoribus præter naturā; phlegmone, erysipelate, schirrho, cācro, gāgręna & abscessu, non infrequentius quidē quàm reliquū vteri corpus, quia eius substantia carnosa, & musculosa est: sed vlcerib. multo infrequētius; obsidetur inquā tū ob sympathiā vicini vteri, totiúsq; corporis quorū defluentib. excremētis sępe acrib. putribus, & saniosis continenter perfunditur; Tum

per idiopathiam, vel ex abscessu aperto, ex difficili partu, ex violento impuroue concubitu. Cæterum quia horum morborum methodum curatiuam antea expediuimus, cùm de vteri morbis ageremus, propterea ad nouam quandam eiusdem ceruicis ægritudinem nostra iam properet enarratio. Ea verò græcis φίμωσις est, latinis præclusio, obturatio, aliis capistratio. φίμος enim propriè significat nexũ summum sacculorum vel perarum oris, cum totus eius ambitus collectus circunducto vinculo obuincitur. Nempe φίμωσις est communis omnium naturalium meatuum quos natura diduci adducique oportet, clausio, vt narium, labiorum, oculorum, ani, præputij, vteri.

Contraria est affectio παραφίμωσις, cùm claudi iidem meatus nequeunt.

De causis.

PHimoseos causæ plures sunt à Paulo proditæ; nã cap.71. lib.3. ostiolum ceruicis obturari docet phlegmone illic indurata & cicatrice ex prægresso vlcere. Eodem authore cap.73. li.6. idem ipsum ceruicis foramen intercipit & intercludit vel commissura sola & coalitus, vel membrana obtensa, vel caro superflua, idque aliàs circa alas, siue labia pudendi, aliàs iuxta ostiolũ, aliàs denique circa mediũ eiusdẽ foraminis spatiũ. Illo vitio laborantes mulieres græcis ἄτρητοι, latinis imperforatæ vocãtur, quibus scilicet partes genitales vel morbo vel natura concretæ sunt.

Signa diagnostica.

PHimosis solo sensu noscitur tum tactu tum visu, non solum ea quæ foris est, sed etiã interna, immissa scil. dioptra: Noscitur & mariti querelis de priua-

priuatione coitus & voluptatis venereæ. Rarior enim puellarum curatio suscipitur, si modò fissura pudendi libera sit, nisi à suppressi menstrui mole in pubem incumbente grauius conflictentur. Causæ distinguuntur tum ex origine, sic membrana est à natura, caro & cicatrix ab vlcere præuio; tum ex colore albicante vel rubro; tum denique ex substãtia duriori vel molliori.

Signa prognostica.

PHimosis omnis fœcunditatem turbat, tum impedita mensium purgatione, vnáque coitu & conceptu, partu denique nimis arduo & funesto. Sæpius enim caro membranáque totum ceruicis aut osculum obstruit; aliquando tamen vtraque angustiore quodam patet foramine vt parum seminis in sinum vteri admitti concipíque, sicuti ex eodem, menstrui aliquid emitti possit, non tamen fœtus quamuis pusillus excludi. Curatio pro loci discrimine variat, tanto enim facilior est carnis & membranæ excisio, quanto manibus oculísque curantis chirurgi magis obuia est.

Curatio.

PHimosis osculi ceruicis à cicatrice vel phlegmone scirrhoso curatur vnico relaxationis scopo, vnáque emollitionis indicatione per insessus fotúsque ex hydrelæo, & fœnugræci decocto, per cataplasmata similia & pessulos ex œsypo resina & terebinthina interpositis interdum vtroque inueterascente vitio, id est cicacrice & phlegmone magis occallescente; attenuantibus & digerentibus acrium aromatum suffitibus. Phimosis labiorum vel

alarum pudendi ex sola commissura & coalitu naturali,curatur diuisione per specillum,aut scalprum tanta,dum naturalem magnitudinem fissuræ vel rimæ pudendi æquauerit: móxque linamentis carptis vulnus farciatur, diligenter obligandis ne rursus coalescant; deinde eadem linimenta per aliquot dies suppurantibus, tandémque epuloticis obducantur. Mulier autem ægra decumbat supina femoribus diductis,& cruribus ad nates reflexis tempore chirurgiæ, à quo eodem decubitu pergat cum puluinari inter femora, donec cicatrix confirmata sit. Membrana in ceruicis ostiolo impacta volsella protrahatur, inflectatur, penitúsque tota circuncidatur,móxque linamentum tortum vulneri inseratur. Eadem membranæ est in sinu ceruicis per dioptram exploratæ & volsella apprehensæ excisio. At caro in sinu ipso ceruicis considens prius quidem dioptra admissa exploranda est, móxque stilo in eam dimisso media dissecanda est, eiúsque labia per volsellam arrepta tota amputanda sunt. Postremo finita chirurgia mulier in pedes erigatur diductis cruribus donec effusa omni corruptela rursus recumbat supina, donec vulnus suppurarit & cicatricem duxerit.

Interim ne coalescant labra crebra dilatatione dehiscant, vel per immissum digitum vel radicem gentianæ crassam & oblongam, vel per canalem plumbeum,stanneum, argenteum cauum, politum densis foraminibus peruium, quibus tota sanies foras decurrat. Hæc vero sæpius abstergenda est iniectionibus ex hydromelite,aut ex decocto foliorum agrimonij &c. Has autem membranas pudendi ceruicem dirimentes plerique asserunt tanquam septum

ptum quoddam naturale membranosum virginitatis claustrum & propugnaculum, quod in vetustioribus virginibus duritiem à marito insuperabilem assequatur, de quo tamen magna iudiciorum varietate inter anatomicos certatur.

Vetus quidem opinio fuit illam pudendi ceruicem medio quasi ductu suo & post vrinę meatum transuersa quadam membrana dirimi, multis tum venulis, tum arteriolis conspersa, quæ primo viri congressu dilaceratæ sanguinem profundant. Itaque cruentatio ea virginitatis ad nuptiarum diem seruatæ certum argumentum apud Hebræos olim habitum est vt ex 22. cap. Deuteronomij apparet: sicuti hodie quoque apud Hispanos quibus de more antiquo & Arabico solemne est, cruentata linteola quæ coeuntibus coniugibus substrata fuerunt postridie nuptiarum publicè ostentare cum eiusmodi acclamatione: Vergen los tenemos. Africani autem postridie nuptiarum tantum conuiuia celebrant nuptialia, seséque maritatos esse putant postquam virginitatis testimonium ex cruentatione linteaminum adfuerit, quo deficiente mulierculas omni probro & dedecore meretricatus onustas ad parentes suos ablegant. Fuit enim semper gens ea Africana valde zelotypa, & virginitatis suarũ puellarum studiosa; ideóque illis Arabes alas vel labia pudendi virgunculis adhuc consuere solebant, intacta vrethra, quas mariti coituri arbitrio suo dissuerent.

Neque solum apud vulgus sed apud doctissimos quoque tum philosophos tum medicos ista hymenis opinio inualuit. Nam Auicennas lib. 3. fen. 21. cap. 10. puellarum violationem valde violẽtam esse

tradit, quibus aut ceruix pudendi angusta, aut genitale virile grandius, aut virginales panniculi (ita vocat hymenes) valde densæ texturæ sunt. Singulares deniq; æuo nostro anatomici Fallopius & Columbus huius opinionis fautores sunt de hymene: ita enim vocatur priuatim membrana in pudendo hymen, vnde hymeneus dictus Deus nuptiarum præses & violandis puellis propitius ne dolore pereant. Sic meninx priuatim in capite, sic tunica circa viscera & musculos membrana vocatur. Contra complures alij & recentiores propriis suis experimentis opinionem istam conuellunt, quod sibi multarum virginum cadauera dissecantibus nullam huiusmodi membranulam in ceruicis sinu inuenire contigerit. Quin potius naturalem quandam esse eius laterum symphysim & coalitũ qui primo coitus impetu diuellatur, ídque promptius ægriúsve pro varia virginis ætate & genitalium conformatione. Vt enim iunioribus ante mensium eruptionem difficilius ob angustiam & prouectioribus ob duritiem & siccitatem, sic maturis facilius minoríque dolore & cruore parciori distrahitur.

Est igitur omnis illa de membrana naturali ceruicem pudendi intersepiente (hymene dicta) assertio negatióque valde dubia, soláque probabili cõiectura constans, nisi Africanis virginibus ob regionis æstum & squalorem, membranulam istam densiorem, crassiorem, magísque concretam quam nostris Europæis ob mollitiem & aëris huliginem obtingere affirmemus. Sic nymphas illis prodeeriores quondam & tentiginem ascripsimus, in nostris nusquam compertas.

Sed tamen in fluctuantium opinionum varietate

statui

ſtatui poſſet verum virginitatis indicium dolor cruórque primo coitu effuſus.

De rhagadibus ceruicis & alarum pudendi.

RHagades ſunt communes affectiones partium carnearum multis fibris nerueis & membraneis contextarum, vt labiorum, digitorum in manibus & pedibus, papillarum in mammis, præputij, ani, ceruicis & alarum pudendi muliebris, Græcis ῥαγάδες Latinis rimæ & fiſſuræ, Plinio fiſſa vocantur, Gallis *creuaſſes & fentes.* Sunt autem rhagades ſolutæ vnitatis ſpecies, nempe vel vulnuſcula, vel vlcuſcula anguſta & oblonga, quibus partes illæ fibroſæ ſecundum longitudinem proſcinduntur.

Cauſæ aliàs internæ ſunt, vt humoris acris, ſalſi, nitroſi & erodentis è vicino vtero affluentia, vel condylomatis inflammatio cutẽ diſtendentis violentius rumpentíſque: aliàs externæ vt ſiccantes impenſius tum frigidæ tum calidæ, vt æſtiuum cælum & borealis flatus. Siccitas enim immodica nerueas fibras humido ſuo exhauſtas affatim contrahit vehementer diuellítque chordarum citharæ inſtar, ſicut & laborioſus nimis partus, ob fœtus caput nimis vaſtum & prægrande.

Signa.

DIagnoſtica ſigna rhagadum ceruicis pudendi ſunt dolor ex qualibet fricatione vt per coitum: noſcuntur etiam viſu tactúve ſolo illæ quæ extimæ & circa oſtiolum ceruicis ſunt affixæ. Altiores etiam per dioptram & tactu indicis. Rhagades conceptum impediunt reiecto mox à coitu

propter dolorem ſemine virili , aut muliebri etiam ſuppreſſo.

Curatio.

RHagades recentes & à cauſa externa impenſius ſiccante calida, frigidáve ortæ curantur duabus indicationibus, vna agglutinationis quæ à ſolutione;altera emollitionis quæ à duritie & ſiccitate indicatur. Tertia tamen iungi poteſt,refrigerationis vel calfactionis deſumptæ à caliditate aut frigiditate ſiccantis cauſæ;vt ſint in vniuerſum medicamenta topica emollientia, agglutinantia, ſimúlque calfacientia vel refrigerantia.

Talis eſt fotus ex decocto ſeminis lini aut ſimilium in aqua & vino cum ſpongiola:tale vnguentũ ex olei ſeminis lini vel amygdalarum dulcium ℥ j vitello oui vnius, lithargyri ʒ ij & pauca cera citrina. Simile quoque eſt & hoc,

℞. mucilagin. ſeminis lini extractæ ex decocto fol. maluæ, butyri recentis & nucum cupreſſi an. ℥ ß cum cera fiat vnguentum. Talis denique litus eſt ex oleo de vitellis ouorum.

Hæc quidem oſculi ceruicis rimarum curatio eſt, intimis autem abditíſque in ſinu altiori ſuccurrunt iniectiones, inſeſſus, & peſſuli eadem emolliendi & agglutinandi facultate præſtantes, quorũ materia in hunc modum vſurpabitur.

℞. rad. althææ & ebuli an. ℔ ß fol. 4. emollientiũ, coniſæ maior. vincæ peruincæ, plantagin. ſymphyti, ſanguinalis ſummitat. oleaſtri an. m. j. ſeminis lini, balauſtior. & nucum cupreſſi an. qrt. j. flor. roſar. & chamæm. an. p. j. fiat omnium decoctio & hoc decocto fiat inſeſſus fotus & iniectio.

Sic

Sic ex vnguentis præscriptis exceptis lana inuoluta linteolis fiant pessuli.

Rhagades recentes à partu non statim in primis diebus curentur, tam in ostiolo quam in sinu ceruicis, ne lochiorum vacuationem remorētur; sed post septem dies, quo tempore ex affluente vteri illuuie iam degenerant in vlcerum sordidorum naturam; quorum remedia non lenientia tantum & agglutinantia, sed tergentia etiam sint, vt si myrrha, aloes, terebinthina, mel rosatum colatum præscriptis vnguentis addantur, & sic folia agrimonij vel betæ, absinthij decocto permisceantur. Huiusmodi topica ex vsu quoque sunt aduersus rhagades ab acri fluxione editas; sed hoc tantum discrimine quod hæ præseruatione & reuulsione egeant per phlebotomiam, purgationem clementem phlegmagogā, aut cholagogam: & per diætam refrigerantem & humectantem; ne perenni fluxione rhagades alantur, augeantur. Huius generis hæc sunt.

℞. mellis rosat. colat. & olei rosat. an. ℥ j lithargyri ℈ iiij myrrhæ vel aloes ℈ ij ceræ albæ parum, fiat vnguentum.

℞. olei amygdalar. dulc. & olei de papauere an. ℥ j vnguenti albi rhasis camphorati ℥ j ß aloes, myrrhæ & thuris an. ʒ j terræ sigillat. ʒ ij cort. thuris & aluminis an. ʒ j ß albumen oui vnius, fiat vnguentum.

Ad inueteratas rhagadas callosásque non admittit Aetius ferrum aut ignem, id est chirurgiam & medicamenta acria, ne inflammationem aut conuulsionem accersant; sed ad callum exterendū tergentia modicè & digerentia adhibet, vt iridem illyricam vel potius papyrum vstam cum terebinthina.

De condylomate.

CONdyloma est affectio rugarum ani, & osculi ceruicis pudẽdi, nempe excrescentia, eminentia, tumor; aliàs sine inflammatione mollis & indolens; aliàs cum inflammatione durus dolénsque. Ita verò dictus ab articuli similitudine quem Græci κόνδυλον vocant, cuius in modum prominet, extuberat & attollitur, maximè quidem fluentibus mensibus vel lochiis. Origo ferè est è rhadagibus prægressis. Causa humor est tum phlegmaticus in neglectis rhagadibus collectus, concrescensque; tum atrabilarius sanguis ab iisdem rhagadibus dolentibus allectus.

Dignoscitur tum tactu chirurgi, visúque circa osculum ceruicis pudendi, in quo durum vel molle, dolens vel indolens, liuidum instar granorum racemi vel mori, vel albicans eminet: tum tactu mulieris & difficili coitu, vnde semen virile præ dolore foras exprimitur; sicque fœcunditas violatur.

Curatio per pharmaciam multo tutior & iucundior, tametsi longior, quam per chirurgiam, id est sectionem, vstionem & ligationem. Partes enim extremæ acerrimum habent sensum neque offenduntur sine periculo grauissimi doloris, conuulsionis, fluxionis, phlegmones, & gangrænæ. Indicio est è pollice pedis subita mors apud Hippocrat. 1. epid. Habet etiam sedes & pudendum è vicino osse sacro ductos neruos prætenues, & rectos, indéque acrius sentientes.

Curatio.

CVratur itaque quod minus durum est ab Aetio, topico mixto partim malactico, partim valide siccante, vt vnguento ex butyro, tuthia vsta & alu-

& alumine vsto, & cera citrina. Paulo durioribus condylomatis opponenda sunt attenuantia magis & digerentia vt ex iride & terebinthina, vel ex papyro vsta cum eadem terebinthina. Durissimis vero cathæretica tandem à quibusdam opponuntur, qualis est puluis mercurij appositus cum vnguento albo; aut puluis constans sabinæ siccatæ & pulueratæ ℥ j hermodactylorum & myrtillorum vstorum an. ʒ iij chalcitidis & aluminis an. ʒ ij.

Cæterum in acriorum topicorum vsu cautiones sunt adhibendæ tum vt acrimonia obtundatur sensúsque partis hebetetur, & dolor admixto opio: tum vt fluxio anteuertatur phlebotomiâ in cubito & in malleolo, purgatione clementi peccantis cacochymiæ, & diæta frigida, atque astringenti; tum denique sublimiores partes vt ad inguina, ilia, & lumbos defensiuis vocatis, ex bolo sanguine draconis, ture, mastiche cum albuminibus ouorum muniantur.

Quod si ampliore sint basi, volsellâ apprehensa amputentur scalpro vel affatim vel sensim pluribúsque diebus sanguine interim fluēte vt pars exoneretur. Huius etiam impetus sistatur asperso puluere boli, gallarum, aluminis, balaustiorū; tandémque vnguento apostolorum tergeatur & ad cicatricem ducatur cum vnguento de plumbo. Si denique longius sit & gracilius condyloma seta equina intercipiatur, tantisper dum subducto omni alimento tabefactum sua sponte decidat.

De thymo.

THymus, tuberculum est carnosum instar verruculæ eminens, tenue prope cutem, latius ad superficiem, in summo perasperum, oblongum

fubrubrum;ita dictum à similitudine thymi cretensis florem purpurascentem in cacumine suo gerentis. Id ipsum fabæ Ægyptiæ fere magnitudine est; aliquando tamen minus, hócque propriè thymus vel thymum,vel thymium vocatur: aliquando maius,hócque ficus vel σύκωσις dicitur vt Martiali,

Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Dicitur etiam marisca eidem Martiali,

Caduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Duæ sunt thymorum vtriusque speciei principes differentię.Alij inflammatione assiduáque caliditate carent; súntque magis carnosi, molliores, indolentes,candidi,aut subrubri.Alij cum inflammatione & phlogosi duriores,maiores, asperiores,rubri, vel liuidi & cum dolore punctorio qui præsertim exacerbari solet cùm manibus aut vestibus tractatur, aut medicamentis irritatur & præcipue à coitu & deambulatione finditur cruentatur, sanguinémque fundit, túncque moro maturo vere respondet. Nascitur vnus vel plures in pedibus, talis, palmis, femoribus mediis, facie & quibuscunque partibus duram attritionem perpessis. Sed molestissimi sunt, qui obscœna inuadunt tum virilia vt colem glandem, præputium; tum muliebria vt alas pudendi aut osculum ceruicis pudendi vel ductum eiusdem.

Causa est quælibet harum partium violenta attritio,& epidermidis erasio ob quam sensim parcéque exudans sanguis, vel pituitosus vel atrabilarius concrescit iuxta superficiem veræ cutis in carneam substantiam mollem durámve,candidam vel rubrã, vel liuidam,dolentem vel indolentem.

De

De signis.

NOscitur vel tactu solo visúve, vel si in ductu & sinu colli latet, per dioptram imimissam. Mites curantur tutò & medicamentis & excisione sine hæmorrhagiæ timore. Maligni autem neutro modo curantur, nam ab acribus & cathęreticis exasperantur & cancrosi fiunt; à chirurgia effrænis hæmórrhagia prorumpit. Quare aut cum tota carne subiecta resecandi sunt (quod in vtero nō licet) aut cura dicta palliatiua tractandi, per refrigerantia simul & validè siccantia remedia, anteuertendis leniendísque cancris consueta.

Curatio.

THymorum mitium recentiúmque curatio cōstabit remediis strenuè siccantibus & astringentibus, vt apud Aëtium puluere cucurbitæ siccatæ vstæque, & solearum vetustarū pariter vstarum, qui aspergatur sæpe thymis prius vino elotis: vt apud eundem pro propria vxore ex fumo stipitis origani sine flamma in thymum directo. Iidem mites duriores & vetustiores volsella apprehensi scalpro resecentur (intacta cute) móxque à resectione puluis anæmos aspergatur ex galla trita, alumine scissili cum pari thuris pondere (vitatis humidis omnibus quibus thymi renascuntur) tandémque ex stomate ferri, rosarum flore luteo, gallis & citrinis siccis. Hic enim puluis mirificè cōtrahit, siccat, & ad cicatricem perducit.

Iidem denique mitiores, in sinu vteri pariter resecari possunt, sanguísque cohiberi imposito cum digito vel spatula puluere præscripto: tum

cere videatur, éstque similis moro maturo non solum magnitudine & colore, sed & asperitate granorum.

De signis.

Signa diagnostica & distinctiua sunt omnia illa quæ modò exposita fuerunt. Prognostica sunt, quòd pensiles raró solitariæ, sæpius plures simul apparent, & subito disparent; desinente alimento ex pituitæ quacunque vacuatione: rarissimè inflămantur & suppurant.

Curatio.

Vtraque hæc verrucarum species curatur fere per chirurgiam, vt ligatione, excisione, vstione & erosione. Pensiles enim ad cutem inciduntur tutò, & sine hæmorrhagia; nullam enim radiculam altiorem infráque veram cutem relinquũt ex qua repullulant. Eædem interceptæ vel pilo equino vel filo canabino retorto ceratóque, vel filo serico, cerato pariter, aquáque alchimistica imbuto, per singulos dies arctius astricto, atrophia tandem contabescunt, suáque sponte decidunt. Sessiles affatim sensimque excinduntur per volsellam apprehensæ, sanguinem interim si copiosior fluat, anæmis medicamentis supprimendo.

Clauus, cornu, callus sunt cutis excrescentiæ sessilibus verrucis haud valdè absimiles. Est enim clauus exiguum tuberculum album, rotundum, radice alta vsque ad periostion ex quo emergit, prædura, solidáque parte summa clauorum capiti simile in digitis plantísque pedum frequẽs, dolénsque & ambulantibus semper molestum.

Callus non ex humore ſed ex cute ſumma eſt per laborem indurata, in manibus pedibúſque ſine vlla radice interna & ſine dolore. Iidem ſi duriores euadant & oblongiores, vnguium aut cornium fragmentis ſimiles, cornua dicuntur: non ea quidem vera, quales ſunt oblongæ quædam eminentiæ animantium corniculis ſimiles, quæ è temporibus mediáque fronte ſępe erumpunt, ſúntque veræ exoſtoſes.

Claui recentiores molliorésque cathæreticis appoſitis abſumantur, capite reſciſo vt puluere ſabinæ ſiccatæ vſtæque, vt ſapone nigro, miſto pauco ſale vſto, vel alumine, tithymali lacte, puluere mercurij, vt denique trochiſcis Fernelij ex calce viua cum melle mixta, & trochiſcis aſphodelorum cap.15.l.6.meth.

Duriores mitiorésque melius adurantur aqua forti, oleo vitrioli, aqua capitelli, aut cauterio etiam actuali per cannam aut tubulum argenteum immiſſo, partibus interim vicinis vnguento de bolo, aut ſimili munitis, arcendæ fluxionis cauſa quam dolor ex vſtione, calórque excitaret. De cathæreticorum iſtorum & cauſticorum materia vide Hollarium cap.5. lib.3. de materia chirurgica, & Galenum lib.5.de facultatibus,

Calli non exciſione ſola ſuperficiaria (non enim vſtionem aut eroſionem poſtulant) ſed emollitione multa etiam digeruntur, vt cochlea cum ſua teſta contrita & admota per paucos dies.

De affectibus pudendi muliebris.

PVdendum muliebre, (alias pudoris ſinus, & vulua) propriè rima eſt in quam deſinit exter-num

num ceruicis orificium, quæque labris cutaneis, pilosis(πτερυγώματα, id est alas Græci vocant) munita, nymphísque ornata est. Est autem nympha epiphysis & substantia quædam ex carnosa & cutacea mixta, in medio rimæ supra alarum pudendi commissuram, vbi meatus est vrinarij finis, quem ambit tegítque, éstque ceruicis pudendi orificio, vt vua pharyngi, tanquam propugnaculum quoddam appositum vt illam à frigore, puluere, aliisque externis iniuriis tueatur. Illa autem in quibusdam mulieribus, rarissime quidem Europæis, sed in Africanis, & præsertim Ægyptiis ob caliditatem regionis frequentissime, in tantam magnitudinem excrescit, vt extra vterum prominens fœminis deformitatem pudorémque, viris certe tædium & molestiam afferat, & concubitum impediat. Solet enim non solum virili congressu sed vestimentorum etiam contactu arrigi & ad venerem irritari, quam Ægyptij olim virgunculis suis aut iam iam nubilibus hoc quidem modo resecabant, vt ait Aëtius; Virgini in sella parum inuersa considenti retro assidens robustus minister & poplites eius manibus amplexus femora diducebat: totúmque corpus & brachia continebat. Interim astans chirurgus hanc sinistra manu & volsella apprehensam distentámque, dextra per nouaculam excidebat, non totam quidem sed superfluam tantum eius particulam. Aliàs enim effrenis hæmorrhagia vterique relicta perfrigeratio sequeretur: túncque post resectionem pars abstergenda cum spongia vino vel frigida imbuta expressáque; móxque puluere anæmo vt mannæ thuris aspergebatur, spongiáque poscâ imbuta su-

perligabatur, cohibendæ hæmorrhagiæ causa, donec post septimum diem resoluta spongia cicatrix duceretur epulotico puluere vt cadmiæ cineris, ossium palmularum, florum rosarum & similium.

De Cleitoride.

CLeitoris naturalis pars est carnea, orificio externo pudendi adunata exquisitissimi sensus & voluptatis venereæ incitatrix per coitum aut quamlibet fricationem. Ea autem contra naturam in quibusdam mulieribus præsertim Africanis in tantam magnitudinem euadit vt extra vterum promineat instar caudæ (σέρκωσις appellatur) omninóque pudendum muliebre repleat. Hæc autem à Paulo curatur & Aëtio. Alia contra naturam clitoridis nomine particula quædam pudendi muliebris à Fallopio primùm describitur, quæ peni virili vsquequaque respondeat, figura, substantia, vsu, sitúque. Constare enim scribit ex duplici neruo intus spongioso, acríque & crassô, sanguine referto. Oriri ab vtraque ossis pubis parte, haberéque in principio suo vtroque musculum manifestum quidem, sed paruum pro magnitudine partis, vnde magis flaccida sit quam viris mentula, vasa multa per dorsum eius currentia sicuti in virili pene, videri, desinere denique in extremum quoddam glandis simile, pelle quadam veluti præputio contectum; quæ pellis gemina illa neruosa corpora coniungat. Crescere autem aliquando in tantam magnitudinem, vt mulieres hac parte præditæ cum mulieribus aliis coeant, vnde Tribades & fricatrices dictæ sint. Hincque for-

fortasse nata opinio est metamorphoseos virginũ in viros ipso nuptiarum tẽpore,quo æstuans libido latitantes antea partes istas produxerit. Sed hæc descriptio est hermaphroditi non simplicis fœminæ, cuius tamen illa excedens clitoris propria est. Hanc vocat Auicennas virgam vel caudã lib.3. fen.23. Albucrasis tentiginẽ li.2.c.71.græci clitoridem, vnde verbũ obscœnũ κλειτορίζειν ductũ est: Columb. sedẽ veneris. Impedit autem coitum virilẽ, itemq; æstate producitur, hyeme contrahitur. Curatio eadem est & chirurgia quæ de nympha exposita est.

De pruritu pudendi muliebris.

PRuritus symptoma est nempe doloris pungentis species scalptum, vel fricationem excitãtis. Causa excrementum vel biliosum vel pituitosum, nitrosum, salsum putreue cuti, carniue subiectę affixum immotúmque. Non enim ita tenue & mobile est vt quod febres accessiones vel lassitudines vlcerosas cõmittit: neque rursus ita crassum vt in psora lepráque furfures squammasque scalptu emittens. Itaq; pruritus ad psoram, huius ad leprã proximus gradus est; estq; aliquãdo totius habitus symptoma ex sympathia viscerũ tũ vẽtriculi crudioris tũ hepatis calidioris aut obstructi lienis; alias partis vnius vel ex eadem sympathia, vel ex idopathia vt ceruicis pudendi, eiusque præsertim osculi externi, cuius rugis facile pruriginosus humor adhærescit crassus lentúsq;, siue is ex vteri propriis excrementis putrescentibus siue è totius corporis cõmunibus effluat.

Signa diagnostica.

SIgna diagnostica sunt sensilia vt puta tactilia, tũ mulieris relatus, tum assiduus & inuerecundus

pudendi ſcalptus, quo per calorem à leui motu commotum pruriginoſus humor attenuatus deterſuſque ex relaxata ab eodem motu & calore cute expiret. Quanquam dolor momentaneus ſcalptum ſæpe ſequitur ab humoris non diſcuſſi reliquiis, ſed agitati & exacerbati, ob extritam epidemidem cutemque detectam, & ab aere commorſam.

Prognoſtica ſigna.

AFfectus hic vetulis, viduiſque etiam iunioribus moleſtiſſimus & creberrimus eſſe ſolet: illis ex pituita ſalſa & nitroſa: his ex bilioſis ichoribus: Tum etiam quod vlceroſus tandem euadat, vel ab eroſione humoris diutius hęrentis, vel à ſcalptu immodico.

Curatio.

SI ſympathiæ totius corporis, vel viſceris alicuius & vitioſi ſanguinis ex natura, & ætate mulieris, victus ratione prægeſſa, aere, regione, & ſimilibus cauſis externis, certa adſit coniectura, tunc therapiæ primum inſtrumentum circa diætam refrigerantem & humectantem exercebitur, ſiue pituitoſa ſalſaque ſiue bilioſa ſit cacochymia. Alterũ inſtrumentum ſpectat ad pharmaciam vt euacuetur primum antecedens cauſa, tum per ſectionem baſilicæ cubiti dextri vel ſiniſtri, & ad viſcus δύσκρατον directi: tum per purgationẽ cacochymiæ ſanguini mixtæ poſtquam alterantibus frigidis humidis, & tergentibus iulepis aut apozematis ſubacta fuerit. Cuius ſi particeps habitus fuerit ab ea liberabitur vſurpatis balneis tepidis emollientibus & tergen-

tergentibus cum leui sudore, & in ipsis balneis fricationibus ex farina hordei fabarum cicerum rubeorum, amygdalarum amararum, sacculis cannabinis concepta, vnguentis denique eiusdem facultatis, post balneum sudorémque detersum, vt emulato sine mercurio.

At in idiopathia, solius pudendi habenda ratio est, cuius curatio rursus duplex est, aliàs legitima quæ pruritus causas effectrices primum summouet: aliàs extraordinaria, & symptomatis molestioris, id est edacioris pruritus sedatiua: per topica narcotica, quale est semen papaueris cum aceto tritum.

Quale vnguentum nutritum cum succis, & album Rhasis mixto opio: In legitima curatione indicationes plures sunt miscendæ: refrigerationis nempe ob acrimoniam excrementi, & ardorem partis, tum emollitionis & relaxationis pororum cutis: tum denique detersionis digestionis & attenuationis ob excrementi contumaciam, vt per expeditos & laxatos poros præmollitus & attenuatus humor, promptius exhalet. Ad hoc confert vnguentum, quod ℞. olei rosati & nenuphar. an. ℥ ij. succi apij fumar. & cichor. vel scabios. an. ℥ j bulliant simul ad consumptionem succorum, tum adde aloes aluminis, & salis ammoniac. an. ʒ ij butyri recentis vel axungiæ porci sine sale ℥ j ceræ nouæ parum, fiat vnguentum.

Tale est istud Galeni.

℞. terebinthinæ ℥ iiij axung. porci ℥ j sulphuris viui & argenti viui extincti cum eadem terebinthina an. ℥ ß misce.

Tale & hoc.

℞. axung. porci insulsæ, & butyri recentis an. q̄rt. ß. saponis nigri ℥j. seminis staphidis agriæ, tartari & aluminis vstorum, sulphuris viui an. ʒ ij. olei rosac. ℥ iij. ceræ parum, fiat vnguentum.

Tale denique est vnguentum enulatum sine mercurio & ægyptiacum aceto dissolutum.

Porro hæc omnia remedia ostiolo externo ceruicis affricentur digito mulieris, vel imponantur cum pessulis ex lana & linteo inuoluente, vel ex linamentis tortis & imbutis.

Eadem quoque pars quotidie lauetur linteolis aqua tepida simplici madentibus vel decoctione agrimonij, scabiosæ, peti, fumariæ, cichorij, rosarum & hordei vel furfuris.

De hæmorrhoidibus.

HÆmorrhois vniuersim significat quamlibet venam ampliorem capaciorem multique sanguinis prodigam: sed propri e venarum extrema desinentium in anum & in locos muliebres. Idem nomen transfertur etiam ad significandum earundem partium affectum, vt inflammationem sine fluxu & cum dolore: aliàs ad symptoma, vt sanguinis effluuium & cruciantem dolorem.

Venarum quidem vteri omnium duplex origo est, vna ab hypogastrica, quæ ad interiorem tum vteri tum ceruicis regionem ramulos diffundit: altera à spermatica ducta in totum vteri corpus excurrit.

currit. Illius oſcula cotyledones vel acetabula nuncupantur, per quos fœtus cum matrice, per ſymphyſim copulatur: vtriuſque ſane tum hypogaſtricæ tum ſpermaticæ à vena caua ortus eſt, atque adeo per extremos hypogaſtricæ ramos in ceruicem pudendi, & oſculum eius diſperſos, prægnantium & virginum menſes expurgantur; non per ſublimiores vterini colli ductus aut cotyledones, cum prægnantibus illis & virginibus conniueat oſculum iſtud, ſintque cotyledones ob ſecundarum adhæſionem obturati.

Cæterum hæmorrhoidum vteri & ani quamuis diuerſa origo ſit, eædem tamen differentiæ ſunt, & ſymptomata; Illæ quidem principes & communes duæ. Aliæ enim cæcæ dicuntur tum interiores quæ videri non poſſunt, ſed latent ſiue intra inteſtinum, vt quæ à ſplenico ramo deriuatæ ſunt, ſiue intra ceruicem pudendi vt iam dictum eſt: tum quæ conniuent foris etiam extuberantes ſanguinem tamen non fundentes. Aliæ apertæ, tum quę foris ſunt conſpicuæ ſiue in ano ſiue in pudendo ſiue in ceruicis extrema ora: tum quæ ſanguinem certis circuitibus eructant tametſi obſcuræ ſint, & intus conditæ.

Symptomata autem ſunt, quòd cæcarum crucians dolor ſit, ardor flagrans, & diſtenſio diuellens, tandémque phlegmone comes accedit. Apertarum contra, tolerabilior dolor eſt.

Particulares hæmorrhoidum vteri differentię ſunt ex ſitu, quòd aliæ obſideant externum ceruicis pudendi oſculum, aliæ ceruicem eiuſdem, aliæ

pudendum ipſum.

Signa diagnoſtica.

SIgna diagnoſtica ſunt fluxus ſanguinis craſſi & fæculenti, cum dolore graui, regionis obſeſſæ, ſedis, inguinum, pubis: tuberculum ceruicis, cruentum, ſubrubrum, per dioptram deprehēſum, quódque hic fluxus ordine careat certáque periodo, qua moueri menſes ſolent, quódque dolorem inferat indéque coitum prohibeat.

Prognoſtica ſigna ſunt.

QVòd viduas, melancholicas, effœtas & puerperas ſæpe exerceant, cum ſcilicet hyſtericæ venæ vel aſtrictione, ob intemperiem frigidam, vel ob inopiam ſanguinis redundantis, vel obſtructione cotyledonum conniuent.

Quòd apertæ ſi moderatæ ſint pleroſque morbos quos & plethora & cacochymia excitat, tum prohibent tum curant etiam: immoderatæ cachexiam hydropem alióſque à caloris inopia morbos accerſant.

Curatio.

FLuxio ſanguinis imprimis arcenda in curatione cæcarum eſt, tum omni genere reuulſionum ad partes ſuperas: ſiue euidenter ſanguinem euacuando vt per phlebotomiam in cubito dextro, ſiue eundem intro reuocando, vnde affecta pars obſcurè ſaltem alleuetur: vt per frictiones & deligationes quæ dolorem faciant in brachiis, & cucurbitulis applicatis ad vtrumque hypochondrium

drium mammas & dorſum, tum denique interceptione, & refrigeratione venæ cauæ per topica frigida ſiccaque & aſtringentia lumbis apponenda, Tale eſt vnguentum populeum, vnguentum roſaceum, ceratum ſantalinum aceto albo decies lota. Tale cataplaſma ex bolo, ſanguine draconis, thure, oleo roſato, & albumine oui, ex ſtupis cannabinis appoſitum.

Tale ex farina hordeacea, melle & aceto concinnatum: Tale quoque eſt vnguentum ex oleo myrtino, lentiſcino, melinum, cum iiſdem pulueribus & cera alba.

Atque dum hac arte fluxionis impetus comprimitur, ne ab eodem perſeuerante inuitetur, dolori leniendo accurate ſtudendum eſt omni anodynorum genere, tum eorum quæ vere paregorica ſunt, calore temperata, paucáque ſubſtantiæ tenuitate, qualis eſt fotus ex hydrelæo tepido, per goſſipium, lanam, aut ſpongiam, aut ex decocto 4. remollitiuarum, ſeminis lini caricarum, florum chamęmeli meliloti ex hydrelęo.

Talia ſunt oleum lini amygdalarum dulcium, liliorum, diutius in mortario plumbeo verſata cum piſtillo plumbeo, vt linimenti craſſiorem formam induant vitello præſertim oui inter verberandum mixto cum exigua quadam refrigerãdi facultate. Talia rurſus ſunt olea violaceum, roſaceum, nenupharinum pariter agitata, quæ tum lenitione, tum refrigeratione, vtramque doloris cauſam obtundant, tenſionem & caliditatem, ex coarctatione, & multitudinis infarctu conceptam. Talia etiam ſunt oleum papauerinum

& opium, superioribus illis & lenioribus vtiliter miscenda cruciante immisericorditer dolore, nisi fortasse phlegmone partem iam inuaserit, cuius materia, à tam insigni frigore in condyloma occallescere posset; tunc enim vtilior tutiorque fit per infixum scalpellum hæmorrhoidum inanitio, vel facta sensim sanguinis impacti resolutio digestióque.

Iam vero apertæ hæmorrhoides si moderatè fluant effœtis præsertim, & puerperis sinantur, nisi in iunioribus, in quibus ad naturalem menstruæ excretionis viam commodius reuocentur.

Sin earundem exuperantia vires conuellat, illæ quidem commodissimè inhibeantur præmissis reuulsionum expositarum differentiis omnibus & interceptionum, moxque topicis impositis hiantes venas obsignantibus, constringentibus & agglutinantibus. Tales sunt fotus ex decocto foliorum symphyti maioris, lysimachiæ vtriusque centinodię plantaginis, equiseti, summitatum rubi, sumach, oleastri, balaustiorum, nucum cupressi gallarum viridium in aqua fabrorum & vino tortiuo. Tale est vnguentum ex oleo myrtino lentiscino cytoniorum, bolo armena, sanguine draconis thure alumine albumine oui, & cera alba; Talis denique puluis malicorij gallarum, & aluminis.

Intus quoque proderunt conseruæ refrigerantes rosarum, nenupharis, carnis cytoniorum, sicuti etiam potio laxans astringendo, vel ex puluere rhei cum succo plantaginis, vel eiusdem infusi cum myrobalanorum citrearũ cortice valida expressio,

ab

ab hac enim cacochymia biliosáque fluxionis materia deriuatur.

De hernia inguinali.

RAmex siue hernia tumor est alias scroti virorum proprius: aliàs inguinis fœminarum & virorum communis. Hic peculiare nomen bubonoceles ab affectu & parte affecta sortitus est: βουβὼν enim græcis inguen est, nempe locus ad latera pubis vbi femur & coxendix coeunt, κήλη verò tumor omnis in quacunque parte fuerit. Ferè autem fit ab vnica causa intestini scilicet prolapsu. Ille multiplici nomenclatura designatur pro varietate causarum ex quibus inguen extumescit. Inde enim enterocele, epiplocele, enteropiplocele, hydrocele, sarcocele, pneumatocele, cirsocele. Vtriusque generis species tres in fœminis notauit Aëtius bubonocelem hydrocelem & cirsocelem, è quibus bubonocele frequentissima maxime circa dextrum pudendi sinum, ex illapso intestino vel epiploo vel vtroque, idque aut ob ruptionem peritonei aut relaxationem meatus per quem vteri ligamentum ad os coxæ deuoluitur, idque à violenta nimis distensione præ gestatione fœtus grandioris vel gemini: vel à difficili arduóque partu & vehementiori inter pariendum ventris compressione: Inde igitur trium organicorum morborum consecutio est. Dilatatio in meatu aucto, prolapsio intestini in sede mutata, & tumor in figura violata: & eadem omphaloceles origo esse solet in muliebribus puerperis.

Signa diagnostica & prognostica.

BVbonoceles signum diagnosticum tumor est

in inguine prominens durus & obmurmurans, præsertim cum mulieres crura dilatarunt aut supinæ decubuerunt, tunc enim aeris intestino concepti liberior motus est & intestini in ventrem regressus. Prognosticum signum est quod in vetulis & iuuenibus sæpe concipientibus & parturientibus desperata curatio est.

Curatio.

CVratur autem in aliis repositione intestini resupinata muliere sublatisque eius clunibus & peritonei laxioris constrictione ruptique agglutinatione per emplastrum cõtra rupturam inguini appositum & subligaculo retentum. Quod si hæc pharmaceutica curatio irrita sit chirurgica tentetur Aetij authoritate peruulgata.

De hydrocele.

HYdrocele alias pudendi vtrasque alas: alias alteram tantùm inuadit, estque tumor mollis debilis indolens ex compressu, fluctuans & inflationis similis ab aquoso humore ibidem fere per fluxum collecto. Eadem eius & inflationis curatio est, tum per diætam calidam siccamque, purgationem hydragogam, & topica sudorifica: tum per topica discutientia vt sunt fotus, vel insessus ex decocto foliorum pulegij artemisiæ rutæ sabinæ in diluto lixiuio vel aqua & vino albo, item cataplasmata ex farina liliorum, orobi, lupinorum & ex semine cumini, sileris montani, baccarum lauri, iuniperi. Huius generis sunt balnea naturalia sulphurosa, bituminosa, aluminosa, dropaces denique & phœnigmi. Quod si contumacior tumor victis hisce

hisce remediis persistat, ad chirurgicam Aetij apertionem deueniendum erit.

De cirsocele.

EArundem pudendi alarum affectus est cirsocele, id est varicosus tumor, est enim κιρσὸς varix venæ dilatatio ampliatióque supra naturalem suam magnitudinem à valida distensione tunicæ tenuioris molliorísque quam arteriæ: ideóque hanc dissingi potius quam dilatari contingit. Porro tanta illa distensio à sanguine permulto vel crasso & flatulento oritur qui non cedit venæ: sed venam sibi cedere cogit: talis fere est melancholicus, aliquando etiam pituitosus aut temperatus etiam: sed redundans præsertim in cruribus ob eiusmodi grauitatem sanguinis, aliquando etiam in omni parte venosa pronaque & à fonte caloris longius dissita vt temporibus, ventre, sub vmbilico palpebris, testiculis, screto aliisque pudendi muliebris partibus, maxime per suppressionem mensium à morbo aut grauiditate.

Curatio.

CVrari quidem in artubus & inhiberi varicis incrementum potest fotu astringente & ligatura comprimente. Sed in alis pudēdi curatio chirurgica tantum Aetio suadetur cute per longitudinem venæ incisa, auulsis discretisque à vena membranulis, extremo eiusdem superiori vincto, eadem denique transuersim præcisa. vide Aetij præceptum tetrabiblij quarto & sermone quarto.

Epilogus.

HActenus causas idiopathicas sterilitatis mulie-

bris enarrauimus, morbosq; vteri prope omnes similares, organicos & cōmunes à quibuscumq; caussis conceptrix eius facultas lædi aut impediri possit percensendo, curauimus methodo qua potuimus breuissima, artificiosissima maximéque dogmatica. Supersunt sympathicæ eiusdem læsę conceptionis vterique affectiones ex totius intemperati corporis muliebris viscerumq; singulorum sympathia contractæ. Ex quibus amborum generationis principiorum seminis menstruique nata vitia officere fœcūditati solent: Seminis autem muliębris vitiorum prope omnium paulo ante in virilium morborum therapeia, expedita est pathologia simiotica & therapeutica, quare in vnius menstrui delenda notandáque vitia nobis deinceps incumbendum restat.

IOAN-





IOANNIS HVCHERI BELLOVACI CONSILIARII MEDICIQVE REGII, ET MONSPELIENSIVM Medicorum Cancellarij, de Sterilitate vtriusque sexus.

LIBER TERTIVS, DE STERILITATE MVLIEBRI SYMPATHICA.

De fluxus mensium, conceptus, partúsque symptomatis.

PRIORE huiusce argumẽti parte quę de sterilitate muliebri fuit, omnes fere morbi vterini percurati sunt; suísq; causis & signis propriis appositis descripti. Restat nunc propriorum eiusdem vteri symptomatum therapeutica historia hàc posteriori parte exponenda. Sunt autẽ vteri, vt reliquarum corporis partiũ, morbi omnes genere triplices; similares, organici, & communes, à quibus tũ naturales functiones vteri, quæcunque nutritioni eius subseruiunt, tum organicę tres lędi solent: men-

ſium fluxus,cõceptus,partuſq; (conſtat enim vterus ſubſtantia ſpermatica &organica figura)quarum vt reliquarũ functionũ,triplexnoxa notatur;abolitio, diminutio,deprauatio;Menſium autẽ abolitio,ſuppreſſio dicitur. Quæ rarior aut parcior eſt earundẽ vacuatio,vocatur diminutio:tertia, deprauatio eſt: vt redundantia,ſtillicidium,decoloratio.Cõceptus etiam abolitio eſt,quando nullus fit : diminutio cũ rarior:(vtraq; ſterilitas vocatur) tertia noxa deprauatio eſt,quando mola,monſtrũ,aliudue inauſpicatũ & terrificũ animalculum cõcipitur. Sic abolitio partus,eſt cum nullus fit(vt mortuo fœtu) matreq; lãguente:&cum poſt partũ ſecundinæ cohibentur. diminutio,cũ tardior eſt:deprauatio cum aut immaturus eſt:vt ſemeſtris,quadrimeſtris,trimeſtris,&abortus vocatur:aut difficilior,vt cum longiorib.& maiorib.doloribus,grauiq;matris,matricis &fœtus ipſius offenſione:aut deniq; cũ præpoſterus eſt, nec capite primo : ſed alia quauis corporis parte obuia ex vtero fœtus prouoluitur.Iſtorũ vteri organicorũ ſymptomatũ therapiã deinceps proſequemur, prætermiſſis ſimilaribus,niſi ſiquando ab his illa fluere videãtur:vt nõ poſſint ſcorſim vtraq;perſanari.Curationis antẽ exordium à menſtrui fluxus læſionib. ducendũ eſt: quod illæ nõ ſolũ indiuidui id eſt fœminæ ſaluti, ſed fœcunditati & prolis procreationi cui vni ſarciendæ cõfirmãdæque opera noſtra modo dicata eſt,maximè aduerſentur & frequẽtiſſimè, plurimaque circa conceptum partum ſymptomata proferãt: Naturalem igitur menſtrui vacuationẽ ex ſuis cauſis ſigniſque primum exponam: vt ſymptomaticæ eiuſdem differentias omnes apponam.

Mẽſtrua purgatio vacuatiove,naturalis eſt ſanguinis fœminarũ ſuperflui vtilis crudiq;excretio.Natu-

ralẽ esse demõstrat, tũ spõtaneus fluxus, tũ ex eodẽ muliebris corporis salubritas: Menses, vel menstrua dicta est, à vulgatiori circuitu triginta dierũ, Tẽpora à certis circuituũ interuallis, aut fluxus spatiis: aliàs Flores, quod non nisi praeuia hac vacuatione, conceptus fiat arborũ instar fructiferarum: Mala denique septimana à spatio cõsueto durationis septẽ dierum quibus mẽstruatę mulieres pleræque languere solent lassarique, vel præ vacuationis copia: vel præ vaporibus cõmoti sanguinis quoquouersum in totũ corpus viscera & musculos dispersis: vnde lassitudo, cephalalgia, hebetudo, torpor, somnolentia, mẽtis ignauia, cibi fastidium &c. Porro humorẽ hunc, esse sanguinem ipse attestatur sensus: Quod superfluus sit, excretio indicat: quod denique vtilis sit apparet ex eo quod reliquo alimentario fœminarum sanguini congener est.

Huiusce excretionis menstruæ generales causæ quatuor sunt: materia, efficiens, forma, & finis. Materia est sanguis fœminarum superfluus, earumque nutritioni nõ necessarius. Excrementũ ergo est vtile tertiæ coctionis partium carnearum, vt semen spermaticarum, idque quantitatis tantum in mulieribus sanis & temperatis: similis nempe est reliquo fœminarũ sanguini in venis cõdito: gignitur enim ex iisdem causis, ex iisdem alimentis, ab eadem facultate, & calore natiuo hepatis, & in iisdem sedibus, vena caua scilicet, & aliis venis aceruatur. Inde quoque formatur fœtus alitúrque in vtero & extra eumdem, lacte nempe, quod sanguini menstruo germanũ est: ideóque fluente in grauidis męnstruo sanguine debilior nascitur fœtus aut abortit. Quod si suppresso intus sanguine illo puro, fœminarũ valetudinẽ tẽtari contingat: hæc quidem valetudinis

iactura ex accidenti est, oppresso scilicet ab eius copia calore natiuo, & visceribus obstructis. Est tamẽ aliquando excrementũ nõ quãtitatis tantũ, sed qualitatis etiã cuiusdã manifestæ; estq; alicuius cacochymię particeps: vt in fœminis intẽperatis & intẽperantib. idque vel ex cõsensu totius corporis propter victus prauitatẽ, aut visceris alicuius intẽperati vt hepatis calidioris, ventriculi frigidi, vel cõtra: eadẽ ratio lienis est, vel per idiopathiã vteri ipsius intẽperati, & cacochymia aliqua inquinati, quæ cũ mẽstruo alioquin puro elabi potest. Hæc autẽ qualitas vitiosa & manifesta cacochymię respõdet pituitosę biliosę melancholicæ, itaq; ipso suppresso grauidarũ symptomata primis mẽsib. molestissima obrepere solent: quibus tamen quę sanę sunt, carere videtur, vt sunt fastidiũ, pica, malacia, nausea, vomitio, cardialgia, lipothymia, &c. Pleraque etiã fœtui infesta sunt iã edito: vt scabies, pruritus, tinea, furũculi, & erysipelatosi affectus (quib. sanarũ liberi rectè educati fere omnib. carẽt) quãquã probabilius est ex ingluuie impuri lactis ea omnia oriri. Itaq; collecta plethora cacochyma in venis instar musti in doliis, efferuescens, purgatur excremẽtis suis in cutẽ eiectis: vnde etiã variolarũ, exanthematũ & ecthymatũ origo multo verior est quàm ex mẽstrui maligni reliquiis: quę post tot inedias, labores, febres, sudores, purgationes, diarrhœas, phlebotomias, post tot deniq; annos vt viginti, triginta, quadraginta aliquãdo necessario exoriãtur. Est ergo excrementũ sanguis mẽstruus modo quãtitatis solius: modo vtriusq; & quãtitatis & qualitatis, sed manifestę. Occultã.n. & venenatã perniciẽ menstrui nullã agnosco: nisi diutius extrauasati corruptíque: tũque humor non est, nedũ sanguis menstruus, falsáque existimo Plinij &

Columellæ de venenatæ menſtrui ſanguinis labe commenta: neque enim vſquam compertum mulieris menſtruatæ acceſſu, aceſcere vinum in doliis, neque herbas, plantas, & ſegetes eiuſdem contactu contabeſcere: neque ab eodem prægnantibus fœminis aborſum aliiſque ſterilitatem conciliari. Eboris quidem albedinem, & ſpeculi nitorem menſtruatæ fœminæ propinquo aſpectu inquinari fatemur, præ vaporum copia ex ore & oculis erumpentium fluente commotóque eius ſanguine: ſic eodem corrupto mulieribus ipſis ſtrangulatum vteri, canibus rabiem, hominibus maniam & epilepſiam ingurgitato illo commoueri non negem. Reliqua veneni exēpla ab authoribus citata falſa quoque ſunt (niſi fortaſſe de eo corrupto & quod extra vaſa exciderit audiantur) ſicuti & illud de fœtu elephantico quod concipiatur fluēte menſtruo. Neque enim elephantica proles niſi ex elephantico ſemine & ſanguine prodit. Moſes quidem in Leuitico cap.15. ne quis cum menſtruata muliere coeat, vetuit; ſicuti puerperam ab aditu templi prohibet; aliarúmque mulierum conſortio, ante integram lochiorum purgationem. Primi illius præcepti ſententia fuit fortaſſe quod ſuſpectam ſeminis prolifici iacturam ex fluxu immodico haberet, Secundi etiam vt monerentur pura mente & corpore gratias Deo ab illis agendas eſſe. Quamquam veriſimile eſt elephantiam ex huiuſmodi virorum cum menſtruatis fœminis concubitu ſapientiſſimo legiſlatori ſuſpectam fuiſſe in gente illa Ægyptiaca & Syriaca apud quam popularis ille morbus eſt, non ſolum ob cœli & regionis ardórem ſed etiam propter ſalſamentorum vſum, præſertim apud homines in mon-

tibus degentes redundante Nilo terrasque campestres obruente. Quare à Fernelio proposita menstrui partitio in tres partes admittenda non est: vt vna sit purissima, qua formatur alitúrque fœtus: altera media, quæ facessit in vbera, lactis causa: tertia impurior, quæ in venis vtero vicinis seponatur, vnde partus tempore, copioso fluxu exhauriatur. Nã si partitio hæc vera sit, prægnantes oporteret vltimis mensibus (aucta maligni sanguinis menstrui copia) deterius habere se quam primis tribus mensibus, omninoque necesse esset fœcũdas insalubriores esse quam steriles. In illis enim mixtione sanguinis purioris ve[illegible]nata labes temperabitur.

Mẽstruæ excretionis causa efficiẽs calor est fœminarum remissior humidiórque, à quo sanguinis plurimũ cumulari, minimum resolui discutique potest: proinde nullis ouiparis animalibus hęc excretio adest, volucribus quidem propter siccitatem, piscibus propter frigiditatem: at viuiparis omnibus adest tum brutorum tum hominum fœminis (cùm sit is sanguis menstruus formationi alitionísque fœtuum necessarius) sed in plerisque brutis obscurior est, vel quia illa sanguinis copia in excrementa corporum vt pilos, vngulas, cornua, iubas, abire absumíque soleat vel potius ob ipsarum sicciorem temperiem, victum frugalem magis, siccúmque & ærumnosum, alias euidentior vt equis, vaccis, canibus; euidentissima est in humanis fœminis, tum ob temperiem earum humidiorem, tum ob adiutrices etiam causas humiditatis redundantes: vt sunt edacitas, desidia, habitus magis densus glabérque & transpirationis incapax; neque huic fœminarum temperamento frigido humidóque refragatur

san-

ſanguninis copia;hic enim crudior eſt multo quàm virilis, neque earum celerior accretio extra vterum;fœcũditas & ratiocinatio maturior(hæc enim primigenij humoris humidioris & dilutioris ſoboles eſt,indéque vitæ breuioris index.hinc etiam in vtero tardior eſt earum conformatio & motus: illa in quadrageſimum diem, hic in quartum menſem incidit, à calore ſcilicet puſillo & humiditatis vi obruto: Nihilo magis refragatur, quod decem virilibus cadaueribus fœmininum vnum interpoſitum vſtionem omnium acceleret: adeps enim incendij ſuſcitãdi cauſa eſt: neque denique quod mulieres frigoris magis ſint patientes quam viri: patientia enim hæc ſimilitudinem potius temperamenti aeris indicat: vel habitus denſitatem & craſſitiem: ſiquidem acriori calore animalia ob cutis raritatem & tenuitatem habitus (vt ſunt canes) frigus magis exhorreſcunt. Hinc itaque fœminarum vox gracilis,capillitium promiſſum & tenue, habitus magis glaber,denſus & læuis,totius corporis robur infirmius, ingenium magis mutabile & iracũdum ob humiditatis affluentiam. Mulierum igitur temperies frigidior humidiórque iure ſtatuatur in quolibet animalium genere ſaltem viuiparorum.

Aſſeruatur materia hæc in venis maioribus minoribúſque:ex quibus omnibus copia oppreſſis tẽpore ſuo in vteri venas exturbatur: ex quibus etiam per ἀναςομώσεων copia reſeratis excluditur (neque enim ab vtero attrahitur, cum ab eo non alatur) Excipitur ergo in virginibus atque fœtantibus mulieribus in venas arteriáſque hypogaſtricas, & à cruralibus ad collum vteri internum reflexas. vnde per medium hymen erumpit foras: mulieribus ve-

rò nõ grauidis nuptísque in venas & arterias à spermaticis abductas, & in latera fundúmque vteri infinitis desinentes ramulis, quarum oscula intus in capacitatem vteri hiantia cotyledones vel acetabula vocantur: ex quibus fœtus alimentum suum prolicit sensim & modicè: neque tamen ex iisdem effluere sanguis in capacitatem potest, quod adhæsione secundinarum & vasorum fœtum nutrientium obturata sint (nisi fortasse per vehementem abortum.) Hæc autem excretio menstrua solet fere esse certa eodémque recurrere tempore: vel ob naturæ beneualentis consuetudinem, vel ob constantes lunæ cursus. Putauit enim Aristoteles fœminã lunaticum animal esse, purgaríque ferè decrescente luna ob frigidiorem aëris temperiem & humorum excrementitiorum maiorẽ prouentum ex priuatione luminis lunæ. Verius tamen est à simili temperie aëris fœminarum sanguinem multiplicari, indéque vario tempore purgari. Vt in iunioribus prima quadra, in adultis secunda, senioribus tertia quartáque, vnde versiculus est,

Luna vetus veteres, iuuenes noua luna repurgat.

Ad formam referuntur tempus, quantitas, qualitas, & excretionis modus. Tempus rursum duplex est, generale & particulare: Illud ætas est, qua hæc purgatio incipit vel desinit. Vtrumque certè inordinatum & incertum ferè est, ob varietatem causarum efficientium & adiuuantium vt naturarum, victus, habitus & aëris: à quibus humorum muliebrium copia corporúmque constitutio variari solet. Frequentissimum tamen est maximéque secundum naturam vt in decimumquartum annum incidat prima eruptio, cessante tunc vt plurimum

accre-

accretione & quia viget magis calor, túncque vbera extumescere & semine vasa turgere solent; ideóque nubiles & fœcundæ esse incipiunt, nisi fortassè albi sint menses. Anticipat tamen hæc excretio aliquando nono, decimo, vndecimo, & duodecimo anno, & fermè præter naturam, vnde vitæ breuioris index est, neque hymenæus earum tunc celebrandus est: ne supetueniente conceptu corporis puellaris incrementum robúrque intercipiatur, neque grauiditatis partúsque labores impune perferre possint fœtu ipso præsertim languido, aut ne sint magis lasciuæ matura ætate, ex Aristotele 7. politic. cap. 16. ideóque ante decimum octauum aut vigesimum annum nubere non debent. Cunctatur etiam hæc vacuatio aliquando ad vigesimum annum longioris vitæ præsagio, ob humoris primigenij viscositatem indéque accretionem tardiorem. Particulare tempus cuique purgationi, id est duratio, spatiúmque fluxus statum non est & ordinatum ob earundem causarum varietatem & sanguinis copiam dissimilem. Multis enim ad duos trésve dies, paucis ad quintum vsque profluit. Aliis etiam ad vsque septimum: raro ad duodecimum: puerperis & quæ abortum fecerũt lochiorum purgatio longe diuturnior est: vt triginta dierum, si mas, quadraginta dierum, si fœmina edita est. Eiusdem excretionis quantitas in eadem fœmina mutari ætate solet. Augescit enim sensim ad ætatis vigorem: hinc æqualitatem quamdam retinet, deinde in senescentibus paulatim imminuitur, donec omnino desinat. Desinit autem ea excretio frequentissimè circa quinquagesimum ætatis annum, ídque c al oris natiui infirmitatem. Rarior est cessatio

craſſities in ſenioribus, mediocritas in adultis, tenuitas in biliofis, craſſities in melancholicis, lentor in pituitoſis, mediocritas in ſanguineis vincit. Color in ſana muliere probéque temperata & temperanti, ſit floridus & vniuſmodi ſimiliſque cruori recens iugulatæ hoſtiæ, id eſt egregij opimíque pecoris immolati. Odor ſanguinis boni nullus eſt, putridi olidus eſt. Excretio deniq; & menſtrui exitus debet eſſe facilis leuiſque, id eſt ſine vlla debilitate mulieris aut dolore partium ad vterum attinentium vt lumborum hypogaſtrij femorum aut vteri ipſius & inſuper indolens, id eſt ſine vellicatione & exulceratione pudendorum. Hæc enim ex acrimonia mixtæ bilis, aut ſalſæ pituitæ: ille ex repletione immodica venarum naſcitur & eruptionis cunctatione propter earundem venarum obſtructionem ex plethora vel ex cacochymia craſſa lentáque natam.

Finalis cauſa excretionis menſtruæ triplex eſt, (neque tamen ſanguinem menſtruum tanquam alterum generationis principium agnoſcimus, vnicum enim eſt tam formale quam materiale, vtriuſque ſcilicet ſexus ſemen in vtero fœcundo confuſum) Primus eſt conformandi embryonis fibráſque ſpermaticas partium eius omnium vt viſcerum & muſculorum ſpatiáque earumdem inania obfarciendi replendíque: Alter alendi ſeminis fœtúſque, tam intra quam extra vterum, (vocatur autem embryo fœtus in vtero conceptus nondum propriis ſpeciei ſuæ lineamentis exornatus.) Hic enim in procreatione hominis ordo eſt: vt ſeptem primis à conceptu diebus ſemen in vtero lacti ſit ſimile, quo tempore vteri facultas conceptrix vegetatiua

guinis copia, vt illæ iam mediocriter hiantes semen retinere, & alere possint embryonem. neque enim sanguinis muliebris quantávis sit copia, si non ad vterum affluat, & ex eius venis in capacitatem effluat, conceptui prodesse potest. Itaque coitus tempus conceptui aptissimum idem erit finito fluxui proximum: vt post biduum, aut triduum, quo relictus in venis sanguis purior est, vterus siccior, & seminis auidior: & cotyledones modicè patentes hiantésque, nisi fortasse finito fluxu, celeriter claudantur: vt infaustis quibusdam fœminis vtero sicciori; cum quibus congressus nondum finito fluxu, sed guttatim adhuc prolabente, maturandus est. Alterum coitus tempus cōceptui quoque idoneum, est fluxus initium primúsque dies: quo iam vterus madere leuiter, & exasperari, acetabulis modicè dehiscentibus possit, vt genituræ effluxus præ læuitate vteri, aut extinctionis præ humiditate immodica periculum absit, hic tamen conceptus insalubrior esse consueuit, vtpote ex sanguine nondum purgato editus. At verò qui in intermedium tempus incidit coitus, ad conceptum minus est accommodatus, quàm ille qui occurrit sub initium aut finem menstrui fluxus, quippe tunc humidior vterus viris magis ingratus ac tædiosus est, & seminis negligens: quod etiam vligine sua suffocat móxque deorsum exturbat. Quod si ex huiusmodi concubitu conceptus forte aliquis succedat, infœlix fœtus, animóque & corpore inualidus, valetudinarius, morbísque relictæ cacochymiæ cōgruentibus obnoxius censebitur.

Excretio igitur siue fluxus mensium, functio est vteri organica fœminarum saluti fœtuúmque ge-

nerationi necessaria; cuius symptomata sunt abolitio & diminutio, quoties nullomodo aut rarius parciúsque fit vtraque, suppressio dicitur, vnico causarum affectuúmque magnitudinis discrimine dissidens: tertium symptoma est deprauatio. Porro defectus mensium tres sunt differentiæ: Vna enim secundùm naturam est, à naturalibus interníſque causis oriunda, sine detrimento fœtus aut fœtantis mulieris: vt natura, ætate, habitu fœminæ: eiúsque accidentibus duobus grauiditate & lactatione. Huius signum est εὐφορία nondum suppetente menstruo, nedum valetudinem muliebrem infestante. Iunior enim ætas vberiorem quidem sanguinem præ valido calore suo natiuo coaceruare potest: sed totum nutritioni & accretioni corporis sui adhibet. Senior parciorem, præ inualido senſimque fatiſcente calore suggerit, quippe natura calidior sanguinem cumulat diſſipátque, frigidior non cumulat: Habitus natura macilentus alterutrius est particeps, vel caloris vel frigoris sicci: vnde minimum sanguinis colligit: præpinguis eundem in seipsum conuertit: grauiditas alitione auctionéque fœtus eundem intus consumit, lactatio lacte conficiendo absumit: quo fœtus, vt alimento, foris ex mammis hausto fruatur. Liceat tamen fœcunditatis causa vtrumque habitum, etiamsi omnis absit valetudinis iniuria, per contrariam diætã commutare: vt tenuem per analepticam, obesum per atnuantem. Eadem ratio naturarum est, calidiores refrigerandæ, frigidiores calefaciendæ ope & subsidio contrariæ diætæ.

Altera differentia defectus mensium est non naturalis, à procatarcticis externíſque profecta causis: vt

vt aëre squallido vel alsioso vel æstuoso, inedia, cibis frigidis, calidísve, vacuatione qualibet copiosa: vt hæmorrhagia, eaque vel spontanea, vel artificiosa, purgatione, diarrhœa, sudore, vigiliis, labore improbo, timore, & mœrore: Ab illis enim sanguinis menstrui & superflui prouentus prohibetur, sicuti ab his duobus animi symptomatis, fluens aut fluxurus cum calore natiuo spiritúque intro ad cor repente reuocatur: aut si diutius perseuerent, gigni idem prohibetur calore debilitato, adeo vt præ frigiditate venæ vterinæ etiam in sese concidant, earúmque acetabula conniueant. Huius secundæ differentiæ εὐφορία quoque comes est, non redundante menstruo, qui valetudinem afficiat: eius tamen correctio per diætam causis iis, quæ sanguinem minuunt, aduersantem, ob fœcunditatis vota institui potest, vt caliditati aeris frigiditas & contra: inediæ satietas, & contra: extenuationi ex qualibet vacuatione, refectio: obesitati extenuatio: labori otium, & contra timori confidentia; mœrori hilaritas opponatur. sic frigidæ aquæ crudæque potioni calidior alia tenuiórque ex vino albo modice diluta, vt ait Aetius, sic cibis calidis frigidi, crassis attenuantes, siccis humidi & contra substituantur.

Tertia differentia contra naturam omnino est: propriéque suppressio mensium vocatur: quæ vt à morbis vteri tam idiopathicis quàm sympathicis inducitur: sic eadem vicissim grauissimas ægritudines inducit, tum corpori vniuerso, tum principibus eius partibus: aut seruientibus: quarum meminit libro de morbis mulierum Hippoc. Hinc enim phrenitis, angina, peripneumonia, phtisis, pleuritis, hepatitis, nephritis, hydrops, cachexia, icterus, vterí-

que tumorum genus omne vlcerúmque, febres cõtinuæ, aut ardentes, aut lentæ. Hinc quoque earundem partium & totius corporis, non vteri tantum, numerosissima pullulant excrementa: è quibus frequentissima & euidentissima quædam tanquam huius suppressionis diagnostica signa Gal. 6. de locis affectis recenset, præclarè enim Hippoc. aphor. 57. lib. 5. Menstruis abundantibus morbi eueniunt (refrigerato scilicet calore natiuo,) coctiones omnes intercidũt & debilitantur:) vnde hydrops, cachexia icterus & alij,) iisdem subsidentibus accidunt ab vtero morbi. Nec solùm in vtero vt tumores, abscessus, vlcera, ex menstruo ibi retento: sed in toto etiam corpore & visceribus ex sanguinis sursum facta palindrome: sed idipsum non ante tres aut quatuor aut quinque aut sex menses contingere solet; quibus πολυαιμία circa vterum collecta aut putrescit & corrumpitur, aut ad partes refluit vicinas vel distantes.

Signa.

PRimum igitur signum suppressionis est lac in mammis non grauidarum mulierum, cuius ex menstruo tota est materia à glandulosis mammis assimilato: neque tamen ex vtero ad vbera sanguis hic transfertur: cum vasorum ab vtero ascendentium aliorúmque à mammis descendentium nulla sit inter se communio, societas & contiguitas: sed à vena caua propriísque eius ductibus affertur. Ideóque virginibus adultis ex suppressione menstrui lac esse potest: sicuti & viris quibusdam puerísque ob vbertatem alimenti. quanquam horum lac sæpius serosum excrementum est, rudiùs assimilatum.

Secun-

Secundum ſignum eſt grauitas totius corporis & laſſitudo tenſiua,ex plethora ad vaſa & vires.

Tertium, faſtidium ciborum ex ſanguinis copia ſuctum venarum ſtomachi aliarúmque partiũ prohibentis, ab hoc tamen pica & malacia abeſſe ſolent mulierum prægnantium: in quibus impurior menſtruus in mammas & ſtomachum ſeponitur qui in venis reliqui ſanguinis mixtione temperatur.

Quartum, horror inæqualis, id eſt perfrigeratio leuis cum horrore, qui motus eſt muſculorum deprauatus à vaporis acris frigidíve in partes nerueas & ſentientes impetu concitatus,qui è ſanguine mẽſtruo ſine febre tollitur. Sic rigor mulieribus à vitreæ pituitæ motu ſine febre frequens eſt. Quintò tanquam totidem ſigna concurrunt, lumborum, colli,ſincipitis, & radicis oculorum dolores: lumborum quidem ex venæ cauæ arteriæque maioris repletione, diſtenſione, & ardore ab accumulato ſanguine: colli ex conſenſu ſpinalis medullæ ob accubitum & ſympathiam vteri ſanguine referti: ſincipitis ob repletionem aluei quem iugulares intro iuxta peluim in cerebrum aſcendentes& ad ventriculos deſinentes conficiunt, vel ob vaporum expirationem ab vtero,ſiue ob rectitudinem:cum inter veſicam & inteſtinum rectum ſitus ſit vterus,vel ob naturæ conſuetudinem per ſanitatem vapores ſurſum mandãtis quorum illic facilis digeſtio eſt: tum ob multarum ſuturarum laxitatem oſſiúmque tenuitatem: tum ob vaſorum per eaſdem ſuturas foras cum membranulis egredientium commoditatem: atque ob eiuſmodi ſincipitis conſtitutionem. ſuſpectus in eo eſt quibuſdam cauſticorum vſus: ne

vstio ad intimas meninges subrepat: quæ tamen facile vitabitur, si caustica diutius non hæreant, aut si ad suturarum latera admoueantur. Sexto suppressionem comitantur febres ardentes: vel primariæ, ex sanguinis in venis maioribus putredine: vel symptomaticæ, ex phlegmone vteri vel alterius visceris à refluente menstruo inflammati.

Septimum signum est vteri peruersio & obliquitas cum clausione & duritie oris interioris: quæ à tumore alterius lateris vteri oritur. eadem clausio duritie caret in prægnantibus, nam vt habet aphoris.54. lib.5. Quibus os vteri durum est iis coarctetur est necesse, vnde fit vt non concipiant. Huc quoque spectat coxendicis dolor & claudicatio alterius femoris ob ligamenti vterini inflammati propinquitatem. Hinc etiam phlegmonem vteri sæpe excipit φύγεθλον, id est phlegmone erysipelatosa inguinis alterius, panus dicta, ex sanguine vel sensim & per diapedesim è venis vteri exudante: vel affatim per anastomosim erumpente.

Octauum signum est, quod vrinæ nigricantes redduntur à copioso sero menstrui melancholici & crassioris: aut à sanguine etiam ipso melancholico. Idcirco tales vrinæ sæpe criticæ sunt in quartanis febribus, in lienis tumore, & hæmorrhoidibus suppressis: sæpe etiam nephritidis prænuntiæ. In febre acuta semper lethales sunt vtpote calore natiuo extincto: aut ardente & sanguinem adurente.

Vltimum signum est tum stranguria, tum ischuria ex vteri sympathia. Illa quidem prouenit vel ex sero acri mordacíque sanguinis in vtero calfacti, à quo vesicæ tunicæ sensim imbuuntur, & qui vrinæ permiscetur: vel ex solo vrinarum ardore, ob accubitum

cubitum vteri inflammati à quo præ adstrictione vesicæ & tumoris mole immodica, ischuria quoque nascitur. Præter hæc signa communia Galenica, multi superueniunt suppressioni menstrui morbi, tam in vtero: quam in toto corpore, eiúsque viscceribus singulis: vt ante dictum est.

Suppressio mensium symptomatica, curatione eget per contraria remedia tum sanitatis tum fœcunditatis causa. reliquæ duæ suppressionis mensiũ differentiæ, mutatione tantum egent, solius fœcunditatis gratiâ per causarum menses remorantium ablationem, diætæque pristinæ in contrariam mutationem. Symptomaticæ huius suppressionis authores sunt morbi tum idiopathici vteroque proprij, tum sympathici totíque corpori muliebri vel visceribus quibusdam & vtero communes. Est autem idiopathiæ & sympathiæ discrimen curationi valde necessarium: ne si mensis ad vterum ruat affectu persistente, qui effluxum eius remoretur: tum acerbissimi dolores diuulsis vasorum vteri tunicis & parturientium similes commoueantur: sicuti corpore impuro neque à suis excrementis vacuo vterus frustra purgetur & foueatur. Discrimen vero hoc ex constitutione totius corporis eliciatur: quæ si naturę respondeat sitque diæta opipara & multi sanguinis ferax: idiopathiam subesse certum est, quæ effluuium cohibeat: Aliàs ex mutatione cõstitutionis in nonnaturalem, sympathiam adesse suspicandum est. Primùm igitur idiopathiæ sedem: deinde speciem prudens medicus percontetur. Pudendum enim foris phimosi clauditur, pudendi verò ceruix, tumore, tuberculo carnoso & interueniente membrana intercipitur, ostium inter-

num callo,vlcere,tumore, & obliquitate, ſicuti totum corpus vteri tumore vlcere cicatrice & intemperie nuda vel humorali laborat. Idiopathiæ verò ſpecies ſic deprehendetur phimoſis quidem & obſtruens ceruicem pudendi affectus, tactu viſúque per διοπτραν, obliquitas oris interni ſicuti conſtrictio & durities,tactu obſtetricis : tumores vteri tactu quoque & propriis doloribus agnoſcuntur, ſicuti & tumor abdominis à pinguedine : obſtructio à grauitate imi ventris, & vteri, & obſtruentis humoris ſpecies à prægreſſo victu. Intemperies denique nuda ex leuitate partium vicinarum : humoralis contra ex grauitate modica percipitur. Porro quæ calida eſt nudáque,ex caliditate totius corporis,pulſu frequenti,oris ariditate, fiſſura labiorum, libidine procliui pubéque denſa, frigida ex contrariis cauſis ſigníſque præcipuè ex faſtidio veneris tardáque per coitum ſeminis excretione deprehēditur. Humoralis ſpecies,perinde vt obſtructio, internoſcenda.

Iam verò ſi nulla ſit idiopathia,ſympathiam neceſſe eſt ſubeſſe & per intemperiem vel toti corpori communem,vel viſceri alicui propriam:communis ex natura ætate & antecedenti diæta obſeruatur,necnon ex effluuij ſubſtantia,colore ac ſenſu. Flaueſcens enim mordax & tenue bilioſam intemperiem inſinuat.Contra albicans craſſúmque & viſcoſum vel ſeroſum liquidúmque pituitoſam. Viſcerum peculiares intemperies & affectus ſanguinem vitiantes vnde ſuppreſſio, ex propriis pathognomonicis ſignis deprehenditur.

Prognoſtica.

VAcuatio menſium moderata ſanitatem tuetur fœ-

fœminarum,caſtitatem & fœcunditatem:immoderata vtramque demolitur. Suppreſſa vacuatio muliebrẽ habitũ in virilẽ barbatumq; ſæpe cõmutat. Suppreſſio menſium poſt ſex mẽſes incurabilis eſt, quæ ex obliquitate vteri eſt:at ex aliis orta vitiis vteri,vt intemperiebus,obſtructionibus,aut ex ſympathia totius corporis curabilis fuit poſt quatuor annos apud Hippo.6.epid.ad finem & poſt ſeptem etiam annos lib. 4. Idiopathici morbi prima huiuſce operis de muliebribus parte, omnes fere percurati ſunt:vt tumores,tubercula,vlcera,cicatrices, obliquitates. Intẽperies vteri ſolæ ſuperſunt curandæ, tũ nudę,tũ humorales:& vtræque tũ inſitæ tum aduentitiæ: Illæ autem menſtruo fluxui conceptuique pariter officiunt: ſiue vteri facultatem conceptricem lædendo : ſiue eandem impediendo: menſtruumque aut conſumendo ſanguinem : aut ne effluat, cohibendo:frigida enim calorem ſeminis ſpirituumque generatorem extinguit , aut certe non fouet & excitat: ſemenque ipſum languidius attrahit : quod etiam attractum acetabulis non copulatur conniuentibus ob vteri ex frigore ſpiſſitudinem venarumque anguſtiam:vnde menſtrui ſanguinis effluxus prohibetur : iuſtumque & idoneum ſemini alimentum ſubducitur,craſſeſcente ſupra modum & lenteſcente (quiſquis affluit) ſanguine. Intemperies calida ſpiritum calorémque reſoluit, & ſeroſam ſeminis ſubſtantiam fluxus adiutricem conſumit. Intemperies humida menſtruum quidem tranſmittit, ſed ſeminis calorem vligine ſua extinguit:neque idipſum præ leuitate & lubricitate retinet : Sicca intemperies ſeminalem materiam veluti abſorbet: ipſumque alimenti penuria & ſan-

guinis reficcatum reiicit.

Curatio intemperierum vteri.

INtemperierũ curationis primum inſtrumẽtum eſt diæta ſingulis contraria tantum ſi nudæ ſint, aliàs etiam humoribus comitantibus, vt calidarum, frigida humida &c. ex cibo potuque vberiori & humidiori, qualia ſunt iuſcula recentium carnium vt agnorum, hœdorum, porcellorum, pullorum, elixatarum cum foliis frigidis herbarum lactucæ endiuiæ, acetoſæ, portul. cucurb. cucum. tales ſunt fructus recentes, poma, pyraque, vinum album, tenue, non vetus multa aqua dilutum.

Alterum inſtrumentum curationis eſt pharmacia medicamentis conſtans intemperiei contrariis ſiue aſſumendis, ſiue admouendis, ſiue immittendis. Admouentur balnea, inſeſſus fotuſque, litus & vnguenta: immittuntur ſuffitus, peſſaria, clyſteres: aſſumuntur iuſcula; ſeruata remediorum vbique contrarietatis lege. Ergo in calida intemperie, admouenda comparantur ex decoctis herbarum florumque refrigerãtium vt lactucæ ſolani plantag. viol. cucumerariæ cucurbitariæ melonum, florum trium communium, & nenupharis: adhibentur autem mane & veſperi (vt alterantia omnia præcordiorum regioni) abſoluta coctione prima, inanique ventriculo, ne chylus crudior deſcendat, & tepida ne euocato ſudore humor contumaciter affixus hæreat parti, ſitque longior in illis mora. Litus ſiue embrochatio fiet ex oleis frigidis violarum roſarum nenupharis addito aceti albi momento penetrationis cauſa. Ex iiſdem oleis vnguenta concinnabuntur admixtis pulueribus

ribus refrigerantium vt santali albi & rubri seminum lact. acetosæ portul. rosarum & florum nenupharis.

Suffitus parabitur ex decocti eiusdem feruentis vapore per siphunculum ligneum vt buxeum, vel arundineum, aut ferreum etiam, panniculis obuolutum in pudendi ceruicem vsque ad os eius internum transmisso.

Pessaria ex gossipio, lana, vel linteolo concerpto constent, digitali crassitie, longitudine sex digitorum, tereti forma, & inuoluta linteolis, quorum materia frigidarum herbarum succis imbuta sit vt lact. plantag. solani, vel vnguentis frigidis admixtis. Virginibus noduli aptiores sunt glandis magnitudine. Porro isti curationi nudæ intemperiei vteri præmittenda est purgatio vniuersalis, tametsi nulla corporis cacochymi sympathia metuatur: nequid sordium vi topicorum è vicinis visceribus ad vterum deducatur. Eadem est reliquarum intemperiei nudæ specierum methodus curatiua: eadem remedia, per contrariam diætam, & pharmaciam, idem remediorum vsus: vt mox palam fiet in humoralium curatione: nullius enim partis nedum vteri intemperies longo tempore persistunt nudæ, & citra humoris vitiosi prouentum, ex tertiæ coctionis reliquiis sensim collecti: vt in vteri cotyledonibus vasisque eiusdem spermaticis: à quo præterfluens sanguis impeditur, supprimique magis vel minus solet, pro obstructionis maioris minorisue conditione. Humoralis autem huius intemperiei curatio eadem est, excrementitij verò humoris biliosi, atrabiliarij, pituitosi, serosi,

saniosi,purulenti,crassi,viscosi,tenuis,flaui, viridis, albidi,rubei,nigri,verminosi,putris, fœtidique,argumentum est ichor ab vtro sensim diffluens: quænam autem ipsius, ac proinde & intemperiei humoralis sit species,ex substantia,colore, odore,pudendi dolore,vel indolentia statuendum erit. Præmittenda quoque erit intemperiei humoralis curationi purgatio vniuersalis, quæ cacochymiæ respondeat: ne qua eius portio è vicinis partibus calore tractuque topicorum ad vterum deducatur.

Exemplum cholagogæ purgationis.

♃ pulu.hieræ ℥ ij pilul.aurearum & de agar. ana ℥ j diagrydij g.vj.cum succo mercur.fiat massa mollior:capiat ℈ iiij in pilulis vij vel viij. horis duabus post mediam noctem.

℞.rhab.in aqua end. per noctem infusi ℥ j ß spicæ nardi ℈ j in expressione dissol.elect. diapruni solutiui ℥ ß syrupi de cichor.compositi ℥ j fiat potio, detur sub auroram.

Exemplum phlegmagogæ purgationis.

♃. pul.hieræ & bened. laxatiuę ana ℥ j gummi ammoniaci ℥ ß trochiscor.alandal.g.vj. cum aqua artem.fiat massa,capiat ℥ j in sex vel septem pilulis post primum somnum.

℞.fol.sennæ mund.℥ ß agar. trochisc.℥ j zinzib. ℥ ß infunde in ℥ iij aquæ artemisiæ per totam noctem.In colatura dissolue electuar.indi maioris vel diaphœn.vel de citro ℥ ß fiat potio, quæ detur sub auroram.

Purgatio melanagoga ex pilul. de fumaria & de la-

de lapide cyanæo ana ad ʒ ß formentur pilul. vij. cum aqua hyſſopi deauratæ. ſic denique ex electar. diacarth. & confect. hamech ana ad ℥ ß fiat bolus. Purgationi iſti vniuerſali particularis vteri vacuatio mox ſubiungenda eſt per medicamenta alterantia tergentia & incidentia, magis quidem in pituitoſa & melancholica, minus in bilioſa cacochymia, eaque ſumenda, admouenda, & immittenda, quacunque forma ſolida, media, liquidaque: ſed omniũ præſtantiſſima forma liquida eſt: vt pote quæ magis penetret ad partem intimam & diſtantem. Sic ergo pituitoſa curetur.

℞. rad. enulæ camp. iridis hort. brioniæ, cucum. agreſtis ariſtoloch. rotundæ gentian. ana ℔ ß fol. puleg. ſcordij thanaceti matricariæ abſinthij, conizæ ſabin. artemiſ. nepitæ ana m ij. flor. centaurij minor. chamæm. & anethi ana p. ij. decoquantur in aqua ſufficienti addendo vini albi partem decimam pro balneo, quod ingrediatur mane & veſperi longè à paſtu: & moretur in eo quam diutiſſimè poterit, ſine ſudore, per tridui, aut quatridui ſpatium. Efficacior eſt facultas balneorum naturalium nitroſorum bituminoſorum chalcanthoſorum, &c. modo abſit ſudor; balnei tædium inſeſſus fotúſque ſuppleat; litus & embrochatio conſtet infuſis oleis odoratis & inſtillatis in regionem vteri vt laurino, coſtino, irino, ſpicato, anethino & muſcatellino. Ex iiſdem oleis addito ceræ triente & pulueris prædictorum aromatum quadrante fiant vnguenta; quorum vicem gerat emplaſtrum pro matrice: ſic enim eorum facultates facilius penetraturæ ſunt ad vterum. Ex immittendis ſunt ſuffitus & peſſaria, illi quidem fiunt

ex vapore eiusdem decocti quod ad balneum comparatur, vel aromatũ in trochiscos redactorum: vel benioini, styracis calamitę, spicæ, schœnanthos, calami aromat. idque cum terebinthina, vel vino generoso. Vapor autem iste in vterum transmittẽdus est per siphunculos prædictos: pessaria verò absinthij, aut artemisiæ, aut rutæ, aut iridis, aut mercurialis succo saturata & linteolis inuoluta vicissim intromittenda sunt extra balneum: quod suffitus perpetui non sint, morentúrque diutius in ceruice pudendi pessaria, à quibus vteri vicini sordes amoueantur, attenuando tergendo & veluti liquando: hæc tamen purgante etiam aliquo electario imbuta: vt hiera, benedicta, diaphænicone, efficacissimè excrementa vteri protrahunt. Ex assumendis exemplo sit hæc potio in exitu balnei sumenda.

℞. rad. enulæ camp. valerianę, iridis hortensis, & rubiæ maioris ana ℥ ij fol. marrubij albi, nepitæ, artemis. matricariæ, melissæ, hyssopi sabinæ ana m. j. cicerum rubeorum, florum anthos & borraginis ana p. j. coquantur in æqualibus partibus aquæ & vini albi, In colat. ℔ ij dissol. mellis albissimi quartar. j. cinnam. ʒ ij. fiat apozema clarificat. pro vj. dosibus. Similes potiones fiunt ex trochiscorum de myrrha ʒ j. cum vino albo vel aqua artemis. ex pulu. prassij albi aut rad. dictamni albi aut cinnam. ʒ j. cum vini albi vel hippoc. ℥ iiij. mane sumendæ, ex theriacæ veteris ʒ j. vel ij. cum eodem vino. Nostro more sæpius ex ℥ j. vel ij. syrupi de hyssopo de artemis. aut de quinque radic. cum aqua melissæ aut artemis. aut fœniculi propinantur in egressu ex balneo. Huius quoque pulueris in

ciendis

ciendis mensibus & expediendis viis vteri vsus efficacissimus est.

℞.rad.arist.rotund.gentian. irid.& enulæ camp. ana ℥ ij baccarum iuniperi, seminis nigellæ romanę schœnanthos myrrhæ electæ & castorei ana ℥ j. cinnam.&zinz.ana ℥ ß gummi ammoniaci cum vino albo dissoluti quantum suff. fiat massa de cuius ℥ j. fingantur pill. iiij. vel v. dentur ad auroram superbibendo decocti cicerum rubr. folior. prassi & artemis. & hyssopi ℥ ij. vel iij. hic puluis incorporari potest cum conserua flor.anthos vel borrag. tegendi amaroris causa vt fiat opiata ad ℥ ij. vel iij. deuoranda. Absoluta vacuatione particulari tum primum reuulsionibus, tutus locus futurus est (neque enim ad impeditas & obstructas adhuc venas vteri sanguis è vicinis partibus inuitandus est) per duras frictiones tibiarum, femorum, lumborum, arctas deligationes pedum femorúmque, cucurbitulas inguinibus affigendas, & per sectionem saphenæ in poplite vel malleolo parcè, & sæpe repetendam, aduentante consuetæ emptionis mensium tempore; vt virginibus in noua luna, adultis in plena, senibus in deficiente móxque defectura: atque hoc esto exemplum curationis reliquarum vteri intemperierum humoralium: obseruata semper contrarietatis remediorum lege. Quod si morbi quidam idiopathici menstruum sanguinem supprimentes incurabiles sint: tum copia illius circuncidenda est, per dietæ tenuitatem, labores vehementiores, crebrasque purgationes & phlebotomias in flexu cubitorum. Ita enim valetudinis incommoda multorumque morborum pericula menstruo liberata fœmina.

effugiet: quos conuerso deorsum sanguinis motu incurret si vterus laxari & aperiri nequeat, vt ait Aetius.

De curatione morborum sympathicorum & imprimis intemperierum.

IAm vero si absit idiopathia, sympathiæ species accuratè obseruanda est, nam vt à communi totius corporis, sic à priuata viscerum intemperie sanguis vitiari solet: vt aut desit superfluus: aut fluxui sit ineptus: Hoc dico præsertim de visceribus illis quæ hepatis αἱμάτωσιν iuuant, quatenus vel sanguinis materiam præparant quod facit ventriculus, vel eandem suis excrementis liberant, quod faciunt cystis fellea, splen, renes, & vesica, quorum omnium errore excrementa propria sanguini remiscentur. Cæterum viscerum singulorum affectus eorúmque signa diagnostica à quibus menstrua excretio interturbari potest, totaque therapia, grandiori nostro opere de singularibus partium omnium morbis fusius docebitur. Nunc autem intemperies tum communes: tum habitus vitia excretionem menstruam supprimentia perscrutamur. Fœmina igitur biliosa calida siccaque siue natura & ætate siue ex labore & eduliis acrioribus nullos aut paucos menses effundit: estque habitu virili hirsuto beneque compacto, artubus neruosis & robustis, pectore humerisque latioribus, mammis paruis & solidis lumbis & strictioribus clunibus, colore fusco. Curatur hæc intemperies aliarum humoralium instar duplici indicatione, alterandæ scilicet intemperiei contrariæ: & vacuandæ cacochymiæ biliosæ

biliosæ sanguini permixtæ. Vacuatio rursus duplex est: sectio venæ sed modica, quæ temperet sanguinem & viscera educto vapore acri: tum purgatio quæ cacochymiam excernat prius coctam probeque subactam à medicamentis alterantibus: quibus præparatio primæ corporis regionis præmittenda est, intestinorum quidem per clysterem emollientem & refrigerantem: ventriculi & mesenterij per minoratiuum leneque medicamentum. deinde coctio cacochymiæ adiuuanda per triduum, iulepis vel apozematis frigidis & modice aperientibus: postremo concocta bilis valentiori purgatione cholagoga excernenda est. Sic igitur fouentis causæ intemperiem ablatio curatioque præcedit, tum demum succedit intemperiei calidæ post vacuationem relictæ curatio per alterantia frigida humidaque sumenda & admouenda. Hæc methodus curatiua est, cuius materiam & vsum leges prima huius operis parte. Intemperies pituitosa ob crassitiem lentoremque sanguinis, excretionem mensium intercipit, tum obstructis vterinis venis, tum cotyledonibus obducto muco obturatis: qui ex nutritione vteri membranei frigidíque redundat: Hæc vero intemperies pituitosa vel insita vel aduentitia est: vt à victu frigido humidoque, somnolentia, voracitate, otio, crebrisque balneis & copiosa aquæ frigidæ potione fructuúmque & acetariorum ingurgitatione. Signa sunt habitus crassus, color albus siue plumbeus, venæ paruæ, pulsus exilis & rarus, pituitæ aquosæ assidua expuitio, & aliquando vomitio crassæ & mucilaginosæ: somnolentia, ignauia mentis, sensuum stupor,

omniumque motuum torpor & inertia. Hæc intemperies eadem methodo summouenda est: duplici sc. indicatione alterationis & vacuationis: tribusque instrumentis diæta pharmacia & chirurgia. Diæta igitur calida & sicca attenuans tergensque ei opponatur ex aere calido naturâ vel arte; eduliis acrioribus, vini veteris vel marina aqua diluti potione, laboribus multis tum corporis quales in fœminis sunt gestationes vehementiores, tum animi vt sunt curæ rei familiaris: Pharmacia alterans vacuansque comparetur, illa quidem calida siccaque tergens & attenuans ob intemperiem sanguinemque frigidum lentum & crassum, quem suo calore dissoluat. Hæc phlegmagoga sit cacochymiam pituitosam quæ concoqui & assimilari non potest euacuans tam per deiectiones quam vomitum.

Alterantis pharmaciæ materiam suggerent medicamenta acria, sumenda sub forma apozematum iuleporum puluerum & tabellarum, quorum omnium vsus in plures dies ob humoris contumaciam vt sex vel septem producatur: his autem præmittenda est purgatio vocata minoratiua, ne alterantium tenuitate primæ regionis cacochymia viscerum venarumque obstructiones ingeminatura in secundam tertiamque inuehatur, & facilius in habitum penetret: sed insuper huic purgatiunculæ, clyster molliens, & intestina abluens præmittendus erit. Phlebotomia quoque minoratiuæ potioni subiungenda est. idque in brachio dextro: quia cacochymiæ coniuncta est plethora. Modus eius ægræ fœminæ viribus respondebit.

Vbi

Vbi autem causa antecedens, sanguisque venarum maiorum minorúmque alterantibus remediis probè subactus videbitur: tum validiori purgatione phlegmagoga educetur, causáque deinceps coniuncta, id est caeochymia pituitosa vteri venulis & cotyledonibus impacta dissoluetur, abstergetur, digeretur, & extrahetur, idque per admouenda, qualia sunt balnea, eáque vel naturalia vt sunt nitrosa sulfurea, &c. vel artificiosa ex remediorum acrium, amarorum, detergentium decocto. talia etiam sunt linimenta, vnguenta: tum per immittenda vt suffitus clysteres vterinos & pessaria à quibus vterus ad expulsionem irritetur & vacuatio pituitę prouocetur, vt sunt acria amaráque: aut etiam vere purgantia: tum denique per assumenda vt theriacam. Tandem post eductam continentem causam absterśumque vteri venularum & cotyledonum omnem infarctum, reliquum est vt natura consuetudini pristinæ assuescat motúsque sanguinis ad vterum prouocetur per tibiarum femorum lumborũ duriores frictiones & deligationes, cucurbitulas & phlebotomias in talo vel malleolo frequentes. De vtriusque intemperiei curatione & curationis materia vsúque consule primam huius operis partem.

De menstrui suppreßione ob habitus craßioris vitium.

VT intemperies naturalis calidior frigidiórq; totius corporis de qua antea: sic habitus crassus & gracilis mẽstruam purgationem prohibet. Est autem habitus crassus duplex. Vnus plethoricus, alter præpinguis: ille crassus est solidúsque, non valde adiposus, colore faciei ex albo rubescente,

venis & arteriis mediocribus, calore miti, moribus tranquillis, & hilaribus, vrinis copiosis, & sudoribus profusioribus. Causa effectrix huius habitus est insita aut aduentitia: illa calida humidaque est temperies hepatis cordisque, id est totius corporis, ętasque adolescens aut iuuenilis. externæ causæ sunt prope similes omnes: id est, temperatæ aut calidæ humidęque: vt aer vernus, ciborum euchymorum, præsertim vinorum vbertas: exercitationis, somni, & vigiliarum mediocritas: vitæque hilaritas: ab vtrisque causis internis externisque, sanguinis multitudo vasorumque plenitudo oritur, plethora dicta, eáque vel pura vt virorum, vel paulo impurior magisque pituitosa fœminarum. Hæc vero præsertim quæ ad vasa dicitur, venas diducit disrumpitque aliquādo, vnde hæmorrhagiæ & phlegmones viscerum, easdemque obstruit & calorem suffocat, vnde putredo febresque ardentes, vt synochus putris, & vacüationem menstruam supprimit. Dignoscitur plethora communibus signis tum vtriusque sexus communibus, vt lassitudine tensiua, & grauitate totius corporis, venarum & arteriarum immodica mole, & duritie, habitu crasso solidoque, tum fœminarũ propriis vt intermissione excretionis menstruæ, (eiusque tempore præterito) dolore lumborum, hypogastrij, femorum, colli, sincipitis, & radicis oculorum: flatuosis vaporibus: vnde distensiones crebrique horrores, fastidium, vrinæ rubræ, & aliquando nigrantes: tumor mammarum. Duæ hîc indicationes occurrunt, vna est alteratio naturæ, altera vacuatio plethoræ. Alteratio autem fiat naturæ etiam salubris in frigidam siccāque idque per diætam tenuem laboriosam, per quam carnium

nium,vini saltē vinosi,ciborum euchymorū,& iusculorum vsus remoueatur:somni spatium consuetū contrahatur,laborque augeatur. Vacuatio phlebotomia constat: primum quidem in cubito dextro: vt promptè plethoram inaniat : idque ad duas vel tres libras affatim , vel potius partitè : ne lipothymia habitum venasque perfrigerando constringat: idque non semel tantum aut bis in anno vt vere & autumno (quanquam his temporibus magis copiosè:) sed per singulos menses ex pede scilicet appropinquante consueto mensium tempore. quod si forte fœminam lateat; lunæ quadra eligatur eius ætati & naturæ magis consentanea. Huic phlebotomiæ clyster mollis & detergens,sicut & leuior purgatio primæ regionis præmittenda ex cassiæ medulla: vel syrupo rosar. laxatiuo: vel catholicone post causæ antecedentis & vniuersalis plethoræ vacuationem : particularis quoque venarum vteri plenitudo vacuanda & dissoluenda est , primum quidem sectione venarum malleoli in vtroque pede: quæ sanguinem circa vterum hærentem deorsum deducat: viasque reliquo venarum maiorum sanguini aperiat : idque instante menstruæ fluxionis consuetæ tempore , tum per balnea laxantia vias , & impactum venis sanguinem fundentia; & veluti liquantia; vt sit magis liquidus , & ad fluxum pronus. Eadem facultate olea, linimenta , vnguenta, ventri imo sunt inducenda mox ab exitu ex balneo:eademque hora iuscula aperientia propinanda ex decocto summitatum fœniculi , petroselini, cerefolij , hyssopi cum cinnamoni ℥ j & croci ℈ j.

similes sunt iulepi ex syrupis de quinque radicibus oxymelite simplici, oxysaccharo, & bizantino, cum aquis graminis acetosæ, cichorij, artemisiæ. Balnei prædicti materia constat radicum althææ & liliorum ana ℔. duabus, ex foliorum herbar. quatuor remollit. artem. nepithę agrimon. ana m. iiij. ex seminis lini vel fœnugręci lib. j. ex flor. chamęmel. melilot. anethi & sambuci ana p. ij.

Alter habitus prępinguis crassus quoque, est carnosus & mollior, arteriis venisque minoribus, colore albescente, moribus ignauis, corpore inerti, animo hebeti, (crassos isto Cæsar non metuebat) Huius causa efficiens aut interna insitaque est; vt natura frigidior humidiorque, ętas integra. Externæ sunt, diæta indulgentior, desidiosa, somnolenta, curarum & negotiorum secura, multis cibis præsertim humidioribus & liquidioribus constans. Est autem pinguedinis materia nihil aliud, quam aerea magisque oleosa sanguinis portio, ex venarum tunicis exudans excidensque in membranam, eamq; præsertim quæ cuti subtensa est, cuius frigiditate congelatur, ideoq; reliquorum humorum frigore congelatorum ritu liquatur & diffluit. Neque circa particulas calidiores vt iecur venas arterias cordisque mucronem coire solet. affunditur autem membranis naturæ consilio vt eas humectet quod inediis & vehementibus caloribus motibusque celeriter exsiccentur. effectrix itaque causa calor est remisior, hinc pituitosę & sanguineę naturæ facile pinguescunt pinguedine naturali: non biliosę neque melancholicę.

acqui-

acquisititia autem facile in calidis humidisq; naturis colligitur sed maxime in subfrigidis. Hinc apud Hippocratem libro de aere aq. & locis Scythicę mulieres ob perpetuam in rhędis suis desidiam lactisque ingluuiem pinguiores & steriles erant:. quarum famulę ob sedulitatem graciles & fœcundę virorumque appetentiores erant. Sic quoque venter ob viatici pręsentiam otiumque maxime pinguescit supra reliquas partes labore perpetuo exercitas.

Habitus obesus sterilitatem vtrique sexui inducit, ob seminis inopiam: mulieribus verò menstrui defectum ob frigidiorem humidioremque temperiem, venarumque angustiam: vnde raros concipiunt, eosque admodum imbecilles fœtus: quinetiam obesitas breuitatem vitæ vtrique sexui conciliat Hippo.aph. 44. lib. 2. cum sit natura obesorum frigidior, paucusque valde tum sanguis tum spiritus eiusdẽ, vnde imbecillis facultas est vitalis: venę etiam arteriæque angustæ: atque hinc facile obstruuntur & putredine ac febribus occupantur: (habitu præsertim ob frigiditatem densiori minusque perspirabili) Hoc autem de obesitate naturali statuendum est non de aduentitia. Nam si quis natura mediocris, victu subinde pleniori, otio, somnoque, obesior euadit: is non continuò quam gracilis citius moritur, quòd venas & arterias latas habeat caloremque natiuum minime imbecillem & extinctioni obnoxium. Pariter si forte fœmina non ab ipso ortu pinguis, menstruata esse desinit, & sterilis redditur, non est credendum id fieri ob seminis aut sanguinis penuriam: sed ob vteri adstrictionem, à mole im-

flexu: sed per singulos menses ex malleolo pedum, exigua tamen parcáque repetatur instante mensium tempore: pharmacia alterans calfaciens & attenuans constet sumendis electariis, & pulueribus calidioribus, aut vino hippocratico qualis est theriaca & mithridatium vetus & diatrium pipereum. De his remediis consule curationem intemperiei frigidæ humoralis vteri.

De habitu gracili.

HAbitus gracilis vel macilentus est contrarius vtrique habitus crassi speciei, tum plethorici tum præpinguis. Est enim gracilitas siue macies nihil aliud, quam paucitas humidæ corporum substantiæ: vt sanguinis, adipis, tenellæ & recentis carnis. Gracilitatis duæ sunt differentiæ. Vna naturalis & proprie dicta, eaque vel ab ætate senili, vel à natura sicciori, tum calida, vt biliosa, tum frigida, vt melancholica: Harum in eo positum est discrimen, quòd melancholici magis musculosi sint quam biliosi: quia scilicet illorum cutis quodammodo est adstrictior, & sanguis quo alitur habitus, crassior, sanguis autem biliosarum naturarum tenuior magísque dissipabilis: cutísque rarior & transpirabilis. Altera differentia acquisita est, quæ extenuatio propriè dicitur, ex aph. 7. lib. 2. eaque duplex: vna non naturalis tantum à causarum externarum exuperantia calidarum vel frigidarum vt cælo æstuoso aut algido, alimentis acrioribus vel arte vel natura & apparatu vt salsis frixis piperatis sinapisatis, tristitia, mœrore, laboribus immodicis, doloribus, vigiliis, diuturnis studiis, attentioribus curísque grauioribus, quibuslibet denique vacuationibus im-

moderatis: vt ſudore vberiori, vomitione, aſſidua diarrhœa, vrina copioſa phlebotomia hęmorrhagia ſpõtanea, per diuerſas ſedes vt nares, hęmorrhoides pulmonem, ventriculũ. Altera acquiſititia extenuatio contra naturam eſt, & ſymptomatica à morbis vel acutis, vt febrib. ardentibus: vel longioribus, vt hecticis. Gracilitas ſenſilis eſt viſúque & tactu perceptibilis, ex vacuitate laxitate & mobilitate cutis. Prognoſtica ſigna multa ſunt, tum quod gracilitas officit fœcunditati vtriuſque ſexus, cui communis eſt, dum ſeminis materiam, ſicut mulieribus priuatim excretionem menſtruam ſubducit: tum quod graciles ægrius reficiantur, quam obeſi extenuentur. Humectatio enim tardior eſt quam exſiccatio; tum quod humida qualitas minus quam ſicca efficax, tũ quod humoris primigenij inſtauratio multò magis ſit ardua, ob caloris inſiti & facultatum attractricis coctricíſq; partiũ ſpermaticarũ debilitatem habitúſque præſertim in acquiſititia denſitatẽ, tum quod naturarum bilioſarum & calidarum humor tenuis ſit & diſſipabilis, cutis rara & tranſpirabilis & ſecundarij humoris à calore occurrente incraſſati tardior ſit adhæſio & appoſitio, tum quod gracilia corpora aeris iniuriis vt calori frigoríque magis pateant. Contra obeſa internis vt febribus & viſcerum inflammationibus obnoxia ſint ob exiguarum venarum obſtructiones, vnde etiam obeſorum quam gracilium vitæ ſpatium contractius eſſe ſolet, tum denique quod gracilitas ſæpius vniuerſalis ſit, aliquãdo etiam vtero propria ex aphor. 44. & 62. lib. 5.

Correctionis omnium gracilitatis differentiarum ars pendet ex analeptica quæ inter hygeenen & the-

& therapeuticen media est. quia alitione vacuatam corporum substantiam resarcit: corrigendo interim leuiora intemperiei & cacochymię vitia. In hac enim gracili constitutione, prima & maximè generalis indicatio sumpta ab alimenti penuria, est renutritio cuius præcipuum & singulare instrumentum est diæta, quæ ciborum plurium euchymorum & eupeptorum appositione deficientem & dissipatam quacunque à causa naturali nonnaturali & cõtra naturam corporum substantiam restituat. Alterum eiusdem operis priusque vsurpandum instrumentum est pharmacia quæ tum cacochymiam naturarum biliosarum & melancholicarum è prima corporis regione leniendo, vt per cassiam syrupum de rosis pallidis electarium diacatholiconis, diaprun. simplex & ex secunda mediocriter trahendo, vt per sennam agaricum & rhabarbarum, prætermissis omnibus diagrydiatis & colocyntisatis, siccitatem maciémque augentibus euacuet, ne vitiosus ex eius mixtione sanguis nutritioni ineptus sit. Pharmacia deniq; siccitatẽ caliditatẽ frigiditatẽ naturalẽ temperet per admouenda: vt balnea fotus litus vnguenta regioni hepatis cordísque & totius spinæ mox ab exitu ex balneo applicanda. Item per assumenda vt edulia liquida aut mediæ consistentiæ. Diætę analepticæ materia est aer siue natura siue arte temperatus (qui enim eiusmodi est vtrique temperiei frigidæ calidæque aduersatur) cibi alimentosi crassi lentíque euchymi eupepti liquidíq; vel mediæ consistentiæ, vt promptè salubriter & constanter recreent & instaurent. Tales sunt bubulæ vitulorum veruecũ porcellorum agnorum, gallinaceorum omnium, turdorum perdicum phasia-

norum pipionũ carnes, eæque elixatæ potius quàm tostæ. tale vinum rubrum generosum & mediocris substantiæ. tales fructus thoracici vt amygdalæ dulces, auellanæ nuclei pinei dactyli, passulæ, caricæ & pistacia. Porro ex carnibus illis elixatis & contusis expressísque iuscula parantur vt vocant consummata; vel panatellæ amygdalata hordeata mixtis vbique ouorum vitellis. Indè quoque fit obsonij genus vocatum (*le blanc manger*) ex pulpa contusa caponũ cum amygdalis dulcibus, orizæ farina, lacte & saccharo & moscho. Fiũt quoque panes martij ex eadẽ pulpa caponum vel perdicum cũ amygdalis & saccharo contusa. Fiunt denique tartæ vulgo vocatę ex iisdem carnibus contusis cum amygdalis dulcibus nucleis pineis in lacte infusis, farina orizæ & saccharo simul mixtis coctisque in furno. Commendantur quoque testudinum elixatarum carnes, earùmque iuscula addito pauco vino albo, vitelli ouorum, lac vaccinum vel ouillum potius quam asininum & caprillum. Somni denique sint longiores, matutini, & nocturni, à pastu breues: frictiones fiant leues totius corporis, balnea denique instituantur tepida, donec refrigescant leuiter: quo fit paulo adstrictior cutis: ne alimentum exhalet. In exitu ex balneo vt & in introitu iusculum aliquod aut expressum carnium aut gelatiua etiam exhibeatur.

De mensium translatione ad alias partes.

CAusarum multiplicium suppressionis mensiũ vltima est eorundem ab vtero ad alias partes translatio. sæpius quidem eo quod ipse vterus tumoribus præter naturam, obstructionibus, obliquitatibus,

tatibus,& intẽperiebus humoralibus infestatur, vnde fit vt mensiũ effluxioni viæ venæq; vterinę, & cotyledones nõ pateãt neque explicentur. Alias tamẽ proprio naturæ motu auersio hæc fit, vtero etiam incolumi: neque menses fluxuros respuente: Fit autem eã mensium transmissio à natura in eas partes quibuscum vterus ipse consentit. Tunc enim accidit: vt vterinæ venæ in vicinas: hæ rursus in alias vicinas redundantem sanguinem vicissim eructent: donec per consecutionem quandam reliquæ venæ impleantur. Transmissus itaque hoc pacto sanguis aut in venis subsistit, in quibus præ obstructione & putredine febres ardentes maximéque acutas accendit. Quod si ex iisdem violenta distensione diuulsis in viscerum aliarúmque partium substantiam eruperit: phlegmonas calamitosas alióśque tumores excitat: vt phrenitides, peripneumonias, aut hydropes, sed si ex iisdem venis per anastomosin reclusis foras extra corpus excludatur, in modum periodicæ menstruæque excretionis erumpere solet. Consentit autem vterus cum omnibus corporis partibus, præsertim cum principibus aut quæ ipsis inseruiunt, per numerosas venarum propagines à caua deductas, cui annectitur per venas spermaticas vterus. Hinc igitur per nares ex cerebro: per pulmonem expuitione: per ventriculum vomitione: per renes & vesicam mictione: per hæmorrhoidas è ramo splenico: vel è vena caua, per intestina ex repleto mesenterio: vel per dysenteriam cruentam in mutilatis cõsuetoq; victu vtentibus: per pedum vlcera κακοήθη: per alueolum dentis euulsi; per vmbilicum periodica & menstrua excretione, sanguis menstruus ab vtero reflexus aliquando prorũ-

pit. Eiusmodi autem mensium transmissionem superiorem omnem Hippocrates apho.25.lib.5.improbat; inferiorem probat tantum: si niger sanguis effluat: idem tamen suppressionem mensium ab hæmorrhagia suppleri docet eodem libro: quare sententia prioris aphorismi ita accipienda est. Si nulla adsit plethorę puræ vel impuræ aut suppressę vacuationis menstruæ oppressio: tunc enim veluti naturalis est: & fœminarum incolumitatem tuetur. non naturalis tamen ea ratione habenda est quod non per viam conuenientem id est vterum fiat: neque fœcunditatem tueatur. Transmissionis huius indicatio curatiua duplex est, prior venarum vteri apertio, posterior sanguinis ad eundem reuulsio: apertionis instrumenta materiaque exposita fuerunt antea prima operis huius parte in tractatu de tumoribus. Pariter remedia quæ conferunt aduersus obstructiones & intemperies humorales proximis huius secundæ partis capitibus designata fuerunt. Reuulsionis quoque differentiæ sunt appositæ & vsus vt sectionis venarum in pedibus: frictionum violentarum, lumborum femorum & tibiarum, deligationum arctiorum ad pedes & ad femora digitis quatuor supra genu vtrunque: cucurbitularum magnarum iuxta inguina: vaporum, suffituum & pessulorum in ceruicem pudendi inserendorum. His reuulsionum differentiis locus non est nisi apertis prius venis: ne vteri substantiam cohibitus sanguis obruat, sicuti nusquam repercussio parti per quam effluit adhibenda est: ne partem principem impetat incessatque.

De

De immoderatis mensibus.

AFfectus hic priori & natura & effectis omnino contrarius est: prior enim, vacuationis menstruę naturalis & consuetæ retentio est, posterior hic immodica vacuationis eiusdem profusio, Item prior ille organicos maximè morbos in vtero suscitat, plerumque etiam in aliis visceribus, vt sunt tumores obstructiones vlcera & obliquitates: posterior verò totius corporis similares frigidos siccosque; spiritus enim & caloris cum sanguine priuatio frigus & siccitatem inducit: nisi forte ex cruditate ventriculi humiditas excrementitia luxuriet. Huc spectat Hippo. aph. 57. lib. 5. Menstruis abundantibus morbi eueniunt (scilicet in toto corpore) & subsidentibus ab vtero id est in vtero morbi. Porro hæc abundantia supra naturæ vitæque modum est: cum plus sanguinis per vterum excernitur: quàm ex propria fœminæ nutritione redundet. quare definiatur mensium redundantia, non dierum numero, vel periodorum ordine: sed multitudine quæ naturæ vitæq; ætatis, habitus, & cõsuetudinis modũ exuperet cum viriũ iactura. Differentiæ redũdantię duæ sunt, vna à causis externis internisque coniunctis, altera ab internis tam antecedentibus, quam coniunctis. Externæ autem sunt quæcumque corpus & sanguinem vehementius inflammant attenuant & ad fluxum commouent ita vt vaporum multitudine ferox & tumidus orificia venarum maiorum aperiat: minores aliquando disrumpat: eiusmodi sunt cibi acriores salsi piperati, motus vehementes sub cęlo pręsertim ęstuoso, iracundia truculenta & indomita. Coniunctæ

causæ sunt, venarum morbi organici duo, anastomosis, à sanguine replentę vel vellicante nimis, & diapedesis, ab intemperie frigida humida vt in hydropicis. Item communes tres diæreseos species, vt vulnus, & ruptio, à partu difficili, abortu violento, tribus præsertim à conceptu mensibus, vel ex improuida obstetricis parientium tractatione, erosio denique ab acrioribus & erodentibus venarum tunicas humoribus. Antecedentes causæ sunt plethora & cacochymia cum sanguine mixta: siue biliosa sit, siue pituitosa, & serosa, siue melancholica.

De signis diagnosticis.

HVius redundantiæ mensium, sicut & cuiuslibet hęmorrhagię, comes est ingens corporis visceruimque principum & eorum quę illis inseruiunt, perfrigeratio (ob caloris & spiritus vna cum sanguine effluxum) maxime vero partium illarum, quę ad proprij muneris functionem caloris magno subsidio egent, Hinc ex ventriculi offensione cruditas, cibíque fastidium oritur: ex hepatis vitio lęsaque hæmatosi crudior & humidior sanguis partes prę(ertim frigidiores, & à corde distantiores sero multo flatúque perfundit, atque hinc cachexia fœdúsque fœminarum in vultu & pallidus color: habitus subtumidus & flatuosus: œdematosus pedum & tibiarum tumor: ex cerebri iniuria mentis ignauia, sensuum stupor, motuúmque torpor, & totius corporis inertia, ob ineptam spiritus animalis substantiam: ex cordis denique offensione graui, mœror, tristitia, lipothymia, syncope, hydrops, mors denique certissima prouenit. Causę externę recentes, ex laborantium fœminarum aut assidentium ministro-

ministrorum iudiciis perspicuæ sunt. Internarum siue antecedentium omnium signa communia petũtur ex causis internis externisque: vt natura, ętate, habitu, victu prægresso, & consuetudine: Ita plethoræ ex natura calida humidaque ætate iuuenili habitu carnoso vitaque indulgenti. Cacochymię biliosæ ex natura calida siccaque, ætate iuuenili habitu gracili, totoque victu calidiori indicium sumitur. Pituitosa ex habitu præpingui, frigidiori victu & desidioso, maximè ex aquarum niuosarum & fructuum horęorum ingurgitatione internoscitur. Signa peculiaria ex substantia & colore excreti sanguinis depromuntur. Tẽperati enim sanguinis mediocris substãtia colorque floridus est, & cruori victimæ recẽs mactatæ persimilis: biliosus pituitosus & melancholicus sanguis experimento duplici eiusdem substantiæ & coloris explorandus est: tum eius in arenam sub æstuoso cælo & ardente sole infusione & exsiccatione, tum eiusdem in linteolum sub vmbra siccandum effusione: qui enim in arena aut linteolo emicat color, flauus quidem biliosum, albidus pituitosum, nigricans melancholicum renuntiat. Signa denique cuiusque venarum affectus ex copia modoque fluxus ducenda sunt: nam per anastomosin copiosus est facilisque laudabilis sanguinis fluxus: per diapedesin fluxus est longus sed parcior & indolens; & quidem sanguinis tenuioris biliosi aut aquosi: per ruptionem copiosus, & cum dolore, & à violentis sępius causis, vt casu, ictu, abortu, partuque, coitu effræni: aliquando etiam vi causarum internarum, vt à plethora: per diaurosin & erosionem parcus quidem & languidus: sed cum dolore fluxus est.

Signa prognoftica.

OMnium redundantię menſtruę ſpecierum difficillima eſt fereque incurabilis ea quę ex vere ri idiopathia vteri prouenit occalleſcentibus meati bus,tũ etiam quæ ex diuturniori ſympath a eſt: cũ ſit pars hæc ſuſcipiendis aliarũ partium excrementis ob decliuiorem ſitum opportuniſſima.poſtremo infinitis prope morbis frigidis corpus vniuerſum opprimit,tandemque cachexia pituitoſa & hydrope perimit.

Curatio prima differentiæ.

HOc ſymptoma id eſt redundantia menſium, quacunque ex cauſa fiat, indicationibus duabus curatur: vna ſanguinem fluentem, altera venarum morbos reſpicit. Vtraque eſt multiplex pro varia ſanguinis venarum morbique natura: vt mox patebit.In ea enim quæ fit ab externis cauſis calidioribus:ſanguini quidẽ fluenti reuulſio deriuatioque: eidẽ calfacto refrigeratio,attenuato incraſſatio oponẽda eſt.Sic in venarũ maiorũ anaſtomoſi & dilatatione, orificiorum conſtrictio cõpreſſioque, in minorum ruptione agglutinatio procuranda eſt. Hæc autem ſanguinis conſtitutio ab externis quidẽ cauſis nata eſt,indicat tamen remedia ſolaque eius indicatio curatiua habenda eſt: ſicut externarum cauſarum conſtitutionis in ſanguine ab illis relictæ propria eſt demonſtratio & diagnoſis:Symptomata quoque leuiora ſummoto morbo eorum auctore ipſa protinus ſummouentur: & tanquam cum cauſa ſua profligãtur:at grauiora peculiari curatione atq; adeò ante morbũ ſummouenda ſunt; vt quę viribus ſunt peſtifera,primíſq;morbis augẽdis vel nouis excitãdis idonea.Eiuſmodi eſt hæmorrhagia,quę ruptis

ptis vel apertis venis vires animamque cum sanguine profundit. Fluxionis igitur coercẽdę instrumẽta suggerit vnica chirurgia eáq; duplicia, tũ reuulsoria fluentis vel mox fluxuri sanguinis: tum deriuatoria iam fluxi ad vterum, venasq; eius implentis. Ex reuulsoriis sũt phlebotomia, hæmorrhagia nariũ, deligationes, frictiones, cucurbitulę. Deriuatoriũ vnicum est, apertio nempe hæmorroidũ per hirudines affixas vel scalpellũ chirurgicũ infixũ. phlebotomia prima quidẽ est & efficacissima in alterutro cubito: vbi altera vteri pars grauior & sanguine magis oppressa sentitur: vt fiat reuulsio κατ' ἴξιν venæ basilicæ vel mediæ, presso interim ramo qui à cephalica deducitur idque parce vt ab ℥ j. ad ij. singulis vicibus: sensimque vt bis terue in vno die & angusto vulnere: ne insignis spiritus & caloris iactura vacuationẽ sanguinis sequatur. Eadẽ sanguinis vacuatio, si vires sint debiliores, vtiliter tentabitur sectâ venâ dictâ saluatella, quæ inter annularẽ & auricularem digitum excurrit. denique hæmorrhagia narium admotis vel setis vel iuncis aculeatis tutissime proritabitur: loco phlebotomiæ deligationes arctiores fiant vel digitorum in manibus vel brachiorum iuxta axillas & mammarum ipsarum: item frictiones duræ & asperę brachiorum & axillarum, dolor enim calorque sanguinem retrahit, cucurbitula magna & cũ magna flamma sub mammis: & ad hepatis lienisque regionem: ad dorsum denique & lumbos etiam cum scarificatione admoueatur. Caliditatis & tenuitatis temperandæ instrumenta duo sunt, diæta & pharmacia. vtraque ad refrigerationem & incrassationem vergens. Diæta igitur constet aere frigido in conclaui aquilonio

aut gelida resperso, aut foliis ramisque frigidarum plantarum constrato; pane hordeaceo, miliaceo sequalino, pultibus leguminum, vt orizę, hordei, fabæ, cicerum, lentium coctis cum aqua ferrata: vel respersis succo austero mali granati, aurancij, limonij. Fructus quoque adstringẽtes prosunt: vt mespila, sorba cydonia corna & berberis: potus sit aquę pluuiæ ferratę: Si tamen defectionis virium ob vacuationis redundantiam metus sit, panatella triticea, vel semola quam vocant cocta cum pedibus vitulorum exhibeatur asperso puluere coralli vt ambræ citrinæ. Consummata quoque, iuscula carnium coctarum cum plantagine portulaca acetosa symphyto, conuenient, Item gelatinæ cum succo mali granati, aut omphacio præparatæ: vino quoque rubro & austero prædicta aqua diluatur. Eodem tempore sit somnus prolixior, durus decubitus, vita perturbationum omnium expers, mollis denique vt lubricus vẽter siue per se, siue per clystere, & balanos: ne valida ventris compressione, sanguis ad vterum deprimatur.

Pharmacia quoque fluxum refręnet refrigerando & incrassando per interna externaque remedia, illa sunt iulepi apozemata pulueres electaria pilulæ. iulepi cõstant syrupis de granatis acidis cydoniorum myrtino & de rosis siccis, de limonibus cum aquis rosarum plantag. acetos. addendo trochis. de bolo vel de terra sigillata portiunculam.

Apozemata concinnantur ex decoctis radicum bistortę tormentillę folior. plãtag. lact. portul. equiseti solani acetosę symph. papauer. albi, verbasci albi, sũmitatũ myrti balaustiorũ rosarũ rubearũ: quibus addatur momentũ pulueris adstringẽtis: cuiusmodi est terræ sigillatæ vel boli armeni, sang. draconis,

coralli rubri,cornu cerui,rasuræ eboris,lapidis hæmatitis,& magnetis,masticis, thuris, gummi arabici,& tragacanthæ, ambræ citrinæ, amyli, caricum, glandium,gallarum, nucum cupressi, testarum oui calcinatarum,acinorum granorum rubeorum,pæoniæ, ossis vsti de pede veruecis, spongiæ infusæ in picem liquidam & vstæ in fictili. Hic puluis aliàs cum vino rubro austeroque, aliàs cum albumine aut vitello oui ad ʒj alias cum succo plantag. vel cum aqua pluuia ferrata per plures dies, vt sex vel octo rectè sumatur,donec repressus omnino sanguinis motus videbitur. Ex eodem puluere cum succo conuenienti fiant pillulæ cum masticis aut psyllij mucilagine, quarum ℈ vnus deuoretur bis quotidie,ex eodem denique puluere fiunt electaria solida tabulata cum saccharo aqua rosarum diluto. Fiunt denique electaria mollia si iungantur conseruis adstringentibus qualis est baccarum oxyacanthæ rosarum caruis cydoniorum myrobalanorum cum sirupo myrtino vel cydoniorum.

Altera indicatio est hiatus & apertionis cotyledonum adstrictio occlusioque: tum per assumenda modo exposita, tum per admouenda & intromittenda. Illa sunt, fomenta per spongiam oxycrato non calido, nec frigido imbutam: aut decocto adstringenti:quale est foliorum plantagin. bursæ pastoris,equiseti,verbasci albi,symphyti, lysimachiæ, oleastri,vrticæ mortuæ, summitatum myrti, oleastri, lentisci, vel succis earundem. talia linimenta sint ex oleo myrtino,lētiscino,melino,cū pauca cera.Itē vnguenta ex iisdē &iūcto puluere adstringenti:cuiusmodi est vnguentum comitissæ, imponenda regioni lumborum,renum,inguinum &imi ven-

tris. talia denique sunt cataplasmata ex decocto adstringentiũ & magmate iunctis pulueribus & oleis adstringentibus: clysteres intromittuntur per vteri ceruicem, ex eiusmodi plãtarum decoctis succisve, vt plantaginis, mixto puluere aliquo adstringenti qualis est spõgię in liquidã picem mersæ & in olla vstæ: pessaria quoq; ex lana & cotone succo eodem imbutis & puluere aspersis altissimè ad os vsque pudendi intromittenda sunt. Physica denique sunt corallus rubeus de collo suspensus: ambra citrina, & quod magis superstitiosum est, sacculus magnæ ranæ puluere repletus, & inter mammas ex collo demissus gestatúsque. Atque hæc sit differentiæ primę redundantium mensium curatio.

Curatio secundæ differentiæ.

SEcunda differentia immoderatæ menstruæ purgationis pẽdens ex causis internis, tũ antecedentib. tũ cõiunctis, curatur iisdem indicationũ duarũ generibus: reuulsione scil. fluentis sanguinis: & solutionis venarũ vnione. vtraq; autẽ indicatio pro varietate causarũ antecedentium, vt plethorę & cacochymiæ: & coniunctarum, vt anastomoseos, rixeos diapedeseos & diauroseos variari solet. Quæ enim à plethora & anastomosi est, reuulsione indiget, per opera chirurgica anteaexposita: vt frictiones deligationes cucurbitulas scarificationes in partib. superioribus, & phlebotomiã: quæ vel copiosior sit, vel parcior: si plethora spõtaneo fluxu iã sit exhausta, vnio autem tum per diætam nõ solum tenuem, sed refrigerantem etiã, incrassantem & adstringentem procurabitur, nisi integræ yires integrã vnius diei inediã ferre possint, tum denique per pharmaciã & medicamenta adstringentia: qualia in assumendis admouendis, & immittẽdis exposita modo fuerũt.

Quæ à ſanguine bilioſo& diapedeſi eſt menſiū redundantia:duplici quoq;curatur indicatione,reuulſionis & adſtrictionis atq; cōdenſationis rariorum tunicarum.vtriuſq; eadem inſtrumenta ſunt tria cōmunia,diæta,pharmacia,chirurgia. Hæc tamen reuulſionis fluxus propria eſt per opera aut enumerata:vt deligationes, frictiones partium ſuperiorū, & per phlebotomiam parciorem,quā in plethora: diæta quoq; ſit magis refrigerās & incraſſans quàm in anaſtomoſi plethorica. Eadem ratio remediorū pharmaceuticorū,tum internorum,tum externorū habenda eſt:vt vtraque refrigerent, incraſſent, & magis adſtringant,quanto ſanguis bilioſus temperato tenuior, & ad fluxum pronior eſt, quantóque raritas pororum omnium difficilius, quam ſola laxitas orificiorum condenſatur:deriuatio autem fiat per purgationem cholagogam clementiorem,mediíque ordinis, cui adſtrictio quædam cōiuncta ſit: vt cacochymia bilioſa, fluxionis comes, ſimul deriuetur ad ventrem,venarúmque raritas condenſetur:ídque ſine vlla emollitione, qualis eſt mannæ & caſſiæ : & deterſione valida vt aloes, & hieræ,& acrimonia aperiente vt ſcammonij & colocyntidos:ne exacerbato & aucto venæ affectu fluxio ingeminetur. Eiuſmodi cholagogæ fluxionis materia eſt ex tamarindis, myrobalanis citrinis rhapontic.rhabarb.modice aſſato,cum ſyrupo de roſis ſiccis.Forma purgationis huiuſmodi ſit.

℞.Cortic.myrob.citrinar.oleo roſato confricatarum ʒ j.rhab.leuiter vſtulati ℈ iiij.ſpicæ nardi gr. iij.puluerata excipiantur conſeruæ roſ.℥ j. vel ℥ ß ſiántque boli qui dentur mane. Vel.

℞. fol. plantag. & roſ. rubr. ana p. j. tamarind.

electorum ʒ vj. cort. myrob. citrin. vt dictum est confricatarum ʒ j. coquantur, in colat. ℥ iiij. infunde rhab. modice tosti & puluerisati ʒ j. ß spicæ nardi g. iij. in forti express. dissolue syrupi de rosis siccis ℥ ß. fiat potio. Deriuatio hæc reuulsione per phlebotomiã debet esse posterior. Postrema est in hac curatione hepatis calidioris tẽperatio, tũ per interna prædicta tũ per topica eiusdẽ facultatis id est refrigerantia, vt vnguentũ ros. ceratũ santalinum. Quoad redũdantiã quę à cacochymia pituitosa serosaque est & diapedesi, illa non aliter quã biliosa, curatur tribus indicationibus, reuellendi fluxum, condensandi raritatem venarum, & temperandi frigidi hepatis, à quo aquosus sanguis. Instrumentis quoque tribus hæc medica opera exercẽtur diæta, pharmacia, & chirurgia. Ex his chirurgia prior sit & ex eius operibus phlebotomia, sed parcissima ne intẽperies frigida viscerum augeatur : sed purgatione phlegmagoga suppleatur à qua omnis quoque emollitio validaque detersio & acrimonia absit. Materia est agaricus trohiscatus, semen carthami, syrupus ros. pallidarum. Forma talis.

℞. agar. trochis. ℈ iiij. elect. diacarth. ℥ j. misce & fiant boli cum sacch. Vel ℞. fol. meliss. & cicer. rub. ana p. j. seminis carth. contusi ℥ j. myrobal. cepul. confric. ℥ ß coquantur, & in colat. ℥ iiij. infunde per noctem agar. troch. ʒ j ß. & in expres. diss. syrupi ros. pallid. ℥ ß fiat potio. Diæta quidem adstringens, incrassansque sit : sed tamen calfaciens siccansque modicè : ne victu frigido hepatis intemperies frigida aucta cacochymiam serosam multiplicet, venarumque substantiæ robur effœminet relaxetque.

Pharma-

Pharmaceutica denique remedia calida ſiccaque ſint,& nonnihil adſtringentia;cuiuſmodi ſunt inter aſtringentia iulepi ex ſyrup. abſinthij & ſyrupo conſer.cort. citri & myrobal. cum aquis meliſſæ, betonicæ, abſinthij, quibus momentum pulueris aſtringentis vt coralli, cornu ceruini lapidis hæmatitis & terræ ſigillatæ vt ad ℨ j.addi poſſit in tres doſes. Similis erit opiata ex conditura cort. citri: vel mali aurancij myrobal. nucum iuglandium, caruis cydoniorum, & ſummitatum abſinthij pontici,cum puluere trochiſcorum de charabe,vel terræ ſigillatæ.Foris quoque ſimiles fotus vteri regioni impingentur,ex decocto abſinthij abrotani meliſſæ plantag. tapſi barbati ſummitatum oleaſtri in aqua ferrata & vino rubro acerboque.

Similis litus eſt ex oleo abſinth. myrt. nardino, cum cera alba quibus iuncti pulueres adſtringentes vnguentum efficient. Similis erit iniectio vini rubri incoctis prius foliis abſinthij ſalu.lauri & roſis rubris. Similia peſſaria eodem vino perfuſa, & puluere adſtringenti aſperſa. Suffitus denique ex maſtiche cort. thuris, ladano, ſemin. coriandri præparati, ſantalo citrino, granis alkermes, & ligno aloes.

Tertia indicatio eſt hepatis corroboratio: & per topica admota vt oleum nard. abſinth. maſtich. & quæ inde conficientur vnguenta, addita pubi. ſpicæ nardi, ſantali citrini, nucis moſchatæ, macis, iuſta portione cum cera alba. Eodem denique tempore quarta indicatio, quæ eſt condenſatio oppoſita τῇ διαπνδήσει explebitur, per topica admouenda, immittendaque,adſtringentia quidẽ, ſed calida ſiccaque:vt & raritati pororũ & effectrici

eiusdem causæ id est intemperiei frigidæ humidæq; simul occurrant. Talis est ex admouēdis fotus ex decocto fol. plantag. tapsi barbati, equiseti, absinthij, abrotani, tanaceti, artemisiæ, balaustiorum, rós. rubearum & stœchados vtriusq; in aqua ferrata & vini rubri austerique parte tertia post coctionem additi: Tale est linimentum ex oleo absinth. mast. lentis. myrt. & cera alba: quibus si iusta pulueris adstringentis prædicti dosis iungatur, fiet vnguentū, sicuti eadē dosi aucta emplastrū &c. Talia ex immittendis pessaria: ex lana vel cotone cum linteolis vetustis digitali magnitudine consutis, & puluere adstringenti calidóque intus fartis, vinoque veteri crasso & acerbo immersis, quæ si altius ad os vsque vteri internum inferantur, ibidemque & diu & noctu contineātur efficacissima fient. Tales denique erunt clysteres vterini ex prædictorū simplicium decoctionis & vini rubri æquis portionibus: vel ex vino rubro acerboque solo mixta pulueris prædicti portione aliqua. Quæ à venarum ruptione est, mensium redundantia: vt quæ à causis externis est: vel contundentibus vt casu ictuque graui & duro occursu: vel diuellentibus vt abortu partúque difficili & coitu violento: vel dissecantibus & vulnerantibus: vel ab internis vt à sanguine multo crasso flatuoso melancholico, vnde etiam hæmorrhoides & varices: curatur duobus iisdem indicationum & remediorum generibus; tum reuellentium fluentem sanguinem, cuiusmodi sunt omnia chirurgica ante exposita, sicuti diætetica & pharmaceutica eundem refrigerātia & incrassātia: tum emplasticorū & astringentiū topicorū. Emplastica autē sunt, simplicia crassa terrenáque, sine insigni calore aut frigore: quę permixtione

tione sua sanguinem inspissant: porosque offarciũt: tum siccãtia serúmque sãguinis absorbẽtia: itaq; fluxui sistẽdo & ruptioni vniẽdæ plurimũ intus forisq; prosũt: eius generis sũt mastiche thus eiusq; cortex, myrrha, aloe, sarcocolla, mumia, lithargyrus, corallũ, lapis hęmatites, bolus armenus, sãguis draconis, quorũ omniũ puluis, vel solus, vel cum vino acerbo aut aqua ferrata sumendus est: vel opiatis prædictis iũgetur: vel in trochiscos & pillulas cum mucilagine tragacanthi, aut albumine oui coactus deuorabitur. Admouendorũ autẽ adstringentiũ materia ante exposita est, cui emplastica pauca permisceri poterũt; vt ex simplicibus, cynoglossũ, arnoglossũ, vlmi folia conisa vinca peruinca. Immittenda etiã: vt pessaria clysteres vterini, eadẽ materia adstringenti cõstent: quę ante exposita est, sed mixta pauca emplastici pulueris portione. Dięta denique materiâ sit glutinosâ vt ex pedibus quadrupedum, intestinis, cerebro, partibusque omnibus albicantibus, non pinguibus, testudinibus, cochleis, anguillis & albuminib. ouorũ.

De stillicidio vteri.

ALia est deprauatę per vterum excretionis species, quæ stillicidium vocatur: cùm sanguis ex vtero non quidem abundãter breuiterque, vt in naturali mensiũ effluxu; aut non naturali etiã & symptomatico, qualis per anastomosin aut ῥῆξιν incidit: sed parcè & guttatim, idq; continenter, vel ex breuioribus interuallis prodit, purus quidem floridusq; veluti ex præcisa vena, non serosus & biliosus, veluti in diapedesi per quam pallidi albíve sanguinis inordinatus parcus & diuturnus fluxus contingit. Huius symptomatis autor est morbꝰ venę, in solutione vnitatis, diaurosis, vel anaurosis, cuius morbi proxima

reuellit tantum fluentem : sed temperat etiam sanguinem calidiorem:huic mox subiungenda est purgatiuncula cholagoga mixtæ cum sanguine cacochymiæ biliosæ hæmorrhagiam vlcusque fouentis: eaque nonnihil adstringens, qualis paulo ante exposita est. Adiuuatur deinde reuulsio per diętam tenuem quidem: sed incrassantem, & refrigerantem. postremo per pharmaciam eiusque remedia refrigerandi incrassandique facultate præpollentia, cuiusmodi sunt iulepi, apozemata, pulueres, trochisci, electaria mollia, duráque, de quibus antea. Altera indicatio est tēperandi hepatis calidioris: ne biliosā cacochymiā congerere pergat: idque per epithemata, linimenta & vnguēta prius in diapedesi designata. Tertia indicatio erosionis est duplex, prius enim causa vlceri coniuncta abstergenda est : humorque acris eluendus, quicunque vlceri inhæsit, deinde erosa venæ substantia instauranda est. Cæterum detersio illa leuior sit, modicéque tergens in simplici erosione : ne ab acrimonia validiori vlcus crescat, & exasperetur: Huius detersionis idonea erit materia serum caprillum, hydromel, decoctum agrimonij, cum pauco saccharo rosato, aut melle rosato, aut pauca aloe detrita. hinc crebri fiant clysteres vterini, sublatis clunibus, depressis humeris, excipiendi asseruandique diutius occluso pudendo: post detersionem tridui vel bidui, iisdem clysteribus sarcoticorum pulueres misceantur vt aloes, thuris, mastichis, sarcocollæ, iridis, & aristolochiæ, tandemque adstringentium ante notatorum : Pessaria quoque iisdem pulueribus aspersæ succoque plantaginis vel simili perfusa plurimum prosint: simile est vnguentū diachalciteos & diapōphotydos, foris

quoque imponantur emplastra de Ianna & de gratia Dei,& cataplasma ex stercore porcino, cum rosarum puluere.atque hæc est simplicis erosionis,curatio methodica. Cōpositæ autem eædem sunt indicationes:eadem remediorum genera,reuellentiū, refrigerātiū,& incrassātiū,causā antecedentē.hepatis calorē temperantiū : & erosionē vlcusque carne replentiū.Discrimen tantū est:quod validiori detersione saniei copiosioris & crassioris vlcus indigeat: tū quod symptomatis.i.doloris acerbitas sæpe curationis ordinē inuertat: suadeatq; sese imprimis esse cōpescendū , idq; per clysteres vterinos ex lacte admixto pauco plantag.succo: vel ex decocto foliorū maluæ,sābuci,seminis lini vel fœnugræci, admixta mucilagine seminislini aut fœnugręci:Proderit etiā insessus fotusq; pudendi ex iisdem decoctis per vesicas lanam,cotonem,spongiam,filtrum admotis.

De fluore vterino.

FLuor vterinus dictus est quod per vterum fiat: siue ab eo,siue aliunde eius materia prodeat, alias muliebris , quod mulieribus proprius non etiam viris communis sit , estque veluti reumatismus ploratus & destillatio diuturna vitiosi & excrementitij humoris per vterum facta.Est igitur fluor hic species quædam deprauatæ mensium excretionis & symptoma vteri in exeunte mutato : quod non sincerus sanguis vt menstruus, sed corruptus quidam humor,& à sanguinis natura alienus:neque certo ordine,stataq;periodo vt menses,sed vel cōtinenter,vel breuioribus interuallis, vt ante vel post mensiū periodos,vel inter easdem ex vtero profluit: Fluor ergo secernitur à mensibus rubeis ordinatis salubri-

ſalubribus : à gonorrhœa, quòd magis hæc alba ſit: & nonnihil voluptatis afferat : cùm breuiter corpus attenuet, tum à purulenta excretione quæ magis quoque alba eſt craſſaque & fœtida & dolorifica : cuius cauſſa coitus ferri non poteſt, cùm fluor vterinus magis tenuis ſit, liquidus, minusque albus & fœtidus, tum denique à materia ſeminali putrique ex locis viduarum libidinoſarum redundante. Sunt autem huius fluoris vterini duo genera: vnus enim ſimplex eſt, vniuſque humoris ſpecie effluit, ſiue pituoſi, ſiue bilioſi, ſiue atrabilarij, & melancholici: alter humoris quidem excrementitij, cũ pauco ſanguine alióve excremẽto mixti: fluores tamen albi omnes dicuntur, vel quod omnium frequentiſſimi ſint, ob pituitoſas mulierum naturas & vterorum, vel quia cæteris omnibus ſpeciebus fluor albus mixtus ſit.

De cauſis fluoris vterini.

FLuoris vterini effectrices cauſæ ſunt intemperies tum peculiares vteri : tum communes totius corporis: vel ſingulorum viſcerũ : eæque vel inſitæ, vel adſcititiæ, & ab externis cauſis contractæ. Frequens autem eius origo eſt ab vteri idiopathia frigidioris, & humidioris, vel naturâ, vel à cauſis externis: vt appulſu auræ frigidioris, menſium præſertim partuſque tempore, hiantibus locellis, merſione in gelidam, lotione in balneo frigido, ſeſſione ſuper ſaxum aut in marmore : frigida enim & neruea vteri ſubſtantia à ſimilibus cauſis facile in intemperiem inſalubrem præcipitatur , vel à crebro conceptu, abortu , partuque difficili , & violento concubitu : ſic enim debilitatus vterus copioſa congerit è proprio alimento crudo

incoctóque excrementa, perpetuo pudendi madore manantia: frequentior tamen huius mali origo est ex sympathia, vel cõmuni totius corporis: idque ob intemperiem vel natiuam, vel ex prauo & improbabili victu ductam vel certe viscerum singulorum principum, aut partium principibus seruientium propria: vt cerebri, ventriculi, hepatis, lienis. Collecta enim per vtramque sympathiam tum communem tum particularem cacochymia ad vterum, vtpote infimum & venosum, & vacuationibus assuetum, vel proprio grauitatis suæ impetu: vel naturæ dirigentis motu, decurrit & deuoluitur: est igitur hoc symptoma, vel idiophaticum vteri intemperati: vel sympathicum, idque ex affectione tantum leuique fluentis humoris alteratione: vel affectu etiam secundario & deuteropathico, dum ex diuturna alluuione, longaque affluentis & effluentis humoris perfusione, vterus non tantum intemperatus euadit, sed adeo etiam laxus humidúsque, vel circa fundum & acetabula venarum, vel circa orificium eiusdem internum, vt sæpe ad pudendum & extra prouoluatur.

Signa diagnostica Causarum & fluoris Specierum.

EOrum quæ intemperies communes calidas aut frigidas indicant, quędã sunt signa simul & causæ: eæq; vel internæ, vt natura & ætas, vel externæ vt tota ; rægressa diæta, quædam sunt signa tantum vt habitus, color, mores, functiones, excrementa, morbique pręgressi. Easdem intemperies in singulis visceribus, eorũ functiones naturales declarant, necnon ipsarum intemperierum causæ, Earũdem differẽtias, fluoris vterini differentię desũptæ ex colore, substan-

ſubſtantia, & exitu luculentius declarant: rubeus enim tenuiſque neque concreſcens intemperiem, vel totius corporis, vel ſolius hepatis frigidam humidamque: ſicuti fluor ſeroſus & liquidus vel mucoſus eandem: ſed intenſiorem indicat: bilioſus flauuſque viridis & æruginoſus intemperiei calidæ; ſicuti nigricans melancholici aut atrabilarij acris & vlceroſi, index eſt: obſcurus denique mixtionis variorum humorum teſtis eſt ex proprio colore internoſcendorum, in linteolis eo fluore imbutis; & in vmbra ſiccatis. exitus quoque calidæ cacochymiæ bilioſæ vel atrabilariæ dolore moleſtus eſt, in reliquis indolens.

Sympathiæ & idiopathiæ diſtinctiua ſigna.

SYmpathiã communem declarant, tum fluor copioſus tenuiſque; tum cauſæ internæ externæque communes: vt diæta & conſuetudo: particularem inſinuant ſingulorum viſcerum læſæ propriæ functiones, fluorque paulo minus copioſus; idiopathiam denique paucus fluor, iſque mucoſus potiùs quam aquoſus indicat. Fluoris vterini omnis, diuturnioris præſertim, & redundantiæ menſium, ſunt communia ſigna, quæcumque caloris natiui penuriam & diſſipationem conſequuntur; vt functionum omnium languor: tum naturalium vt in ventriculo, vnde faſtidium: in hepate, vnde cachexia, vultus pallidus & deformis, oculi tumidi, totuſque habitus, tibiæ pedesque œdematoſi; hydrops denique & mors: tum animalium vnde vigiliæ, ſomni turbulenti, ſtupor mentis, totius corporis inertia & grauitas, & aliquando conuulſio per inanitionem neruoſi vteri ex apho. 56. lib. 5. tum

denique vitalium, vnde palpitatio cordis, vermicularis pulsus, & lipothymia frequens, tandemque marcor & mors.

Methodus Curatiua.

FLuoris idiopathici curatio duabus indicationibus absoluitur: vna quidem est vt materia coniuncta & humor excrementitius ab vtero detrahatur: altera vt intemperies ipsa corrigatur per alterãtia cõtraria, & adstringatur laxior eiusdẽ substãtia; potest tamen particulari isti vacuationi vniuersalis purgatio præmitti; ne cacochymiæ alicuius descensus topicorum calore ad vterum inuitetur. Fluoris sympathici curatio multo magis artificiosa est; pluribusque indicationibus absoluenda, tam causarum antecedentium quàm coniunctarum habita ratione. Antecedentiũ enim in quacũque sympathiæ specie tam vniuersalis quã particularis indicatio duplex est: vna reuulsio materiæ humorisque cacochymi per vterũ defluentis: altera efficiẽtis causę alteratio, hoc est intemperiei, quam fluens cacochymia fouebat. Sic causæ coniunctæ vteri condolescentis duplex quoque indicatio est; vna respicit cacochymiam quæ vteri vasis & substantię, fluendo adhæsit; altera est vt oppugnetur vteri intemperies ex commercio contactuque diuturni defluxus contracta. Nam ex breui defluxu affectio tantum, alteratioque, non affectus nascitur: ideoque Galenus communibus toti corpori remediis intacto vtero percuratum à se hunc affectum fuisse lib. 6. de locis gloriatur: idque in vxore Boeti cuiusdam Romani libro de prænotione ex pulsibus ad Posthumum. In summa methodus curatiua in

in idiopathico fluore hoc fert, vt materia vitiosa primum ex vtero diripiatur; deinde vteri intemperies laxitasque corrigatur. Sed in eo qui fit per consensum, multiplicem indicationum seriem explere, multo difficilius est. Est enim causa antecedēs materialis vacuatione reuulsione & deriuatione imprimis summouenda: ne suppressa intus illuuies obstructionibus, scirrhis, hydrope aliisque funestis morbis nobiliora viscera implicet. Deinde antecedens quoque illa intemperies siue communis, siue particularis, contrariis deleatur: Postremo vterus causæ coniunctæ obsidione, liberetur: tandemque excrementitiis suis sordibus perpurgatis, alterando adstringendoque corroboretur.

Signa prognostica.

FLuor vterinus fœminis molestissimus est: Primū quidē ob deformitatem, pallorē faciei, maciem totius corporis, & inertiā, tristitiā, pudendiq; & femorum madorem fœtidum, tū ob sterilitatem, cùm intemperatus valde vterus semen masculum neque appetat, neque attrahat, neque retineat: tum denique ob vlcera ceruicis vel pudendi ab acrimonia aut putredine excitata. Secundò quod difficilis sit huius fluoris curatio ob vteri naturam sitúmque decliuem, per compositionem ex innumeris venis & arteriis, & fluxionum consuetudinem: remediorum denique breuiorem in ipso moram præsertim immittendorum. Tertiò quod fluor hic fœminis frequentius, quam virginibus infestus sit: quod illarum vterus ex multis grauiditatibus abortibus & partubus, atque ideo

coitibus infirmior factus sit, ideoque ad suorum congestionem, vel alienorum excrementorum receptionem aptior. Quartò quod fœminis grauidis sæpius, quam vacuis infensus sit, ob ventriculi illarum imbecillitatem; ex qua fastidium, pica, malacia, tribus præsertim primis imprægnationis mensibus; Illis autem per venas colli vterini fluor hic erumpit, nisi instante abortus periculo per sinum eruperit. Denique hoc statuendum quòd fœminæ rusticæ minus quam vrbanæ aut nobiles huic fluori sunt obnoxiæ: quod minus excrementosæ sint, ob sedulitatem & frugalitatem.

Exercitatio præscriptæ methodi.

SIt ergo fluor biliosus, vel flauus, vel viridis, vel æruginosus ex sympathia totius corporis, quod vel ab ipso ortu, vel ætatis aut victus ratione calidius sit. Curatio instituetur primum per contrariã diætam frigidam siccãque & nonnihil adstringentem: deinde facta reuulsione fluentis cacochymiæ: tum chirurgica per sectionem venarum cubiti basilicæ præsertim vel medianæ, exiguam angustoque foramine: tum pharmaceutica: primum quidem per purgationem bilis sanguini mixtę, eiusque motum irritantis. sit autem ea duplex: vna, clementior & lenitiua phlebotomiæ præponenda primæque regionis expediendæ gratia, altera validior: quæ cacochymiam biliosam prius coctam, ex hepate venisque maioribus detrahat: vtriq; quidem purgationi iuncta debet esse quædam adstrictio, vt vasis coangustatis fluxionis impetus reprimatur.

Lenitiua purgatio poterit exempli gratia in hunc modum præscribi.

℞. me-

℞.medullę casiæ & pulpæ tamarind.elector.ana ℥ vj.rhab.puluerati ℈ iiij.fiat boli cum saccharo. Vel

℞. rhab. & agar. troch. puluoratorum ana ʒ j. mirobal.citrearum ʒß infundantur in aqua acetosæ vel plantag. In express. diss.elect. diacatholic. ℥ ß syrupi ros.lax. recētis ℥ j.fiat potio, detur mane. Vel

℞. massæ pilularum aggregat. minorũ ℈ ij.rhab. puluerati ℈ j. fiant pilulæ vj.deuorandæ post primũ somnum. Mox à phlebotomia cacochymiæ biliosæ coctio maturanda est iulepis aut electuar. duris mollibusque in quatuor doses matutinas diuidendis. vt

℞.syrupi acetosi simplicis oxysacchari simplicis & de limonibus vel de granatis acidis ana ℥ ij. aquarum plantag. portulacæ acetosæ ana ℥ iiij. puluer. elect. triasantali ℈ iiij.fiat iulepus. Vel

℞.rad.cichorij acetosæ & lapathi acuti ana ℥ ij. fol. end. cichorij acetosæ plant. hepaticæ lact. ana m.j.seminis melon. & cucurb.contusi ana ℥ ß hordei mundati & trium florum communium ana p. j.decoquantur & in col. lib.j. diss. sach. rosati ℥ iij. santali rubri ℈ iij. fiat apozema clarificatum. Vbi bilis cocta satis videbitur : mox expurgetur cholagogis medicamentis parumque adstringentibus. quale est istud

℞.rhab.electi ʒ ij. cort. myrobal. citrearum ʒ j. infunde in ℥ iij. aquæ plantag. & in express. dissol. elect.diapruni solutiui vel de succo rosarum, ʒ iij. syrupi de rosis siccis ℥ ß fiat potio. His peractis vsurpari poterit alia ratio reuellendi causam antecedentem, nempe ad habitum per sudores & insensibilem transpirationem : & ad renes & vesicam per vrinas. Insensibilis transpiratio vniuersalibus

frictionibus commouetur: sudores hidroticis potionibus, sed leuioribus in fluore bilioso, ne corpus & viscera ab acrioribus magis incendãtur vt ex chinę, salsaperillę, & ligni sassafras decocto, aut balneis tepidis simplicibus, vel alteratis vel compositis ex decocto herbarum refrigerantium & humectantium. Sic vrinæ diureticis quoque leuioribus sunt incitandæ: vt iulepis ex syrupo de duabus aut quinque radicibus, & oxymelite simplici cum sero caprillo depurato. Præmissis omnibus istis causæ antecedentis reuulsionum differentiis, deuęniendum erit ad remedia totum corpus roborantia leuiterque constringentia venas, per quas ad vterum fit humorum fluxus; talis est puluis.

℞. ossium dactyl. & ossium cruris capi & perdicis vstorum ana ʒ j. ambræ citrinæ coralli rubri & albi ana ʒ ß tartari viui albi cum aqua rosar. diluti ʒ j ß cornu ceruini vsti terræ sigillatæ rasuræ eboris & margaritarum an. ℈ ij. panis sacch. ℥ iiij. fiat puluis, capiat cochlear vnum mane superbibendo cochlearia duo vini rubri diluti aqua plantag. Tales sunt tabellæ quæ hic subiiciuntur.

℞. gummi tragacanthi arabici, & amyli ana ℥ j. mastichis ℥ ß terræ sigillatæ coralli rubri ana ʒ j. fiat puluis, excipiatur saccharo aqua ros. dissoluto, & formẽtur tabellę pond. ʒ iij. capiat vnã singulis matutinis vt supra. Talis opiata hæc. ℞. conser. antiquę ros. ℥ iij. carnis cydoniorũ cõdit. ℥ j. boli armeni loti, terrę sigillatę & coralli rubri ana ʒ j. cũ syrupo myrtino vel melino fiat opiata. Vsurpari poterit & hoc.

℞. thuris albi, boli armenię & terræ sigillatæ ana ʒ ß excipiantur oui albumine, fiat bolus. Proderit denique mirum in modum potio per quindecim

dies

dies ℥ iiij vini rubri in quo sæpius extincta fuerit chalybs,additaq; gummi arabici & tragacanthi ʒ ß. Postrema causæ coniunctę cura est inchoanda à fluxionis biliosæ reliquiis purgandis : indeque ad vteri corroborationem perducenda. purgatio detersioque biliosæ materiæ mitior sit , ne augeatur intemperies calida, fiatque per clysteres , & pessaria. illi constent vel decocto hordei , vel aqua saccharata , vel sero caprillo , vel hydromelite: hæc ex foliis viridibus contusis & linteolo inclusis fumariæ mercurial. agrimonij : vel earundem herbarum succis cotone vel lana exceptis , & linteolo inuolutis : roborantia topica admouenda sunt fotus scilicet & insessus ex decocto adstringenti:excipiendusquoque eiusdē decocti vapor per sellā perforatam,& tubulum ferreum. In eundem finem iniicientur clysteres ex eodem adstringenti decocto frigido siccoque:vel ex vino rubro,admixtis paucis pulueribus adstrigentibus. Similis est suffitus.hic

℞.ladani purissimi ℥j ß gallarum,nucum cupressi, calicum glandium balaustiorum,terrę sigillatæ,boli armeniæ ana ℥ ß acaciæ hypocistidis thuris & psidiæ ana ʒij. caphuræ ʒ ß picis naualis ℥ ß. cum mucilagine seminis cydoniorum fiant trochisci.

Pessaria deniq; ex prædicto suffitus puluere asperso cotoni vel lanæ vel ex vino rubro & tortiuo vel succis adstringentium plātarum inebriata prosunt.

Secunda exercitatio.

Esto fluor albus ex pituitosa totius corporis caco chymia eáq.vel à naturâvel victu frigidiore curatur

iisdem indicationum generibus duobus. Antecedens enim causa id est fluens fluxuráque pituita imprimis reuellenda vacuandáque est;tum per purgationem phlegmagogã (ab hac enim frigida intemperie corporis muliebris& pituitæ arcenda est phlebotomia)tum per sudores decocto gaiacino stuphis balneis, sulphureis,bituminosis, chalcanthosis nitrosisque,vel decoctis plantarum calidarum commouendos:tum per insensibilem transpirationem vsurpatis mollibus frictionibus & oleorum calidorum embrochationibus vt laurini costini de spica &c. aut similibus vnguentis vt agrippæ martiati aregon. Denique per vrinas ex syrupis, bizantino,de quinq;radicibus,oxymelitis diuretico&scyllitico,cum aquis apij fœniculi,vt iulepi fiãt.Deinde intemperies vniuersalis frigida delenda est sensim, multóque tempore, & electariorum calidorũ diutino vsu, vel humidorũ vt theriacæ mithridatij tripheræ magnæ sine opio:vel solidorum,vt diagalangæ aromatici rosati & diatrium pipercum. Similes sint opiatæ ex conseruis florum rorism. saluiæ anthos stœchados,corticis citri,zinziberis viridis,mirobal.cepularum: interea dum sic toti corpori cõsulitur: vteri ex consensu laborantis curatio coniungenda est;oppugnando tum causam cõiunctam materialem:tum intẽperiem & laxitatem acquisititiã, illa quidem pituitosa est illuuies liquidior cui detersio validior opponenda est,per clysteres& pessaria. Illorum materia idonea sit hydromel incocto anisi semine & decoctum radicis iridis hortensis,cyclamini & aristolochiæ rotundæ folio,prassij absinthij artemisiæ tanaceti cicerũ rubeorũ flo.centaurij minoris addito pauco melle.Horũ materia est mithrida-

thridatiũ theriaca vetus, tryphera magna ſine opio ad ℥ ß cotone aut lana excepta & linteolo inuoluta magnitudine digitali vt per totã noctẽ in ceruicem pudẽdi altiſſimè intromittatur. Item mercuriatum mel, & terebinthina & folia contuſa mercurialis & ſambſuci, item benedicta laxatiua, hiera & diaphœnicon. Purgatus ſic ſuis excrementis vterus roborabitur topicis calidis ſiccíſque & adſtringentibus, ſiue admouendis, ſiue immittendis: ex his clyſteres ſunt efficaciſſimi, vt ex decocto foliorum ſaluiæ, menthæ, artemiſię, abſinthij, pulegij, polij montani, ſummitatum myrti, lauri, lauendulæ, calami aromatici, ſpicę nardi, ſãtali citrini, balauſtiorum, nucum cupreſſi, gallarum, nucis moſcatæ, macis & ladani. Ex eadem materia pulueratа & in trochiſcos cũ vino rubro redacta in ſuffitus gratiſſimos aptabitur, ſicuti peſſariis excepta vinóq; rubro irrorata vtiliſſime vſurpabitur. Inſeſſus quoq; fotuſq; ex aquis aluminoſis aut ex decocto herbarũ calidarum lapidibus fluuiatilib. ardentibus iniectis tandiu ex vſu erũt quãdiu vires ferre poſſint. Potus talis eſt ℞. fol. abſint. menthæ. ſalu. lauri & cort. granat. ana m. j. ſchœnanthos & cort. thuris an. ℥ ß calycum glandiũ & aluminis ana ℥ j coquãtur in vino rubro. Linimenta denique ex oleo abſinthino nard. maſtichino myrtino cum cera alba & addito puluere adſtringenti vnguenta vel emplaſtra euadent.

Tertia exercitatio.

FLuoris vterini ſanguinolenti ex communi totius corporis ſympathia & intemperie frigida humidaque, ſiue natiua, ſiue aduentitia, iiſ-

dem indicationum generibus duobus curatio dirigenda est. Curabitur enim primùm quidem antecedens causa materialis reuulsione multiplici: tum per phlebotomiam valde exiguam angustoque foramine: augendæ intemperiei frigidæ metu ex copioso caloris & spirituum effluuio: tum per purgationem duplicem lenitiuam phlebotomiæ præponendam, liberandæque primæ regionis gratia, & eradicatiuam quæ cacochymiam aquosam è secunda regione, maioribusque venis attrahat: postquam congruentibus perque aliquot dies vt sex vel octo, iulepis & apozematis percocta fuerit, sicut antea in redundantia mensium per diapedesin expositum fuit: sed vtraque tamen purgatio adstrictionis cuiusdam sit particeps coangustandorum vasorum causâ, ne per eadem laxiora fluitans cacochymia aquosa procliuius ad vterum decurrat: curabitur etiam per insensilem transpirationem, aut sudores & vrinas post purgationem & phlebotomiam incitandas remediis in secunda exercitatione enumeratis. Incumbendum deinde in totius corporis corroborationem & communis intemperiei frigidæ correctionem: per diætam calidiorem, & medicamenta calida siccaque: denique eadem erit sanguinolenti fluoris albique curatio. Discrimen vnicum est circa remediorum tam purgantium quam alterantium gradum & efficaciam tanto quidem maiorem in fluore albo: quanto intemperies in hoc quam in illo sanguinolento vehementior frigidiorque est, & humor contumacior. Coniunctæ quoque causæ tam materialis quam efficientis id est intemperiei humidæ vteri eædem sunt indicationes in vtraque fluoris

fluoris specie : vt nimirum vsurpentur, primùm quidem tergentia siccantiaque: deinde calfacientia & adstringentia remedia, quæ corroborantia vocantur.

Quarta exercitatio.

FLuoris atrabilarij methodus eadem curatiua præcipitanda est (ne vlcus & carcinoma insigni acrimonia sua excitet) tum per antecedentis causæ materialis reuulsionem, hoc est phlebotomiam & purgationem melanagogam primùm clementem, deinde validam. Cuius exemplum sit.

℞. elect. diacathol. ℥ j. cort. mirobal. indarum cõfricatarum vel fol. sennæ ʒ ij. hordei mundati florum violæ ana p. j. fol. ceterach m. j. seminis anisi & zinziberis ana ʒ ß infundantur & coquantur secundum artem, in express. dissol. elect. diasennæ solutiui & confect. hamech. ana ʒ ij. cort. myrobal. indarum confricatarum ℈ iiij. fiat potio. detur mane cum custodia. Coctionis quoque materia sit syrupus de fumaria, de cichorio, de pomis, de epithymo, cum aquis cichorij, borrag. endiuiæ fumariæ, vt inde iulepi fiant in sex vel octo dies protrahendi. Dissipabitur etiam materia sudoribus exiguis quidem & ex decoctis vt chynæ, atque balneis lenioribus, de quibus in fluore bilioso, deinde intemperies communis alterantibus ibidem expositis obliteranda est. Vteri denique, tum relictæ à fluxu sordes : tum debilitas & intemperies ab eodem contracta fluxu subtiliter percurabitur.

Quinta exercitatio circa sympathiæ particularis differentias.

IAmvero si fluor vterinus ex singulari sympathia visceris alicuius principis, aut principi seruientis partis, ortus sit, eadem methodus obseruanda est: vt antecedens causa è toto corpore primum summoueatur, mox coniuncta tam materialis quam efficiens peculiaribus remediis oppugnetur, vt cerebri frigidi & intemperati cacochymia imprimis per errhina, sternutatoria, apophlegmatismos, gargarismos, masticatoria, cauteria ceruici, phœnigmos vertici affigendos, extrahatur: deinde cerebri relicta intemperies frigida humidaque deleatur, vt lotionibus eius ex plantarum calidarum & cephalicarum decoctis in debili lixiuio cineris sarmentorum vitis & vino albo, indéque fotibus & embrochationibus, vel aquarum thermalium, vel odoramentis & suffitibus per poma odorata, per corollas carpis & collo innexas, ex ladano puluere salicis moscho ambra & ciueta concinnatas & per cucuphas pauco cotone & cephalico puluere fartas: aut per aspersionem vespertinam & quotidianam pulueris cephalici super commissuras verticis: & per vnctionem colli ex oleis calidis vt laurino constino de spica de stœchade & de nuce muscata: postremo affectus vteri sympathicus iisdem vacuantium & roborantium remediorum indicationibus abrogetur, quorum omnium in fluore albo habetur historia. Sic vbi intemperati ventriculi cacochymia pituitosa vomendo purgandoque subducta fuerit, mox intemperies frigida humidaque eiusdem tollenda est, variis remediorum assumendorum & admouendorum formulis. Illius generis sunt electaria, tum solida vt aromaticum rosatum

rosatum, diagalanga, tum mollia, vt mithridatium theriaca vetus, & syrupi vt de absinthio de mentha conseruation. citri, vinum quoque absinthites, tum opiatæ ex conseruis florum rorism. & saluiæ, summitatum absinthij pontici, cort. citri, zinzib. viridis nucum iuglandium carnis cydoniorum & mirob. cepularum, cum puluere aromatici rosati, rasuræ eboris sapphiri & hyacinthi fragmentorum cum syrupo conseru. cort. citri. Puluis hic quoque singularis est.

R. pulu. spōgiæ vstæ & aqua rosarum decies lotæ ʒ ij. rasuræ eboris, cornu ceruini, cort. citri, mastichis, macis, nucis muscatæ, ana ʒj. spicæ nardi ʒ ß panis sacchari ℥ij. moschi optimi g.vj. (nisi fœmina sit hysterica) fiat puluis. capiat cochlear vnum quotidie mane.

Inter admouenda sunt fotus, ex plantarum calidarum decoctis per filtrum vel vesicam applicandis: vt absinthij, menthę, sambsuci, betonicæ, melissæ, radicis cyperi, galangæ, cort. citri, spicæ nardi, calami aromatici, seminis coriandri, florum rorism. & rosarum. Item embrochationes post fotum ex oleis calidis & adstringentibus vt absinthino, nardino, de mentha, mastichino meliño muscatellino: ex quibus oleis mixto pulueris præscripti quadrante, fiat vnguentum cum cera alba, & ex triente ceratum quale est Galeni pro stomacho vocatum. Vtero consulendum est vt in sympathia cerebri: sic denique in biliosо fluore ex sympathia hepatis calidioris, curanda est primum causa antecedens, & biliosa cacochymia toti sanguini inspersa vniuersim quoque è toto corpore reuellenda vacuandaque est. deinde propria hepatis ipsius sentina priuatim

exhaurienda est, aut per vrinas, aut per sudores leuiusculos: tandemq; eiusdem hepatis calidior intemperies delenda est tum assumendis, vt elect. triasantali, tum apponendis de quibus in bilioso fluore. Postremo idiopathia vteri curanda est pro varia eius specie in singulis sympathiæ differentiis exposita. Hactenus menstruæ vacuationis symptomatum omnium therapeia exposita est: Conceptionis symptomata deinceps percuranda sunt: si modò eiusdem causæ prius expositæ fuerint.

De conceptione.

Est igitur conceptio propria actio vteri, procreatricem in suscepto semine virili otiosam facultatem ad actum propriumque conformandi fœtus munus exsuscitans: hæc autem via cõceptrix ab idiosyncrasia vteri prodit, quam globosa cauaque eiusdem figura singulari ope adiuuat, dum semen ipsum intimo suo sinu auidè complectitur: & ad iustum concipiendi, formandi, augendi, tandemque pariendi tempus constanter asseruat. Illa vero conceptio septem dierũ est: à quib. inchoatur formatio partium fœtus: hinc ab Hippocrate libro de carnib. & de genitura proditum est: si quod in vtero conceptum est, intra septem dies excidat: nullam præ se ferre partium delineationem, si verò post septem dies excidat, idipsum in aquam immissum quandã euidentem partium delineationem exhibere, oculor. oris, pudendorum & principum viscerum. Aristoteles quoque lib. 7. de historia animalium cap. 3.

quæ

quę intra ſeptem dies primos in grauidis fœminis corruptiones fiunt: eas quidem, non abortus, ſed effluxiones vocari autor eſt: non enim ante ſeptimum diem fœtum & embryonem, ſed ſemen ſolum in vtero contineri. Procreatio autem & coarticulatio fœminarum in vtero quadraginta duobus diebus abſoluitur, maſculorum in triginta, atque id vt plurimum, & tempore breuiori paulo, aut longiori. Procreationis, cui conceptio in primis opitulatur, ſubiectum locusque eſt totus vterus (hinc naturæ hortus agerque vocitatur) efficiens cauſa, formatrix facultas à patre ſemini conferta: materia circa quam fingendam facultas verſatur, ſemen virile muliebri auctum & menſtruo ſanguine optima vteri conſtitutio, temperies & figura, adiutrix cauſa eſt. calor natiuus vnà cum ſpiritu à parentibus per coitum ſemini permixtus cauſa inſtrumentaria. Finis denique procreationis eſt ſpeciei propagatio, naturæque ornamentum. In vtero igitur vt ſit fœcundus, moderata temperies exigitur, omniumque excrementorum alienorum & menſtruorum penuria, vt duobus, tribus, quatuor, aut pluribus à finito eorum fluxu diebus: figura quoque tum vtriuſque ſeminis tum fœtus ad legitimum pariendi vſque tempus capax: natura denique veneris & coitus virilis auida. Cæterum cum cuiuſuis operis principium ſoleat eſſe duplex, vnum agens, alterum patiens, ſiue materiale: in generatione tamen animalium vtriuſque vicem gerit vnicum ſemen maſculum muliebri permixtum, & in vtero auctum: ex eo enim partium ſpermaticarum

omnium prima rudimenta, viscerúmque quasi filamenta quædam tenuissima, insidens semini ipsi formatrix facultas in primis exprimit, quæ deinceps carnea mole ex allecto mutatóque sanguine menstruo impleat, alat, augeat: & præscriptis à natura terminis tandem perficiat. Hoc tam diuino conformationis partiúmque fœtus descriptionis munere facultas ipsa formatrix perfungitur, calore natiuo, spiritúque à parentibus adscititio adminiculante, à quo semen totum perlustrante, variasque seminis portiones distrahente: diuersæ quoque partium substantiæ suscitãtur, vt putà neruearũ, membranearum, ossearum, quæ à præsenti facultate informantur: sed enim ex seminibus duobus maris & fœminæ, masculum solum fœcundum est: vtpote præcalidum & siccum, indeque album, crassum, lentum, bullosum, ex coctionis probitate & spirituum mixtorum vbertate. Atq; hæc maris temperies calida siccaque ex multis tum causis tum corporum & animorum affectionibus perspicua est: Primum enim mares è semine calidiori dextri testis maioris & densioris gignuntur. Hinc ligatio sinistri testis: & leuatio cruris dextri in coitu, prolem masculam maturat. Iidem in dextro vteri sinu aluntur: vtpote calidiori, ob viciniam & rectitudinem hepatis: vnde fit vt dextræ omnes partes sinistris sint calidiores & robustiores. Aluntur quoque sanguine puriori è vena caua infra emulgentem tracto. Huc spectat quod à coitu, fœminæ in dexterum latus decubitus prolem masculam iuuat, sicuti naturæ quoque sanguineæ vel biliosæ ætas ab adolescentia ad constantem. Deinde masculi fœtus velocior est in vtero formatio, vt in triginta diebus, motúsque

que validior, celerior & frequentior, purgatio puerperæ breuior, vt 30. dierum, cauitates omnes vasorum, thoracis, & asperæ arteriæ ampliores. Hinc pulsus maior, vox grauior, tardior extra vterum accretio, vitaque diuturnior, ob crassi lentique humoris primigenij extensionem difficilem & dissipationem. Habitus nigrior, densior, porosior, grauior, constãtius iudicium, ferocitas magis implacabilis, vires tandem omnes robustiores. Postremo à calidis causis omnibus, tum cibis, tum medicamentis mascula soboles propagatur: Eiusmodi est diæta calida siccaque, quæ sit omnis ingluuiei, temulentiæ, cruditatis, frigoris, inediæ, metus, & tristitiæ expers. Item purgatio omnium corporis excrementorum per octo vel decem dies ante mensium eruptionem, moxque à fine mensium, vteri corroboratio per sumenda, admouenda, & immittenda in vterum remedia, quorum in profluuio muliebri albo meminimus. Contra verò temperiem fœminarum frigidiorem & humidiorem esse earundem origo satusq; & corporum animorumque accidentia clarissimè demonstrant. Oriuntur enim illæ à frigidiori semine testiculi sinistri, minoris, magisq; flaccidi, quod è sanguine magis seroso & ab emulgente sinistra hausto conficitur, aluntur que in sinistro vteri sinu ob hepatis distantiam, frigidiori. Inde accidit, vt fœminarum semen sit tenuius, liquidius, aquosius, minusque album, vires earundem omnes lãguidiores (robur enim calori & spiritui tribuitur) capillitium densius, tenuius, productius, cùm caloris sit poros dilatare, pilos incrassare & aliquando crispare; vasorum omnium, thoracis, & asperæ arteriȩ angustia maior, vnde minor pulsus, vox magis

exilis,remissioris caloris indicium,clunium amplitudo,ossiumque ischij & coxarum ad facilem tutãq;fœtus gestationẽ,habitus obesior,laxior, læuior, magis grauis,magisq; glaber vt pote minus porosus,sanguis crudior & abũdantior, vt quẽ non dissoluat calore qui infirmus est, cõformatio in vtero tardior vt in 42.dieb.motusq; tardior,vt circa 90. diem, in viris autem circa 40.idem languidior& rarior est,quia tenuius semen ab infirmo præsertim calore serius cogitur & inspissatur: eduntur tamen eodẽ,quo mares,tempore, quia quantò tardius formantur,tanto citius formatæ iustum incrementum consequuntur,extra vterumq;citius crescunt,pubescunt,vigentq;,&sapiunt ob faciliorem tenuis & liquidi,quam lenti crassiq;seminis productionem,citius senescunt & moriuntur ob velociorẽ humoris primigenij dissipationem,genitalia deniq; intus cõdita sũt infirmo calore foras illa nõ extrudẽte,vt ait Galẽ.vel potius natura ipsa fœtus securitati isto situ prospiciẽte.Itaq; marẽ vocare cõsueuerũt qui in alieno corpore generat semine per erectũ colẽ,quasi per siphonem in vterum instillando,fœminam quæ intra se:ideoq; genitalia eius interior situs decuit, ad excipiendum fouendũq; semen virile,& fundendũ menstruum alimenti gratia. Est enim Aristoteli virile semen coagulo simile in casei concretione:& menstruum lacti: proinde illud recte quoq; asserebat Arist.vim habere accedendi ad omnia,id est informandi omnia mẽbra animalis,non solum in genere,vt humanum humanas partes, equinũ equinas: sed in specie etiam vt semen SocratisCalliæ filij partes gignat.Iã vero seminis virilis tẽperies & energia non solum à causis internis, vt ætate & natura frigida

gida viſcerumq́, vitiis,& externis omnib.perfrigerantibus: ſed à mixto etiam ſemine muliebri impuroq́; menſtruo tam valde debilitatur,vt muliebri ſimile euadat,maxime autem ab vtero.Vt enim grana tritici per pluuioſam tempeſtatem ab vliginoſa terra in loliũ & auenam ſterilem degenerare ſolẽt: ſic ſemen virile ab vtero frigido humidoq́; mutari in muliebre cõtingit:ſicuti caliditate eiuſdẽ vteri frigidum ſemen incaleſcere ſolet. Hinc fœminę iuuenculæ ex ſeniorib.maritis mares concipiunt: ſed ex ſenioribus fœminis iuuenes mariti mares non generant,niſi prius vterus arte recalfactus ſit. Hinc quoq́; eædem fœminæ ex iiſdem maritis, ſed diuerſo tẽpore, mares concipiunt & fœminas:illos quidem primo, ſecundo, tertio, aut quarto die à fine menſiũ: has vero aut initio eorundẽ aut ſerius poſt fluxum. hæc tamen vteri vis ſemen virile mutatura inſignis & vehemens intelligi debet: aliàs ſemini virili proprium motum relinquit integrum. Triplicem quidem liberorum cum parentibus ſimilitudinem tradunt: vnam ſpeciei,alteram ſexus, tertiam formæ aliorúmque tum animi tum corporis accidentium. Primam è ſpecifica differentia facultatis formatricis oriri volunt,ſicque hominem ab humano ſemine: equum ab equino,& immixtis diuerſi generis animalium ſeminibus,fœtum matris ſpeciẽ referre,vt ex ouis hirciq́; cõgreſſu ouẽ: quod materia plurima à matre, vt ſemen & menſtruũ toto prægnationis tempore conferatur,quam formatrix facultas ſequatur, cùm futuri operis apparatum quendam contineat. Secundam dicunt ex ſeminis temperie emergere: ex qua calida ſiccaque mas, ex frigida humidáque fœmina educatur.

Tertiã à differẽtia indiuiduali non specifica facultatis formatricis in membris paternis residua: quorũ ideã semini in testib. inducit vehẽte calore & spiritu natiuo. Formã autem hic pro delineatione & descriptione partiũ vsurpamus. Nec vero liberorum cum matribus sexus aut formæ similitudo; seminis muliebris menstruiq. fœcunditatem testantur: sed potius seminis virilis, in quo solo facultas generatrix insidet, intẽperiem frigidã humidãq. prodit, & quidẽ vel per se crudioris, vt puta ętatis iunioris seniorisue, naturę valetudinariæ & diætæ intemperantis & intemperatæ vitio: vel à muliebri semine copioso mẽstruoq. oppressi: vel denique à frigidi & vliginosi vteri cõmercio mutati: tunc enim & fœminã & matri similem profert, sicuti marẽ vsquequaq. patri similem cùm in menstruo & semine muliebri caloris spiritusq. affluentia excellit: sin virile semen cum vtroq. paribus gradibus, illo quidem caloris, hoc frigoris certet: marem quidem sed matri magis similẽ suscitabit, quod à viro caloris energia maior, à fœmina materia copiosior, quã formatrix facultas sequitur, generationi fœtus cõferatur. Quod si diuersis partibus suis vtrumq. parentum exprimat fœtus, istam sane figuræ varietatẽ vna eademq. formatrix facultas seminis virilis, fœtui insculpsit (tametsi solas paternorum membrorum ideas ipsa complexa sit) vel quod ineptam materiam non potuit facultas motu satis valido fingere: vel quod non æque ab omnibus seminis portionibus ad fingendas partes fœtus pulsata est: dum quædam earum portionum vincunt: aliæ vincuntur. Quæ denique fœtui cum auis atauisque formæ & figuræ similitudo intercedit (cum neutrius victoria est, masculi

masculi aut muliebris seminis menstruique)ea quidem ex reliquiis caloris spiritusque eorum effingitur. Atque hęc quidem similitudo formæ &tēperiei ad quartam generationis seriem retro pertinere putatur:in qua matrimonia prohibentur (ecclesiastico ritu)morbique hereditarij à medicis metuuntur. Quamobrem formæ indiuidualis similitudo non temperiem principiorum generationis sequitur,cum multæ fœminæ patrib. multi mares matribus sint similes.nec tamen illę à calidis,hi à frigidis principiis nascantur:sed à formatricis facultatis robore ob copiam materiæ,nisi à præpollente imaginatrice facultate formatrix vincatur.Illa enim reliquias tum animales tum vitales tum naturales facultates tam imperiose regit,vt motus,vociferationes, ambulationes dormientium cōmoueat,mœrorem, tristitiā, hilaritatē,rerumq; diu & serio cogitatarū imagines in fœtu ipso exprimat;nō id tamē accidit in ipso coitu:quo facultates animales oēs principes & imaginatrix ipsa quoq; lāguere solet:nec in cōceptu:qui quòd nondū animatus sit,nil oīno effingat (cū sit anima corporis viuentis animatiq;essentialis forma,omniūq;eius actionū causa primaria)sed toto conformationis tēpore,quę imaginationis vi sępe cōmutatur.hinc appetiti negatiq; cibi per picā& malaciā grauidarum,figura colorq;in fœtu ipso exprimitur:hinc cuiusq.rei quæ mulierem pręgnantē vehementer terruit aut exacerbauit imago in fœtu cōspicua remanet: cuius deformitatē mulieres solēt à parte nuda obuiaq.ad occultā&vestib.tectam admota manu trāsferre.Hic etiā ex matre alba ęthiops fœtus,hinc excludūtur pulli,lepusculi,hinnuli, catuliq.& ouiculæ Iacobi simili rerum colore matrib.

cõformationis tempore obiectarunt. Hinc denique multo maior in hominum quam reliquorum animalium genere formæ varietas est & dissimilitudo ob multiplicem humanæ imaginationis varietatẽ, & ingenij celeritatem. Tanta denique, támque imperiosa imaginatricis facultatis violentia est, vt quãcumq; rem & quamlibet obscœnam alienámq; constanter cõceperit, eius ipsius speciem fœtui fœtæq; aliquando insculpat, abortúmq; etiam prouocet. Solet enim ex rei vehementer appetitæ priuatione, ingens animi ægritudo & molestia sanguinẽ tam valde cõmouere, vt eum ex vtero, vnáq. fœtum ipsum sępe excutiat. Quid? quòd fœtantẽ fœminam præsertim natura debilem & iracundam perimere haud raro visa est? Macrinam cuiusdam Torquati consulis Romani vxorem prægnantẽ, dum Ægyptij cuiusdam monoculi per vicum ante ædes suas prodeuntis (cuius videndi auidissima erat) aspectũ sibi sua spõte interdixisset, ne absente marito, tum cõtra Volchos bellũ gerenti, aut fores ædium suarũ egredi, aut caput proferre è fenestra cogeretur: extinctã repente fuisse narrat M. Aurelius: Itaque senatuscõsulto hõnestis fœminarum prægnantium desideriis tum cautum fuit, ne quid illis negare cuiquam liceret. Inde etiam vulgi nostri opinionem ortam esse probabile est: hordeolum illi, quicunq. secus faxit, in oculo nasciturum, i. corporis turpem aliquã maculam foras erupturam. Cęterùm vis hæc imaginatricis, tam eximia primo conformationis tempore potissimum viget, molli adhuc semine, cogitationum simulachra facile & celeriter admittente. Hęc autem ab imaginatione inducta formæ similitudo non parentum est, aut maiorum, aut auorum, atauorum: sed peregrinorum rerúmq. monstrosarũ

& belluinarum. Quod ad fœdas faciei aut cuiusuis partis fœtuum maculas attinet: aut à turbata vehementius fœminę prægnantis imaginatione,quo tẽpore formatrix negotiatur,cõmotóq.in hanc vel illã embryonis partẽ sanguine: vel partis peculiari in tẽperie alimentũ corrũpentis in fœtu,vel alieni cuiusdam humoris in eandem insultu,vel deniq.graui aliquo ictu aut casu aut cõpressu infligi incutique contingit.Sexus autem similitudo prouenit ex temperie seminis totius,nõ cuiusdã in semine portiunculæ,à genitalibus deriuatæ: nec enim à singulis parentum particulis,sed è genitalibus solis seminalis substãtia decedit:soláq. facultas formatrix ad semẽ in testes cum spiritu & calore ab omnibus paternis membris accedit: cuius ratione semen quidem est manus indefinita,& facies,&c. Itaque non ex solis genitalibus,sed ex omnibus corporis animiq.accidentibus sexuũ discrimen notari solet,vt capillitio, barba, voce,habitu,morib⁹ & studiis.Cõstátque omnib.causis calidis internisexternisq.mascula proles:sicuti contrariis fœmina.Natura enim calida vt sanguinea & biliosa mares:frigida humidáq.fœminas:adolescentia iuuentus & cõstans ætas mares.Sic diæta calida siccáq. & tẽperans mares: eadẽ frigida humidáq. crapulosa, otiosa, somnolenta fœminas. Sic ventus Aquilonaris,& regio,& hyems,mares. ꝙ viscerũ calor tũ vegetior sit:seménq.magis coctũ & elaboratũ. Cõtra regiones æstuosæ, austrini venti, æstas & autũnus, fœminas.Sic dexter vteri sinus calidior mares,sinister frigidior fœminas. Sic triduũ primũ à cessatione mensiũ mares(quòd ob recentẽ fluxum vterus sit calidior) reliquum spacium potius fœminas. Voluptas denique & licentia in coitu

maior mares;metus fœminas profert.Sexuum quoque in geminis ex eadem seminis temperie discretio est.Illi enim alias eodem, alias diuerso eduntur sexu:nam è similari coctóque exquisitè & æqualiter semine toto, mares ambo:à crudiori minúsque elaborato fœminas:at verò ex dissimilaris eiusdem portione magis cocta,mares: ex portione crudiori & inualida fœminas proferri constat. Non enim prima secundáque aut tertia per coitum eiaculatione semen pariter laudatum emitti putat Hippocrates.Oportet autem semen id,à quo gemellorum ortus est, vno coitu totum, non pluribus effundi,eodémque die concipi, fœtúmque tandem excludi:nam si pluribus coitibus conceptus,partúsque diuerso tempore contingant,quamuis breuiore,vt quinque, aut sex,aut octo dierum: hæc quidē superfœtatio erit,nō gemellorum partio,dum primis illis diebus vterus nondum valde conniuens virile semen facilius suscipit. Geminis eiusdem sexus obuoluendis in vtero vnica secūdina satis est: alias cuiq; sua obtingit.Singuli quoque fœtus,quocunq; sint sexu,suos cum cotyledonib.nexus suáque vmbilicalia vasa venas & arterias sortiti sunt. Porro geminorum procreandorū causa duplex est,tum sem nis copia plurib.gignendis fœtibus idonea,tū eiusdē in vtrumq; vteri latus dextrum sinistrúmq; (sinum vteri vocāt)æqualis diuisio.Est sanè vteri vt vesicę& stomachi vnica cauitas,nullo diaphragmate aut mediastino,vel membraneo vel carneo intus dirēpta: sed vnica linea alba vt in scroto per mediā partem foris descripta.Itaq; fœmina humana sæpius vnicum aut duos fœtus simul cōcipit,vicissímq; parit.Ideóque duas illi tantū māmas natura affixit:nō solum

ſolum vt vna ob morbum feriante, altera cõmune lactationis officium expleat:ſed vt duobus geminis lactis ſimul ſuppeditet alimentum. Plures tamen aliquando vt 3.5.7. & aliquando centum vno partu editi domeſticis referuntur hiſtoriis:ob ſolã ſeminis vbertatẽ,ſiue cellularum vteri multitudinẽ,quę in multiparis animalib.vt ſuib.& canib. conſpicua eſt,quibus mãmarum fœtuúmq;numerus reſpõdere videtur: quibus iungenda eſt vteri amplitudo, fœtuum,atque ſecundinarum exiguitas, maturáque vt ſeptimeſtris partio. Deniq; de varietate ſexuum ſic habeto.naturæ ſupremæ & vniuerſali eã quidem ad generationis vſum propoſitã eſſe:ideóque eius gratia, genitalia diuerſa effecta,colem & vterum: vt ab illo ſemen,ab hoc cõceptui locus ſuppeditetur,fœtúſq;cõformationi,allecto menſtruo ad nutritionẽ auctionẽque:at particularis vnicum maſculum ſexũ cõſectatur: ex propria ſeminis virilis prolifici temperie:ex qua indiuidualis,& propria facultas formatrix exiſtit.Sępe tamẽ ob ſeminis vitiũ & intemperiem frigidã,ſiue propriam,ſiue ex mixto menſtruo & ſemine muliebri acquiſititiam,quaſi errore quodam,naturę & formatricis indiuidualis,fœmina excitatur.vnde mõſtrum& imperfectio vocitari quibuſdam cœpit.Nec vero imbecillitatis maternæ & ægritudinis expreſſa in liberis veſtigia muliebris ſeminis menſtruiq; ſanguinis fœcunditatem vllam inſinuant:ſunt enim corporum iſta accidentia,nõ è facultatis formatricis vitiis: ſed ex ſeminalis menſtruæq.materię,è quib.fœtus ipſi in vtero inchoantur,augentur,perficiuntur,intemperie orta.Hæc verò intemperies aliàs eſt inſita, totique corpori cõmunis,vel particularis:alias adſcititia,lõgáq. cauſa-

rum externarum cõſuetudine confirmata: vel recẽs & ob inſitæ adhuc vigentis naturæ repugnantiam debilior: vt in febribus putridis: quæ idcirco à parẽtib. in fœtus trãſeunt rariſſime. A reliquis intẽperierum tum cõmunium tum particulariũ ſpeciebus morbi oriuntur tam ſimilares quã organici, hæreditarij vocati, quod iſtorum hęredes non minus quam bonorum liberi eſſe ſoleãt. Hinc bilioſæ matres, nedũ patres, iracũdos: melãcholicę mœſtos & timidos: atrabilarię feroces & maniacos: pituitoſæ ſegnes & torpidos fœtus edũt: hinc gibboſę gibboſos, claudę claudos, mãcæ mãcos, arthriticæ arthriticos, tabidæ tabidos, calculoſæ calculoſos pariũt fœtus: ſæpe tamen ab ægra parte aut corpore tam exigua ſeminis portio ad conceptũ accedit, vt alterius parẽtis temperie cõmuni vel particulari robuſtaq; facultate facile vĩcatur, & corrigatur: quanquã eſt paternę multo facilior crebriorq; quã maternę intemperiei correctio: quod à matre generãdo, alendoq; fœtui multo plus in vtero materiæ ſeminalis & mẽſtruæ: deinde extra eundẽ totũ alimẽtũ ex lacte cõferatur. Accedit eiuſdẽ vteri ſana cõſtitutio, qua vitioſorũ ſeminũ vitia vt frugũ à feraci fertiliq; terra emendari ſolent. Itaq; corporis paterni vitia rarius quã materni in fœtu reſpõdẽt: ſępiuſq; claudi, cęci, gibboſi, arthritici patres liberos tollũt ſaluberrimos, omniũq. iſtorũ vitiorũ expertes: matrũ quoq. virtutes, nedũ corporũ vitia, fœtus multo plures, quàm patrum æmulãtur, fiũtq. pleriq. abſtemij, temulẽti, horũ vel illorũ ciborũ diligentes, vel negligẽtes, ob ſimilem matrũ grauidarũ cupediã, picã, malaciam, ſicuti ab iiſdem pleuriticis aut quaternarijs grauiditatis tempore, pleuritidi & quartanis febrib. obnoxij totam
vitam

vitam traducunt. Eadem eſtautē morū,ingeniorum ſtudiorumque à parentibus in poſteritatē è principiorū tēperie tranſfuſio. Itaq. præclaris maiorū virtutibus nepotes decorari, ſicuti turpiſſimis facinoribus dedecorari ſolēt: nimirū vtrūq. generationis principium ſemē & menſtruū indelebilem parentū temperiei ideam in conceptum ipſum deponunt: vnde virtutum omnium vitiorumque primordia atque ſanitatis & ægritudinis rudimenta fluere in prolem cum hæreditate ſolent.

Quæ autem ſublimioris ſunt facultatis ſupra temperiem,& vegetatricis animæ corpoream facultatem,queq. intelligētia,iudicio,ſtudioq.cōparantur artes & diſciplinę,hęreditarię nequaquā eſſe poſſūt.

Hactenus generationis animaliū(vt cuiuslibet actionis principia duo)ſatisaccuratè demōſtrata ſūt, vnū effectiuū, alterū materiale. Illud ſemē eſt maſculū fœminino auctum:illud enim ob caliditatem eſt fœcūdum:hoc ob frigiditatem ſterile. Poſterius ſanguinem eſſe menſtruū quo inanes partium ſimpliciū ex ſemine ductæ fibrę implētur,parteſq.ipſæ in vtero alūtur,& tātiſper augētur, dum grādior fœtus excludatur. Superſūt aliquot eiuſdem argumenti enarrāda capita:an ſemē ſit principiū duplex actiuū & paſſiuum:an à parentibus an à ſeminis potētia facultas formatrix excitetur:tum an ipſum ſemen actu ſit vel potētia animatum:tuman eadem ſit cœleſtis vel elemētaris:tum deniq;quæ ſigna ſint conceptus cōmunia, diagnoſtica, & ſexuum ſigna diſtinctiua. Seminis maſculi duplicem vim eſſe,actiui, paſſiuique principij,tum ex formæ id eſteffigiei, quæ facultatis formatricis propria eſt:tū ex acciden tiū corporéorum fœtus cum parentib. ſimilitudine,

quę à materia eſt, clariſſime antea diſputatũ eſt: nec tamẽ illud ipſum ſemen agere patiq; circa idẽ & à ſeipſo mutari: quin potius ab inſidẽte facultate formatrice in fœtuum partes conformari ſeminis ſubſtãtiam totam putandũ eſt. Facultatis autẽ illius origo nõ in ſeminis ipſius potentia locanda eſt: cum ex ſolis teſtibus ipſum defluat, in quibus inſtar lactis in mammis, ex cõmuni partiũ omniũ alimento id eſt ſanguine elaboratur; nam ſi ex partibus ſolis principibus effluuium ſtatuatur, vnde quæſo vnguium, barbæ, capillitij parentũ ſimilitudo in liberis extet? ſi à partibus ſpermaticis ſolis, vnde partiũ organicarũ formæ ſimilitudo, quarũ tamẽ propria eſt, exprimatur? ſi à ſolis organicis, vnde ſimplicium partium, vt cutis, pilorũ, vnguium eadẽ ſimilitudo? ſi denique ab vtriſque & organicis, & ſimplicibus, vnde ſingularũ ſimilitudo, cum ipſæ inter ſe cohæreant? quin etiã ſi manci patres, nõ mancos liberos, claudi non claudos, & deauriculati non deauriculatos aliquãdo generãt, cõformatio certè ipſa ad facultatẽ quandã formatricẽ ſemini inſidentem referenda eſt, quæ à paternis mẽbris omnibus in quibus reſidua erat, per coitus ardorem cum vapore emicãs calorique vitali & ſpiritui mixta ad teſtes in ſemen fœcundum illabitur, ex quo ſimillimum parentibus corpus, quibus præfuerat, ſine ſingulari tamen partium ſeminali materia in vtero facultas ipſa cõformet: ſemẽ enim fœcundũ, eſt materia gignẽdarum partiũ omniũ cõmunis, quæ à facultate tanquã opifice in ſingularũ decentẽ figurã & ſubſtantiã dirigitur: facultas autẽ ipſa aut ex omnibus vt dictum eſt partibus, aut è principibus potiſſimũ ad ſemẽ accedit. Eſt vero animalium plantarumque ſemẽ poten-

tiâ ſola animatũ: ſi enim in ſemine generatoris canis ſtatuatur actu anima generandi canis, illa quidẽ nõ erit actus primus, formáque eſſentialis & cauſa actionum omniũ primaria, cuiuſmodi ab Ariſtotele definitur, corporis organici viuentis, cum ſemen paternum primis ſaltẽ à coitu ſeptẽ diebus nõdum corpus ſit delineatũ & inſtrumẽtis ad actiones formatum quibus carere anima nõ poteſt: Ea autẽ potẽtia intelligenda eſt, non remotiſſima, mediave in qua actiui principij nihil eſt, ſed per alterationẽ & præparationẽ materię acquirẽdum: ſed propinquiſſima actui formali in quo effectiuũ principium totum eſt: vt citra alterationẽ materiæ operetur: vbi materiã & locũ idoneũ inuenerit. Excitatur autẽ & educitur in actũ propria agentis vi, qui calor & ſpiritus eſt vitalis à patre ſemini inditus, indeq; in embryonẽ & tãdẽ in perfectum animal trãſmittẽdus: per quem denique ſuę ſpeciei fœtum in vtero pater generat. nec enim calorẽ ſeminis à patris calore differre, niſi numero, putãdum eſt: cõceptus enim nondũ animatus eſt, nec quidquã moliri & efficere poſſit. ſic actus primus dicitur potentiâ ad ſecundum ideſt ad functiones propinquiſſimâ. ſic anima ſeminis collata ad animas iã formatorum animaliũ dicitur potentiâ, cum illę iam operentur. Caro quidẽ in parte vulnerata ſuccreſcit, ſed à carne partis viuẽtis nõ à ſanguine ipſo genita: ſic ex ſemine animal formatur actu animatũ, cũ ante formationẽ ſola potẽtiâ: ſic plãtarũ ſemina dum partes ſunt viuẽtium viuunt, alũtur quoque & augẽtur: ſed medio tempore quo in granariis aſſeruantur, tametſi figurata & organica ſint: ex partibus ſuis ſimilaribus: nequaquã tamen actu: ſed potẽtiâ propinquiſſimâ viuũt, tãtũm-

que egent loco & alimẽto in terra idoneo,eiusq;calore, à quo illa excitetur. Sic oua volucrũ viuẽtium partes sunt & simul viuũt, donec formatrix facultas à proprio agẽte, id est calore insito per incubatum gallinę excitetur. Licet ergo vere affirmare semẽ nõ actu sed potentiâ propinquâ animatum esse: eadẽq; potentiâ, viuere ali & augeri: omnesque functiones perfecti animalis & viuẽtis obire: nec eã tamẽ animam de potentia materiæ remotæ aut media excitari, cùm sit à parentibus immissa. Verum enimuero de formatricis facultatis origine variis certatur opinionibus: Minime .n. Deus formationis author censendus quibusdã videtur, cùm nec tam egregiũ artificem vilissimorũ animaleulorum, vt muscarum, vermium, serpentum: nec tã sapientẽ authorẽ monstrorũ passim occurrentiũ, deformitas deceat. Minime fortuna, cùm enim perfectorum mixtorũ siue plantarũ siue animalium delineatio facultatis formatricis propria sit: omniumq; partium ad necessarias functiones congruæ magnitudinis, figuræ situsque & substantiæ descriptio, nemo nisi prorsus amens tã artificiosam molitionẽ in fortunæ temeritatẽ referre poterit. Minime natura: quæ cum ex elementorũ permistis inter se substantiis & qualitatibus primis constet: nihilq; ab eorũ tẽperie distet, lõge sane à tã eximia conformationis dignitate distat. Minime denique anima humana, quę alieni potius ædificij inquilina est, & in corporibus hominũ hospes & peregrina, quæque etiam non nisi ab alio prius artifice condita cælitus aduolat. Est igitur facultatis formatricis origo valde dubia: neque vtrũ vel cælestium vel elementariũ generi tribuenda sit, certum satis ratumq; indicium esse videtur. Est tamen

men quæstio hęc sapientum ponderibus hoc pacto exigenda. Etenim viuentiũ corporum à non viuentibus discrimen vnum per animam est, illorumque differẽtiæ tres, plãtarum, brutorum, hominumque: non ex animæ quidem essentia obscura nostrisque sensibus prorsus occulta, sed ex conspicuis eiusdem obuiisque operibus diuersis. [Prima est stirpium: quæ solis animæ vegetatricis viribus eduntur, aluntur, augentur: Altera brutorum, quibus motus sensusque ex sentiente anima communis est. Tertia est hominum, quorũ ratiocinatio & intelligẽtia propria est. Cũ igitur singulas istas viuentium corporũ differentias, singula constituant animarum genera: plura quidem in eodem subiecto sibi vicissim succedere videntur, vt in bruto vegetans & sentiens: in homine tum priora illa duo, tum etiam intelligẽs, quę discreta tamen in eodẽ non sunt. Sic enim confusis speciebus idem esset corpus viuens & brutum & planta, idemque homo brutum & planta, pluresque omnino mortes obiret. Sunt ergo dominantis & excellentis animæ facultates vel partes habendæ quæ animarum nominibus vocitantur: singulorum autem animæ generũ variæ sunt functiones gestionesque, vt vegetatiuæ procreatio, nutritio, auctio, harũq; sociæ vel potius ministræ, attractio, retẽtio, coctio, & expulsio, vt sentiẽtis animæ sensus quinq; motusque communes & particulares: vt intelligentis dianœa, non illa quidem passiua, rerumque suscipiendis speciebus obnoxia: sed actiua: quę cõceptas prius notiones discernit & diiudicat: hæc enim est intellectus ipsius propria actio omninoque triplex, Vna simplicium, vt canis, plantæ & cæt. quę falsitate omni caret: Altera coniunctorum, vt cum ho-

mo dicitur animal rationale: in qua verum falsúmque sæpe occurrit. Tertia est syllogismus, cùm coniunctis alia quędam adduntur, vt inde aliquid aliud cōcludatur. Intelligentem igitur animam, quod functiones omnes suas sine vllo instrumento corporeo exerceat, incorpoream, immàterialem prorsúsque diuinam esse oportet: neque in semine paterno vlla potentiæ differentia desidere aut à proprio agente suscitari: sed confirmato iam suisque partibus omnibus absoluto fœtui cęlitus instillari. Est quidem plantæ perfectus actus: vt illi nihil præter corporis accidentia possit contingere: at animaliū actus imperfectus est: Primum enim bruta plantæ more vegetatrice anima pollent & viuunt in vtero donec perfectior anima sentiens successerit, vbi in fœtum delineatum versus est: sic homo ex planta fit animal: tandemq; homo, post intelligentis animæ, quæ sola hominem informat, immigrationem. Est igitur acerbum auditu credituque nefas, hominem à sole & ab homine generari. Dicendum potiùs ab homine tantum hominem inchoari, dum partes singulæ corporis ex semine eius figurantur: sed à Deo solo perfici, immissa cęlesti anima. Hinc hominis est momentanea generatio: brutorum plantarūque lenta magis & tarda, dum essentiales eorum formæ è potentia propinqua in actum à calore natiuo parentum semini mixto excitātur. non est igitur anima humana in corpore vt nauclerus in naui, vt Stoici sentiunt, nec vt auriga super equum, vt Academici: sic enim oporteret animam esse corpus & in certo loco à corpore vacuo, nec vllam corporis partem esse animatā: aut certe à corpore corpus penetrari necesse erit: nec vt incorporea forma ad vnius homi-

hominis hypostasin constituendã. Nã si duæ hypostases sunt anima & corpus, quãdiu simul sunt, nõ eget anima corporis physici formâ: quę enim penitus auulsa sunt, & à corporibus distracta, motoris officio non formæ funguntur. Est igitur in corpore veluti forma in materia: estque vna vtriusque hypostasis, nullo alio inter vtramque intercedente. Brutorum quidem animæ omnino in materiam demersæ sunt: & cum ea sic concretæ vt separari sine subiecti interitu nunquam possint. Hominum anima media est inter formas separatas & non penitus abstractas à corpore, nec tamẽ corpori sic affixa est, vt non sit separabilis & aliquando solitaria futura post interitum subiecti sui. Non est denique ea priuatim, aut in corde, aut in cerebro: sic enim oporteret reliquum corpus esse exanime: sed per vniuersum corpus diffusa est. Galenus libello quodam intelligentem animam, nil aliud quam quatuor qualitatum primarum temperiem, omninoque elementarem illam esse & caducam argumentatione triplici colligit: tum quod ab insigni qualibet intemperie tam insita quam aduentitia & morbifica facultates eius omnes functionesque deprauari, imminui, penitusque obliterari contingat: tum quod anima intelligens, si incorporea esset & immaterialis, extendi per totum corpus diffundique nullomodo posset: tum denique quod si incorporea eadem sit, non vni magis quam alteri parti corporis humani conueniat. Atqui irascibilis animæ facultas cordi, naturalis hepati, ratiocinatrix cerebro attribuitur. ratiocinatio sanè hæc futilis omninóque physica authoritate indigna. Vt enim do-

labræ, ferræue vitijs fabrorum opera turbantur: sic cerebri intemperiei vnionis & conformationis morbis intelligentis animæ alioquin & per se integræ functiones perturbantur. Deinde anima nisi tota in toto corpore statuatur, corporis pars vna vitæ particeps: altera eiusdem expers erit: multo minus si corporea sit, & exigua, cum tanta corporis mole exæquari possit. Postremò quòd omnibus partibus corporis non æquè videatur congruere, variásque facultates suas variis exercet instrumentis, id diuersa efficit partium temperies & figura diuersis animæ functionib. accommodata. Quamobrem animam humanam cælestem prorsus diuinamque esse, quodque proprias actiones suas intellectus sine corporis adminiculis exequatur, vere licet concludere. At vero vegetantis plantarum & sentientis animæ brutorum originem ex quatuor mundi elementis verisimiliter deducunt; ex quorum multiplici permixtione omnes tum materiæ secundæ tum formæ substantialis differentias prodire verbosa inductione disputant, tum figuræ corporum in eadem specie, tum brutorum animorum propensionis (non omittunt fructuum frugumque speciei eiusdem pro varietate soli, cælique & culturæ differentias prope infinitas) quorum varia discrimina variarum mundi regionum temperamentis respondeant; hinc illos homines proceros robustosque, hos paruos & debiles, illos calidos & humidos vel siccos, hos frigidos, humidos vel siccos, illorum vocem grauem, oculos cæsios

siue

ſiue virides, horum vocem exilem, oculos nigros: illorum capillos flauos, cutem albam, horum capillos nigros, cutem nigricantem: illos calorem, hos frigus metuere: illos hilares, hos triſtes: illos audaces & iracundos, hos timidos & mites: illos vrbanos & comes, hos ſolitarios & ruſticos, illos ebrioſos, hos ſobrios & abſtemios: illos rapaces & prodigos, hos auaros & tenaces: illos milites, hos philoſophos: illos armorum laborumque, hos diſciplinarum ſtudioſos. Extremarum autem mundi partium orientalium, meridionalium, ſeptentrionalium & occidentalium populos, omnibus corporum, animorumque, vitiis & virtutibus fere inter ſe ſingulos conſonare, mediterraneos autem omnium cuiuſque extremæ mundi plagæ fere ex æquo participes eſſe, pronuntiant: diuerſas enim huiuſce ſublunaris globi regiones, diuerſis ſiderum viribus regi, vt Saturni & Veneris meridionales, Martis & Lunę ſeptentrionales, Iouis & Mercurij mediterraneos, Solis ex æquo omnes, quinetiam eandem corporum & animorum varietatem eiuſdem prouinciæ incolis pro vario ſitu & temperie obtingere, hinc monticolas bellicoſos, robuſtos, induſtrios, fures, frugales, & ſobrios; maritimos verſutos, cautos, fallaces: mediterraneos ſimplices & effœminatos: item ſub ventis tranquillis, ſedatos mores; ſub violentis turbulentos. Poſtremo à legibus quoque, religionibus, conſuetudinibus, victu & exercitatione, vt temperamentum, ſic mores ſtudiaque hominum permutari: vt vere quidem acuteque vegetantis &

ſentientis animæ elementarem originem ſibi demonſtrare videantur. Demonſtrationem quoque illam ſuam appoſitis quibuſdam ratiunculis tuentur acriterque defendunt. Primùm quidem eò quod ſi anima ſentiens non ex ipſa ſubiecta materia, ſed foris ad plantam, vel brutum accedat, illa ſane non forma, ſed accidens corporis erit. quidquid enim actu exiſtenti accidit, idipſum accidens vere vocatur: Deinde ſi foris, in ſubiectam materiam migrare vtraque anima fingatur, tunc omnis generatio æquiuoca, genitúmque & gignens diuerſæ ſpeciei erunt, vt in muribus ſcilicet, ranis, cæteriſque animalculis ex putredine procreatis euenit: quum alioqui animalium plantarumque generatio vt plurimùm vniuoca ſit, omninoque proles cum parente ſpeciei eiuſdem, in iis ſcilicet quæ ex ſemine generantur: ſic ex equo equus, ex lactuca lactuca propagatur. Inſuper ſi extrinſecus animæ illæ duæ aſſumantur, illas ipſas aliquando ſolitarias fuiſſe neceſſe erit; cùm tamen phyſicorum corporum partes eſſentiales & integrantes ſint; à quibus abiunctæ cogitari nullomodo poſſunt: ſicuti nec materia à formis, ſine quibus potentia mera eſt, enſque imperfectum prorſus. Quinetiam ſi formæ per ſe conſiſtant: corporibus annumerandæ erunt, quorum proprius motus eſt, fietque vnum ex duobus actu exiſtentibus, quum tamen quod actu iam eſt, fieri denuo nequeat: ſed quod potentia ſola eſt. Momentaneam denique plantarum & brutorum generationem, vt hominum eſſe oporteret,

teret ; eget tamen alteratione multiplici subiectæ materiæ, ex qua excitetur. Enimuero eandem de elementari formarum inferiorum origine opinionem suam philosophorum quorundam refutatione stabiliunt.

Vere quidem ab Aristotele pronuntiatum esse fatentur principium motus cœlum esse, eius nimirum conuersionem continuam & indesinentem : cuius vi totius mundi sublunaris virtus gubernetur: ab eo tamen generabilium omnium formas minime suppeditari sentimus, quòd in eo tantum communis generationis causa sit; cùm singularis generatio, vt actio quælibet, à propria & definita causa tantum edatur. Itaque nec à sole plantam sine planta, nec equum sine equo, nec hominem sine homine, sed omnes animatorum corporum species à speciei suæ viuentibus corporibus cum sole procreari, cuius viuifico calore ad generandum viuentia omnia excitentur. Sic è putrido cadaueris calore potentiâ proximâ sub eius forma latente solaribus radiis excitato, varia animalcula suscitari : vt apes è vitulo putrescente: ex equino stercore scrabrones: è pituita putri vermes. concurrunt enim ad generationem quamuis principia effectiua duo, commune & proprium, è quibus hoc ab illo ad agendum & generandum commouetur. Platonicum etiam formarum naturalium è mundi anima promptuarium facetè sane meritóque subsannant, dum quærunt an mundus plantarum, animalium, hominúmve generi sit annumerandus (nihil enim præterea in mundo conspici viuum) an

saxum, lapides, succi, metalla, elementa denique ipsa viuant? Eadem quippe partium & totius est ratio, vt si illis vita non concedatur, toti meritò detrahatur: ideoque plantarum viuentium partes & surculi & semina non viuunt tantum; sed si inserantur vel seminentur, ex seipsis plantas & arbores suæ speciei proferunt. an tam multiplices rerum genitarum formæ ab vno eodemque authore in secundam materiam infundi possint? an denique si formarum opifex datorque cælum fingatur, genitis corporibus inesse, & adesse possit? cum effectrices causæ omnes extra opus suum consistant. Porro si cœlum anima formisque pluribus careat, quas elementaribus corporibus instillet, nec aut planta aut animal aut homo haberi possit, nihil omnino illi superesse potest, vt genita corpora formis exornet, nisi vt Deus quidam fingatur, à quo tamen infinito finitum mundum prorsus interesse necesse est.

Hactenus ergo inferiores plantarum brutorumque formas esse elementares, totasque ex mixtione quatuor qualitatum primarum oriri multis rationibus & pluribus exemplis disputatum est. Cæterum facultates formarum istarum omnes diuiniori quadam supra temperiem forte constare vigereque ex earundem functionibus operibusque eximiis docemur, nempe diuinam quandam scientiam semini infusam, quæ facultates istas ex eo suscitet, & ad agendum suo tempore impellat. formatrix enim seminis ipsius substantiam formamque in primis mutat: deinde ex eadem

dem corporis partes omnes idonea functionibus suis figura, magnitudine, numero, sitúque, sapientissime effingit: eásque certis periodis perficit auget & ornat: sic dentes omnium vltimos promit, & genitalia vtrique sexui ad fœcunditatem & generationem ineunte adolescentia auget, & fœminis mammas ad prolem lactandam.

Formatrici succedunt, altrix auctrixque. altrici adiunctæ sunt quatuor facultates aliæ tanquam administræ operis sui: quas eadem scientia non solum ad agendum; sed sub ordine agendum impellit: sic attractrix nihil aliud, nisi quod substantia & qualitate alendo corpori simile sit, attrahit: expultrix nihil aliud quam quod dissimile, expellit: sic attractricis operibus expultrix, retentricis auctrix vicissim succedit, nec id per sanitatem solùm, in assimilandis alimentis: sed per morbos etiam in vincendis prauis humoribus eâdem scientiâ duce morborum suorum remedia, animalia quæritant.

Animales quoque facultates & sensificæ motiuæque, ab eadem scientiâ sollicitantur. Hinc ægrotantes plerique imminente morte esitant bibuntque auidiùs, surgunt alacrius, multi loquuntur expeditè, claudi currunt celeriter, eâdem diuina scientiâ, naturales facultates mouentur ad obsequendum animalibus: Sic veneris cogitatione coles distenditur, vterus descendit: semen eiicitur, ventriculus ingratæ rei

aſpectu nauſeat&vomit,oculis periclitantibus manus obuerſamus: & inſcij conniuemus & nictamus: appetitarum à grauidis fœminis aut exoſarum rerum imagines fœtui imprimuntur: eadem diuina ſcientia naturalium functionum quæ vitales vulgo vocantur dux & magiſtra eſt: hæc enim pulſus differentias omnes, magnitudinis, motus, & ordinis pro caloris natiui temperatione variâ & fuliginis purgatione diſtinguit:hęc per ſomnum calorem intro reuocat, vt & per ingratos nuntios & initia acceſſionum febrilium : contra,per vigilias & lætos nũcios foras effundit calorem à corde: eundem denique per grauiora animi ſymptomata tam variè commouet & traducit, & cum eo humores partesque,vt qui gaudio exultat aut ira exardeſcit, vix ac ne vix quidem eodem loco conſiſtat: contra qui mœrore&timore obſeſſus eſt,à ſua ſede vixvnquam dimoueatur. Hæc denique functionum naturalium & facultatum doctrina partibus ingenita eſt: & poſt conformationem diuinitus inſita : cuius ignari omnino ſumus nedum partes ipſæ, nimirum cognitionis noſtræ duces & authores ſunt ſenſus ſoli : quorum idolis imaginatio noſtra impellitur.

Eſt profecto plantarum brutorumque natura, inſitâ quadam & ingenita doctrinâ ſine magiſtris libriſque functionum omnium peritiſſima (hinc docta , indoctaque iure cenſeri poteſt) quas facultatum ſuarum partiumque corporis adminiculis ſine vlla earum notione exerceat , non ſecus ac horologia temporum momenta dimetiri & diſpenſare pro artificis arbitrio & artificio viden-

videntur.

Hæc autem naturæ doctrina ingenita, vnde quæso nisi diuinitus hausta? vnde substantia naturæ, nisi cælitus delibata? vnde denique vtraque nisi à summo ente deriuata? nempe natura omnis inferior, influxu quodam diuino, incorporeo, ratione quidem vacuo: sed eximia tamen sapientia prædito: quam præclaris suis operibus suo tempore natura adhibeat.

Instinctus naturalis, insita illa naturæ doctrina vocitatur, elementis etiam primis mixtisque omnibus tam viuentibus quam non viuentibus communis: quo contraria similiaque internoscunt, illaque fugiunt, hæc prosequuntur, fines suos locumque agnoscunt, quem nunquam nisi forte explendæ vacuitatis gratiâ deserunt, qua expleta eundem confestim repetunt. Stirpes quoque eâdem doctrina duce, alimentum familiare è terra proliciunt, alienum respuunt: animalia denique conspecto inimico protinus excandescunt: obuio amico exultant.

Quamobrem plantarum brutorumque animam diuinâ supra conditionem naturalem origine constare profitemur, eamque à summo creatore substantiam suam doctrinamque & facultates omnes accipere contendimus, illamque vim diuinam tum naturam tum facultates eius omnes, naturales vocari: quod anima hæc, inferior temperamento, quod naturæ nomine designatur, calidóque innato adminiculante partium omnium functiones expediat,

quarum occultam doctrinam tacitamque memoriam partibus ipsis formatrix facultas inseruit, quodque functiones omnes sola temperamenti tanquam proximi instrumenti varietate variari contingat. Quod si animæ substantia ad elementarem corporum genitorum materiam & temperiem referatur: liceat sane metalla ob propriam suam temperiem animata affirmare: liceat homini plantam ex calidarum rerum cum frigidis congrua temperatione creare: liceat denique è categoria substantiarum regnoque plantarum brutorumque formas in accidentium insulas relegare, cùm temperies ipsa è quatuor primis qualitatibus mixtis conflata qualitas quoque sit. Itaque Galenus tametsi aliquando naturales facultates ab elementis eliciat, earúmque substantiam ad vnam temperiem referat, alibi tamen formatricem facultatem à quatuor qualitatibus omnino disiungit: hasque illis tanquam operum suorum idonea instrumenta adiungit, & formatorem alium esse pronuntiat: proinde alibi quoque curiosam nimis de naturæ origine & eius facultatum disputationem, tanquam medico infrugiferam dissuadet, cui temperamēti cognitio satis sit, cum ipsum solum mutabile & curabile sit.

De conceptionis symptomatis.

CONceptionis igitur cùm propria sit caloris natiui & spiritus genitiui in semine otiosi ad formationis opus excitatio, & deductio, eius vt &

vt & aliarum omnium functionum tria possunt incidere symptomata: abolitio quæ sterilitas dicitur : diminutio , quæ difficultas concipiendi vocatur , item raritas & tarditas : denique deprauatio , cuius differentiæ sunt mola, monstrum, hermaphroditus,& superfœtatio.

Primi secundique symptomatis origo est à causis omnibus : quæcunque generationis principia duo, semen & menstruum sanguinem , vel consumere vel corrumpere , vel ab vtero prohibere possunt: vel non attrahendo, vel attractum non retinendo. Causæ autem illæ bipartitæ sunt, externæ internæque: ex illis aliæ consumunt: vt aer impensè calidus aut siccus, inedia, vigiliæ longiores: labor corporis animíque immoderatus : mœrores & iracundia: aliæ refrigerant immodicè eadem principia : aer frigidus vel humidus , crapula, aquarum frigidarum crassarumque &montanarum, fructuum crudorum & immaturorum : leguminum, lacticiniorum, acetariorum & condimentorum acetosorum intemperans vsus:somniq;&otij indulgentia nimia: Medicamenta quoque eandem principiis duobus noxam inferunt:camphora enim diutius gestata & aqua vini largius potata eorum substantiam depopulatur : sicuti opium , hyoscyamus , cicuta , mandragora , & aqua frigidior testiculis apposita eorundem calorem & facultatem prolificam restinguunt,obtunduntve: idem faciunt ore sumpta:nisi fortasse parcius & calida natura atque ætate florenti : ab hac enim in crassos vapores soluuntur : à quibus longa constansque tentigo oritur. Internæ causæ alias secundum naturam sunt: vt ætas mulieris,habitus,coitus modus, & tempus.

Aetas enim quatuordecim annis iunior& quinquaginta senior fere sterilis est: Illa enim ætate prima fere fit mensium eruptio: mammis interim extuberantibus & prurientibus, pectine pubescente, lumbisque & capite dolentibus, præ sanguinis copia in caua vena iuxta vterum collecti, sursumque euaporantis: atque adeo libidine flagrante, cùm sit seminis & mensium idem prouentus: menses autem sensim augente, ad ætatis vsque vigorem: in quo cum aliquandiu æquales substiterint, rursus ad finem vsque fatiscere minuique solent: interdum tamen citiùs, aliquando tardiùs incidunt conceptus: Sed fœminæ ad decimum octauum annum, viri ad trigesimum fortissimi fœtus sunt. mensium deniq; quantitas mediocris duarum heminarum est: vario tamen pro ętatis, tempestatis victusq; discrimine. Habitus obesior tenuiorque sterilitatem fere inducit si naturalis sit & à temperie. Ille quidem ob seminis menstruique penuriam in pulpamentum versi ob genitalium partium cum virilibus difficilem applicationem: hic ob vtriusque penuriam à calidioribus visceribus digesti dissolutique. Coitus denique vel importunus: vt qui fit serius post fluxum mensium: vel à muliere seminis proprij excretionem vel tardante diutius vel accelerante promptius ante vel post virum. ita enim refrigeratum præ spiritus dissolutione euadit infœcundum: vel coactus aut violentus vt ab enormi mentula: sicuti & frequentior sterilis est semine prorsus exhausto: vel denique qui fit corpore non bene composito directove ita vt recta subire in os vteri semen emissum non possit.

Rursus

Rursus internæ causæ aliàs præter naturā sunt, vel symptomaticę, vel idiopathicę: illę rursus duplices: quædam toti corpori communes, vt cachexia: icterus: pallidi colores, habitus tumidus, hydrops: leucophlegmatias, febres lentæ & diutinæ, diarrhœæ: ab iis enim vel consumitur, vel contra naturam refrigeratur vtrumque generationis principium. Particulares, viscerum singulorum sunt vt cerebri, pulmonis, ventriculi, hepatis lienisque tumores, obstructiones, abscessus, vlcera. Ab iis igitur vtrisque causis sympathicis menstruum semenque sterile & infœcundum, penuriæ aut intemperiei causa, editur.

Idiopathicæ sterilitatis causæ sunt morbi omnes: tum aliarum partium vtero adhærentium: vt vasorum spermaticorum, testium & cotyledonum, quales sunt intēperies frigida testiū: vasorum astrictio obstructióve: cotyledonū obstructio, à qua sanguis ab vteri sinu arcetur, semenq; ab eorūdē nexu & adhæsione prohibetur: tum morbi quatuor vteri partium, fundi, oris interni, siue colli vterini, ceruicis pudendi, & pudendi ipsius suis partibus externis vt alis, & nymphis circumsepti: fundum enim inuadunt intemperies quæuis simplices & compositæ: nudæ, & humorales: insitæ & aduentitiæ. Ex iis quæ calidior est, seminis substantiam resoluit: siccior absorbet, frigidior non attrahit, aut attractum extinguit semen, humidior obruit & dilabi sinit: Eadem est tumorum præter naturam phlegmones, scirrhi, cancri, abscessus, vlceris, & cicatricis in vteri fundum inuasio, sicuti etiam obliquitates, ascensus, descensus, & procidentiæ, ob quos omnes morbos semen non excipitur, neque con-

cipitur.

Capacitatis etiam vteri affectiones sunt, amplitudo & angustia immodica, vtraque sterilitatis effectrix : illa enim genituram aut embryonem non satis constanter continet & tuetur: hæc fœtum præsertim grandiorem, non capit: vnde abortus eiusdem capacitatis repletio est ab humoribus vel sanguineis, vel pituitosis, melancholicis, biliosis, serosis, flatuosis, & seminali materia: vnde molæ, hydropes, ascites & tympanites: suffocatio matricis, fluores albi, & aliquando calculus expullulant. Horum omnium mixtione seminis excepti menstruique substantia inquinatur, & temperies violatur.

Collum vteri proprium, quæ secunda pars est, duplici ore vel foramine patet: tametsi idipsum perbreue sit: vno quod angustius est, ad capacitatem vteri: altero quod amplius est, ad ceruicem pudendi: per quam semen suscipit, & in vteri sinum transmittit. Vtrumque autem os obturatur aliàs secundùm naturam: vt in virginibus, castis viduis, & prægnantibus: sicuti secundùm naturã hiare latiusque aperiri in puerperis & menstruatis solet. Aliàs contra naturam clauditur ab aliquo tumore, vt phlegmone, scirrho: tuberculo carnoso: verruca: pinguedine, membrana & epiploo nimis pingui: à quibus omnibus seminis in vterum transfusio cohibetur.

Collum pudendi, quæ tertia pars est vteri, & veluti vagina mentulæ virilis: obsident organici morbi: vt amplitudo immodica non delectans virum, neque semen retinens, dũ ab vtero exsugatur: Itẽ angustia vtrumque & virum & fœminam dolore molestans, vt in alienum locum semen à viro effundatur.

fundatur. Eadẽ noxa eſt cuiuſlibet tumoris obſtruentis, vt phlegmones, ſcirrhi,carunculæ, & membranæ circuntenſæ,vlcus,& cicatrix.

Pudendum denique ipſum oſque eiuſdem externum affligunt hæmorrhoides,condylomata,ſatyriaſis,cauda, phimoſis, & hiatus: quorum alij ſemen reſpuunt ne in vterum feratur, alii admiſſum præ dolore excludunt.

De ſignis diagnoſticis.

STerilitatis ſigna ſunt duplicia:diſtinctiua & diagnoſtica. Primùm enim vtrius coniugum vitio ſterilitas accidat,certis experimẽtis internoſcẽdum eſſe authores iubent,ex quibus vnũ eſt, Si maris & fœminæ in eandem aquam temperatam ſemina viciſſim infundantur: cuius ſemen aquæ innatauerit, huius vitium eſto ſterilitatis. Innatatio enim flatulentiæ & cruditatis aſſecla eſt.Alterum eſt, ſi vrina vtriusque coniugum ad lactucarum radices affundatur, cuius vrina radicem tabefecerit, illius propria eſt ſterilitas, ex intemperie ſcilicet calida. Tertium, ſi grana ſeptem hordei aut tritici aut fabarum in vrinam vtriuſque coniugum ſeorſim mergantur, & deinde terra ſepulta germinarint & pullularint: hic, in cuius vrina macerata fuerint, ſterilitatis ſuſpicione careat: hinc enim temperies moderata, vrinæ & viſcerum, non acris & tabifica ſignificatur. Quartum, ſi ſuffitus aromatum in vuluam ex infundibulo receptus ad os nareſque mulieris tranſmittatur, ſterilitatis crimine fœminam liberat. acetabula enim libera & peruia nulloque frigore aſtricta, aut cicatrice obducta, aut humori-

bus craſſis lentiſq. obſtructa denotat,quib.exceptū ſemen virile facile adhęreſcat,propriumq.alimentum conceptus alliciat. Caliditatem quoque & ſiccitatem vteri abeſſe, ſignificat,à quibus ſeminis excepti vaporoſa ſubſtantia digeri conficique poſſit: ſicuti & humorum colluuiem,à quibus extinguatur aut foras impellatur. Quintum eſt ſi allia contuſa lanaque excepta peſſi inſtar, ſummiſſa odore ſuo nares feriant, iſta mulieris fœcunditatem arguunt. Denique ſi os vuluæ à menſium purgatione madidum & lubricū ſit,ſterilitatem ex intemperie humida denuntiat: qua ſemen virile vel extinguitur vel præcipitatur.

De ſignis Prognoſticis.

CAuſæ externæ ſenſibus ſolis egent. Internæ tū ſympathicæ tum idiopathicæ quatuor vteri partium ſignis artificioſis internoſcuntur, ſatis accuratè præcedenti libello enarratis. quare pauca quædam prognoſtica hoc loco exponenda ſunt.

Primum eſt quod fœminæ quædam ſecundâ aut tertiâ ætate magis,quam primâ concipiunt:quæ ſcilicet humidiores ſunt, aliæ magis primâ ætate. Secundum eſt quod fœminæ fœcundæ ſterilibus ſint ſalubriores: quod amplioribus & patentioribus earum acetabulis purgentur magis à multis excrementis cum menſtruo ſanguine mixtis. Tertium, quod conceptuum multitudo ſenectutem acceleret:& corporum infirmitatem augeat. Contra ſterilitas vires tuetur diutius:& iuuentutem prorogat.

De curatione ſterilitatis.

CÆterum ſterilitatis muliebris cauſarum omnium tam ſympathicarum quam idiopathicarum

rum therapia tota suis indicationibus curatiuis expedita est proximo libello: supersunt tantum duæ sterilitatis causæ à quibus sæpe iurgij occasio inter virum & fœminam, breuitas scilicet siue exiguitas mentulæ,& vuluæ nimia amplitudo. Vtraque enim dum genitalium blandam suauémque confricationem impedit: tum veneream voluptatem, tum prolis spem adimere coniugibus solet, quòd sine delectatione semen vtriusque, aut alterutrius nullomodo, vel tardius emissum refrigeratione euadat ignauum & sterile. Hinc spreto connubij fœdere, alieni thalami & concubitus desiderium cõiuges lacessit. Poterit ergo vtrique affectui cordatus medicus sine vlla turpitudine mederi: paruitati quidem mentulæ vberioris alimenti ad partem prouocatione, in iuuenibus præsertim per multam fricationem matutinam & vespertinam ex panno aspero, donec pars erubescat, cui subinde ex lacte ouillo & bubulo calente adhibendus est fotus: cuius lactis crassitie & lentore obductis poris attracti sanguinis & caloris effluuium supprimatur. Deinceps autem post longiorem vsum fotus & fricationis, emplastrum ex pice obducendum: quod sanguinem calore suo prolectet, eumque pingui lentore à dissipatione cohibeat. Vis eadem est linimento expuluere sanguisugarum & lumbricorum terrestrium cum lacte tithymali mistorum.

Amplitudini autem succurrent remedia astringentia siccantiaque & odorata: qualia sunt pessaria sequentia. ℞ rad. bistort. balaust. gallar. & rosar. rubr. an. ℥ ij. ligni aloes rad. cyperi. nuc. mosc. & caryophyllorũ an. ℥ j. fiat puluis excipiendus lanâ vel cotone: ex quo cũ linteolo fiat pessariũ, quod ex vi-

no calēte generoso intromittatur per multas noctes ante coitum, sed finito prius mensium fluxu, ne cohibeantur. Præstantissimum est hoc: quod virginalē vuluæ astrictionem inducere creditur: cōstatque ex aluminis & summitatum schœnanthi puluere lana pariter excepto in formam pessi. Interea interdiu mane & vesperi pudendum fouebitur cum spōgiis admotis: vel diplomatis infusis in hoc decocto: ℞ cortic. pini contritorū partes quatuo , aluminis partes duas: cyperi partem vnam, decoquantur in vino generoso: huius etiam decocti vapor per infundibulum vtiliter recipiatur in vuluam. voluptas deniq; augetur venerea, saliuâ post masticatos trochiscos muscardinos vel assam odoratam, zinziber vel piper: itē lotione penis ex vino infusionis cardamomi, cinnam. cubebar. cum portiuncula galliæ, mosci & croci. Item vnctione totius mentulæ ex ciueta: litu denique ex oleo muscatellino, de spica, & de costo, additis aromatum pulueribus si applicentur perinæo totiq; mentulæ.

De conceptu prohibendo.

FOeminis quibusdā sterilitas fœcunditate potior est, iis nimirū quib. aut abortus violēti, ob corporis totius, vel vteri solius paruitatē, grādioris adultiq; fœtus incapacem: aut partus funesti, vbi ob colli eiusdem angustiam siue natiuam siue aduentitiā post imprægnationē à tumore aliquo obstruente periculū metuitur. Fœminis ergo puellis adhuc & innuptis alterutri periculo obnoxiis cælibatus, studium cœnobij & castitatis mature suaderi debet: hoc enim conceptus fœtusque corruptione longe minus est indignum facinus: Nuptis autem, ne deinceps concipiant iis præceptis cauendum est, tum ante coitum ne incipientibus & desinentibus

mensib.paucisq; postea diebus vt duob. tribusve cũ viro coeant. hæc enim duo sunt cõceptioni idonea tẽpora: quibus ob superficiei internæ vteri asperitatem semen facile adhærescat: & ob hiatum cotyledonum alimentum prolіciat: ne eodem momento sed longiori ante vel post virum interuallo, semen suum emittat, tum vt semine viri exiliente spiritum cohibeat (ne semen eiectum trahant) natesque frequenter agitent & retractent: ne semen recta in vterum feratur: sed ceruicis parietib. allidatur. Ante coitum autem os vteri internum astringant medicamẽtis astringentib. & refrigerantib. aut obstruãt viscosis & lenientibus: vtraque enim seminis in vterum transfusionem prohibent: Huius generis sunt mel, adipes, mucilagines quouis modo iniecta. Illius sunt sequentia pessaria, finitis tantum mensibus, & per duas vel per tres noctes à muliere mox coitura vsurpandæ. ℞ cortic. pini & rhois coriariorum ana ℥ ß terantur, tritaque vino misceantur, & lana excipiantur, & linteolo, vt fiat pessarium, quo post triduum remoto, mulier post duas horas coeat. ℞ malicorij ℥ j gallar. ℥ ß terantur cum vino, lanáque excipiantur, & noctu intromittantur. ℞ gallar. ℥ j ß mirrhæ ʒ j terantur cum vino &c. ℞ balaustior. & gallar. ana ℥ ß absinth. ʒ ij terantur & excipiantur vt supra. Iam vero post coitum mulier à viro quamprimum diuulsa exiliat à lecto; meiat, pudendum intus diligenter abstergat: & genibus innixa sternutet, tussiat, saliat, ad posteriora, sexies aut septies (nã ad anteriora saltus semẽ potius retineret) vociferetur, descendat, ascẽdat, curratq. velociter: grauissima onera gestet, leuetque. Quibus omnibus cõmota genitura & diffluẽte

cõceptus impeditur. Deinde si genitura illis motibus incõcussa stare videatur: tum menses prouocãdi sunt,& phlebotomia in poplite,vel pede:& medicamẽtis alterãtib. purgantibusq. de quib. antea in curatione suppressionis mensiũ: Quin etiã calida acriaq. subtus immissa vt oleũ iuniperinũ,rutaceũ, laurinũ de spica: aut infusum cũ cathetere,aut lana exceptũ, vt antidoti tum alterantes vt mitridatium theriaca vetus, & purgantes vt benedicta laxatiua, indum maius : piper quoque tritum & similia semen & quosuis humores alios ex vtero protrahunt.

Postremo si genituræ effluxus ante octauum diem non sit deprehensus: tũ ab omni medicatione pius prudensq; medicus sibi tẽperet, ne cõceptũ iam animatum interimat: matremque prægnãtem,si sit grandior fœtus,eodem necis periculo implicet; cui vehementiora remedia non minus quam fœtui infesta & pestifera sunt: ne denique seipsum homicidij crimine & dedecore obliget. Licet quidẽ periclitãti ex morbo matri remediis opitulari fœtui aliquantũ noxiis: noxa tamẽ eorum quantũ per artem licet,accuratissimè moderata. Neq; etiã audiẽdum est Auic.& Aetij cõsilium fœtuũ trucidatione matrem periculo liberantium. Quin reliquæ etiam impediendi cõceptus formulæ antea descriptæ; tam in coitu,quàm ante & post coitum: nisi honestis & periclitantibus fœminis conferendæ non sunt : ne famosis & inhonestis impudicitiæ tegendæ gratia ars nostra lenocinari videatur.

De superfœtatione.

EX deprauatę conceptionis differentiis superfœtatio censeri possit: quæ nihil aliud est, quam secunda

ſecunda ex nouo concubitu poſt primam cõceptio. Illa quidem brutarum fœminarum ſpeciei familiaris eſt: quarũ vteri partibus duabus veluti cornibus diuiſi ſunt: ambabus ſcilicet in plures cellulas ob multiplicẽ fœtũ diſcretis, quæ cũ vno coitu omnes nõ impleatur, à vacuis ſemẽ maſculũ altero concubitu emiſſum excipi cõcipique frequenter cõtingit. Reliquis brutis, quib. vt humanis, vnico ſinu vterus patet; ſecundam conceptionem ante prioris exitum ſuperueniſſe numquam notatum eſt, ne in leporum quidem, aut equarum ordine, tametſi hæ prægnantes præter cæteras brutas maribus fruantur, non ob vteri anguſtiam ſolam, oſculique vterini validam aſtrictionem: primi conceptus aſſeruandi gratia: ſed obſeminis quoque menſtruique penuriam, præ ſicciori earum natura, victu parciori ſicciorique, & vita valde ærumnoſa: At vero humanis fœminis ſecundam conceptionem primâ non ſublatâ cõſuetam eſſe authores ſunt Hippo. & Ariſt. iis ſcilicet, quibus per ardorẽ libidinis vteri os internũ recluditur: ſemenq; virile in id vteri latus recõditur: quod à priori conceptu liberum magiſque vacuũ relictũ eſt. Itaq; ſuperfœtãtes fœminas omnes eſſe natura calidas, thoroſas, genitalib. piloſis, acrique ſemine & mẽſtruo multo circa vterũ collecto, turgentes: vtero denique ipſo robuſtis facultatibus prædito, vt aperiatur, attrahat retineatque conceptum fœtum præ ſeminis auiditate, neque expellat: vt grauantem ſanguinem ſolet per primos imprægnationis mẽſes. Hæc autẽ ſuperfœtatio primo aut ſecũdo aut tertio mẽſe cõtingit, cũ nondũ grãdiori fœtu totumque vterũ implente aut ſanguinẽ cõſumẽte, maſculæ genituræ nouę ſecũdoq. cõceptui lo-

cus & alimentũ superest: solétque à secundo conceptu, vt à primo rursus vterus arctissimè obturari. Est tamen superfœtatio aut breuior aut tardior: hinc varium est vt concipiendi, sic pariendi tempus, suntque plures isti fœtus diuerso concubitu geniti, pluribus secundis obuoluti. Alia est geminorum conditio vt qui iisdem secundis & inuolucris comprehendantur, quòd totum vno coitu emissum semen vnum in locum ab vtero cogi cogatur & coerceatur. Ex breuiori superfœtatione, soboles vtraq; incolumis perferri solet in iustum idem partus tempus: vt de Hercule & Iphiclo fratre eius narratur. Hic enim Amphitryoni Alcmenæ matris marito, ille Ioui similis fuisse narratur: Idem apud Plinium de muliere quadam, quæ duplici partu vnius diei fœtum edidit: vnum marito, alterum adultero similem. Idem de Prognœsia ancilla quadam: quæ vno partu duplicem enixa est fœtum: vnum domino, alterum procuratori domus similem.

Alias longior plurimque post primam conceptionem dierum superfœtatio est. Cuius exemplum est apud eundem Plin. de muliere quadam: quæ eodem iustoque partu nonimestrem fœtum vnum: & quinquemestrem alterum edidit. Item de alia quæ cum septimestrem fœtum enixa esset: subsequutis mensibus geminos edidit.

De mola.

SEcunda deprauati cõceptus species mola est: ita dicta vel à similitudine molæ pistrinensis: cuius instar rotunda duraq; fere est: vel à mole & grauitate qua infimus fœminarum hac affectione laborãtium venter opprimitur. Est autem caro informis & inu-

& inutilis, nullisque exercendarum functionum instrumentis prædita: siue animalium; vt neruis, musculis sensiteriis: siue vitalium, vt thorace, corde, arteriis: siue naturalium, vt ore, œsophago, stomacho, hepate, liene, &c. sed foris tantum membrana durissima cutis instar, obducta est: intusque pluribus venis consperſa. Molæ generatrices causæ sunt, aut materia vitiosa: aut effectrix languida: aut instrumentaria. Illa quidem duplex est, semen & menstruum: illud quantitate & qualitate peccare potest: quod aut exiguum nimis paucumque sit; vt menstruo dominari nequeat: vel certe crudum & illaboratum: quale est impuberum, senum & intemperantium hominum veneri, crapulę, & otio nimis indulgentium: quale etiam est à causis præter naturam, vel communibus: vt febribus acutis aut longis, cachexia: aut particularib. vt vasorum spermaticorum à longa gonorrhœa & diuturno vlcere debilium: aut testium ab origine prima frigidiorum, minorumque: aut casu aliquo perfrigeratorum, contusorum, attritorum: aut certe magica arte dissolutorum. Menstrui quoque duplex vitium esse potest, quantitatis & qualitatis: exuberans enim, aut crassum nimis spissumq; & viscosum, vegeti etiam caloris facultatem vincit: ne ab eo naturaliter mutetur & conformetur.

Effectrix causa est formatrix facultas: quæ, quod diuinior sit, vitio caret. Huius instrumentum est calor natiuus & spiritus genitiuus omnium fœtus futuri partium ideis onustus, & à generante patre cum suo semine in vterum infusus. Hic vero cum ob intemperiem aliquam vel ætatis vel morbi vel diætæ errorem frigidior,

nec satis principij vtriusque regendi potens est, pro legitimo conceptu vitiosum suscitat, carnem scilicet vegetabilem tantum, nō animal: multo minus hominem. Mola ergo non solo sanguine impensiùs calfacto constat: cum ipsa sit membranis cincta, venisque intus pluribus conspersa: quæ partes sunt spermaticæ & cotyledonib. annexæ: neque etiam ex solo sanguine muliebri in vterum per insomnia libidinis effuso, vt à monialibus: à iuuenculis innuptis; à viduis: à maritatis etiam sępius in coitu post maritos eiaculantibus: cum sine congressu virili mulieres parere molas nusquā visæ sint, dissimili gallinarum exemplo, à quibus oua subuentanea sine galli coitu poni solent, sicciori scilicet harum temperie quam mulierum, redundantem feminis humiditatem consumente. Neque rursus opinandum est molam nihil aliud esse quam tumorem induratum vt phlegmonem aut carnem excrescentem, ex prętgresso vteri vlcere: harum enim opinionum vanitas facile confutatur tum substantię venosę & mēbranosę in molis obseruatione, tum ex spontanea siue medicamētosa molę pręcipitatione. Quare veriùs cōcluditur molam esse carnem rudem informē & inutilem ex vitiosis principiis semine & mēstruo & ab inualido calore spiritus genitā. Molarū differentiæ sunt plures, quædam veræ sūt: cuiusmodi descripta modo est: quędā falsæ & multiplices, quę sūt aut tumores in vteri substantia, aut vicinarum partium indurati: aut in ipsius capacitate ex quibuslibet humoribus caliditate loci coactis: aut denique varia animalcula excrementorum putredine suscitata, vt bufones, ranę, vermes, serpentes & repentes & volantes. Aliæ sunt quoque ex veris recentes & exiguæ

exiguæ: quæ ob leuiorem cum acetabulis nexum tertio, quarto, quinto, aut nono etiam mense, sua sponte aut medicamẽtorum vi decidunt: Aliȩ grandiores & vetustæ, quæ ad quartum, sextum, septimũ annum aut in totam etiam vitam prorogantur: hæ viuæ Hippocrati vocantur: illæ abortiuæ. Molæ etiã aut solæ sunt: aut plures etiam inter se separatæ: hæ tutiores sunt. Mola vnica est alias sine fœtu, alias cũ fœtu: hæcque vel libere, vel fœtui obuincta. Mola quidem cum fœtu ipso sequitur, dum semine in vtrumquȩ vteri latus inȩqualiter diuiso: quod minus est huius particeps, molam capit (victa prorsus à menstrui copia seminis inopia) At multis post conceptum fœtum mensib. vt 1. 2. 3. superfœtationis instar mola generatur: dum vteri interno osculo per coitus delectationem recluso exceptum virile semen à menstrui redundantia opprimitur & restinguitur.

De signis diagnosticis.

MOlæ & vteri conceptus signa diagnostica ab initio sunt eadem: mensium suppressio & quȩ consequuntur symptomata: nausea, vomitio, fastidium cibi, pica, malacia, fœdus color: mammarum tumor, vteri & lumborum grauitas. Sunt tamen omnia hæc ex mola quã ex vero conceptu grauiora, circa tertium præsertim aut quartum mensem: tum etiam fœtus motus blandus est lenisque in omni parte vteri, omnique tempore & hora tam per somnum quàm vigiliam, estque in fine grauiditatis etiam robustior, neque impulsus loco cedit: neque rapitur moto materno corpore. Contra omnis molæ motus est inuoluntarius & ab initio tremulus, siue à spiritu incluso: siue à matrice

expellere tentante: tãdem compreſſionem ſequitur magis in vltimis quam primis menſibus: motáque matre ſemper mouetur, & cum grauitate magna, ſaxi inſtar: mammæ etiam in principio tumidæ per molam, ſed tandem flaccidæ redduntur. Adeſt ſuperarum& inferarum partium corporis extenuatio: præſertim femorum & tibiarum, quæ tandem extumeſcunt, vnde difficilior ambulatio, faciéſque inflatur: ſolus venter durior eſt, eiuſque dolor frequens colico ſimilis. Certiſſimum denique omnium ſignum eſt; ſi legitimæ imprægnationis tempus vẽtris tumor exceſſerit: hydropis quidem aſcitis ſpeciem exhibet, totius corporis macies cum ſolius ventris tumore inſigni: ab eo tamen ſecernitur mola tum duritie maiori, tum ex pulſatione, nullo ſequente ſonitu: tum nulla fluctuatione, ex corporis materni inflexione. A tympanite mola dignoſcitur quia ille ſubitus eſt, & toti vtero æqualis, leuis prætereà & ſonorus, quæ omnia molæ cõtraria accidunt.

De ſignis prognoſticis.

MOla humanis fœminis ob copiã mẽſtrui accidit nõ brutis, quæ mẽſtruo carent. Viuaces molæ diutius durant vt per tres vel quatuor vel plures etiã annos, & aliquando per totam vitam: & ita obdureſcunt, vt ſaxum referant, ferrique aciem retundant, idque ob craſſitiem ſanguinis & calorem eximium partis: abortiuæ autem ſæpius prodeunt, ſecundo, tertio, aut nono etiam menſe. Mola vna periculoſior eſt duabus vel pluribus inter ſe diuiſis: illa enim ob granditatem ægriùs expellitur: hæc ob exiguitatem facilius. Mola vel alligata vel libera alimentum, ſæpe etiam vitam per inediam locumque

locúmque fœtui excipit. Supra nonum mensem valde est periculosa: non tantum quod grandescat impensius, sed quod vtero etiam arctius agglutinetur: à quo dissolui nequeat, mortémque orto tandem hydrope maturat: Denique fere incurabilis est: ideóque à veteribus relicta plerisque: nisi fortasse incipiens, sed vetustam tamen non esse omnino negligendam cum Paulo & Aetio sentimus.

Curatio.

MOlæ deturbandæ & mouendorum mensium vnus idemque scopus est, eadem remedia foris intúsque vsurpanda: Primum quidem phlebotomia in flexu cubiti dextri, in eum finem non solum vt plethora inaniatur: sed etiam vt mola inedia cõtabescat. Phlebotomiæ clyster præponendus emolliens tergensque & phlegmagogus, si aluus ignauior sit. Vsurpandum quoque minoratiuũ medicamentum; si qua cruditas ventriculum, aut cacochymia mesenterium obsederit: phlebotomiæ purgatio substituẽda, phlegmagoga aut melanagoga, sed humoris prius cocti & vacuationi præparati per alterantia tenuantia scilicet tergentiáque apozemata, vel iulepos vel electuaria in plures, vt quinque vel sex dies protracta: purgatio autem ex validiss. instituatur medicamentis; ob humoris crassitiem lentoremque, & sedem in maiorib. & minorib. venis distantiorem. Tota porro hæc alterantium & remediorum materia causam antecedentem vacuantium enarrata est cap. de suppressione menstruorum.

A purgatione tum causæ coniunctæ vacuatio, id est humoris acetabula obstruentis, tum & rela-

xatio acetabulorum ipsorum nexusque dissolutio tentanda est: tam externis præsidiis emollientibus & attenuantib. vt balneis, semicupiis, insessibus, fotibus, litibus & vnguentis: quàm internis validioribus sumendis & admittendis: vt exempli gratia.

℞ rad. aristol. rotund. gentianæ, rubiæ, costi. baccar. lauri myrrhæ, cardam. piper. cinna. & dictamni albi an. partes æquales, fiat puluis cuius dosis sit ʒj vel ʒij cum pauco iusculo, vel vino albo, vel aqua artemisiæ stillatitia, idque in introitu balnei: Talis est suffitus in vuluam ex infundibulo excipiendus: qui constet trochiscis ex galbano opopanace myrrha castoreo sulfure puluerati s& cum felle bubulo concorporatis. Tale denique pessarium ex opopanace ammoniaco rad. ellebori nigri & aristol. rot. pulpa colocynthid. puluerati s& terebinth. opiatæ instar, exceptis: quæ cum lana, aut linteolo inuoluta intromittatur. Cauendum tamen est ne ab iis acrioribus loci muliebres exulcerentur: Eodem tempore cucurbitulæ femoribus deligationes, frictiones duras adhibebimus euocãdorum mensium cum mola, gratiâ. Dropaces denique & sinapismos maioris alterationis gratia ventri apponit Aetius. Quod si hæc therapia pharmaceutica non profuerit, chirurgica tum adhibenda est: vel vt extrahatur foras fœtus digitis per ceruicem in cauitatem vteri intromissis, ventre interim vndiquaque altera manu compresso, vt foras propellatur fœtus: Quod si forte præ granditate & rotunditate atque duritie manus apprehensionem declinet, tunc chirurgicum instrumentum (pedem griphi vocant) penitus inserendum infigendumque molæ est: aut scalpello incidenda, vt frustatim educatur. Denique

que si tam contumaciter mola acetabulis hęreat: vt neque medicamentis aperientibus & laxantibus: neque manu, neque instrumento chirurgico protrahi possit: tum demum per iniectiones suppuratorias corrumpenda, & putrefacienda erit, vt putrefacta sensim excutiatur. Suppuratio tamē periculosa est: grauesque lipothymias & syncopes inducit ex caloris natiui corruptione à fœtore insigni, qui idcirco instaurandus gnauiter & roborandus est rebus odoratis intus forisque vsurpatis. Iniectionum eiusmodi materia est vnguentum basilicum dissolutum cum oleo lini & liliorum, sed admiscenda sunt suppurantibus tergentia, aut seorsim infundenda, fœtoris mitigandi gratia, vt ex dissoluto Ægyptiaco cum decocto agrimon. & absinthij.

De monstrosis conceptibus.

DEprauati conceptus species est monstrum, præter naturam quidem, vnde Aristoteles monstra exponenda, Plato clam nutrienda censuit. Sed tamen non omnino cōtra naturam, neque vteri eiusmodi repletio morbus habendus est, Itaque curatio eiusdem à veteribus medicis omnibus prętermissa est, quod certis indiciis à legitimo conceptu secerni nequeat. Sunt autem monstra, quæcumque in animalium aut hominum ordine, dissimili sui generis specie, nascuntur, & quidem aut multiplici rerum diuersarum, aut vnicâ, sed distorta, mutila, truncata, & quouis modo à naturali, mutata.

Monstrorum generatrices causæ quædam remotiores, diuinæ scilicet & incorporeæ, vt Deus ad imminentem cladem hominibus, nisi resipiscant,

præmonſtrandam: vel dæmon ad inanem terrorem, hominibus excitandum. Aliæ ſunt propiores & corporeæ, vt principiorum generationis ſeminis menſtruique aut matricis vitia, coitus importunus, aut vehemens prægnantis fœminæ imaginatio. Seminis ad monſtroſum fœtum eximia vis eſt, ex triplici ſuo vitio quantitatis, qualitatis, & ſitus in vtero: nam ſi ſemen vnius fœtus procreationi redundet, ſitque procreatrix eiuſdem facultas robuſta vt mēſtruū prorſus vincat, geminos mares: ſin imbecilla vt ab eodē prorſus vincatur, geminas fœminas: ſin partim vincat partim vincatur, marem fœminamque proferet. Quod ſi ſemen vni fœtui gignendo ſuperſit, quod duobus tamen abſoluendis ſatis non ſit, plures quidē quamuis non neceſſarias partes adiunget: quarum ſedes ſemē ipſum earum gignendarū potentia præditum vel ſponte ſua, vel alieno impulſu inuaſerit. Contra ſi tantula temperati ſeminis copia vni fœtui perficiendo deſit, mancum & mutilum fœtum, omninoque parte aliqua, non tamen principe quæ ad vitam fœtus neceſſaria ſit: ſed externa aliqua orbatum exhibebit. Iam ſi ſemina parentum aut intemperata, aut inquinata, vt per longam gonorrhœam, per abſceſſus & vlcus: aut ſi ſanguis menſtruus obſcœnus & impurus fuerit: tunc mirum eſt, quam nouæ inauditæ fœtuum deformitates inuehantur: neque enim formatrici facultati vitioſa principia obſequūtur. Situs etiam ſeminis abundantis in vtero deformitatis cauſa eſſe ſolet: dum enim gemelli in anguſtis vteri lateribus propinquiores & ſine interuallo conſident: illi quidem ſæpe inter ſe conglutinantur, aliàs obuerſis pectoribus totoque

thorace;

thorace: aliàs dorso: aliàs femoribus vel pedibus manibusque consertis.

Matricis etiam infirmitas vel insita vel aduentitia seminum naturam mutat: fœtumque deformat instar vliginosæ terræ ex sincero tritico lolium vel steriles auenas multiplicantis. Importunus autem post conceptum & inchoatum embryonem, ante trigesimum aut quadragesimum diem, nimisq; libidinosus parentum coitus, conceptus inuolucra sæpe rumpit, vt particulæ fœtus diuulsæ vltro citroq; temere diffluant, tandemq; alienis partibus & locis affigantur. Ipsa denique prægnantium primis saltem quadraginta diebus attenta valdè & peregrina cogitatio, animiq; vehemens consternatio: vix credibile est, vt cogitatarũ & formidatarum rerum vestigia & ideas fœtui imprimat, traducēte ista spiritu animali ad vterum & spiritum naturalem.

De Hermaphroditis.

VLtima deprauati conceptus species hermaphroditus est: fœtus nēpe vtriusq; sexus propriis genitalibus instructus. Etymologia prauam & contra naturam fœminæ marisque compositionem, denotat: dictus enim est à nomine ἑρμῆς, i. Mercurio tanquam mare, & ἀφροδίτη, Venere, i. fœmina. Hermaphroditi mares veterib. androgyni vocati sunt: quibus præter mentulam virilem muliebre pudendum obtingebat: vnde maris & fœminæ in coitu fungi posse officio credebantur: cuiusmodi populos quosdam Africæ vicibus coeuntes androgynos vocatos fuisse narrat Plinius: Sic mulieres pręter pudendũ muliebre mentulā virilē sortitas Cœlius Au-

relian.tribadas, Plautus subigatrices, Arnobius fri-ctrices nuncupauit, quod aliis misceantur mulierib. easq; exerto virili genitali, virorū instar, probe subigant. Hęc hermaphroditorū opinio à vetustissimis temporibus ad hanc vsque ætatem viguit, quâ magistratus promiscuū vtriusque genitalis vsum mulctare solet, alterius tamen optione vsuque concesso, quod robustius meliusque cōformatum videtur, vocatis etiam in iudicium sexus potētioris reliquis corporū accidētibus, vt colore vultus, motu, gestu, habitu, capillis, voce, naribus, & studiis omnib. Fœmineitas enim dignoscitur tum ex pudēdo muliebri bene conformato satísque capaci & fluxui mensium assueto: tum ex vultu miti & mansueto, gestu verecundo, habitu laxo & glabro, capillis tenuibus, & promissis, voce exili animóque timidiori. Contra virilitatis indicium est, tum ex virili genitali satis grandi rigidóque & semini emittendo idoneo, pube pilosa & podice, voce aspera, capillis crassis & breuibus, habitu denso, toroso & piloso, moribus iracundis & motibus omnibus robustis: At ex pari omnium robore hermaphroditi agnoscuntur neutri. Ab hac tamen opinione de promiscuo vtriusque genitalis vsu in hermaphroditis, Auic. abhorruit: neque incubos simul & succubos esse hermaphroditos duxit: quod scilicet sæpe compertum sit ex genitalibus duobus vnum debilius esse, eiusq; opus imperfectius.

Hæc sexuum mixtio in Adamo non fuit, tametsi sexto die creatus ipse sit mas & fœmina, de cuius latere fœmina auulsa sit: sed ex vnione arctissima vtriusque sexus amicitia significata est. In brutorum certe genere frequens inuenitur. Sic enim

enim Plinius narrat quatuor equas hermaphroditas in Treuirorum agro repertas fuisse à quibus rheda Neronis trahebatur. Lepores quoq; omnes hermaphroditos esse pleriq. venatores innumerabili eorum multitudine persuasi, prçter quotidianā eorundem & numerosissimā stragē, prodiderūt; vnde pro infami & impudico pathicoq; lepus vsurpatur: verisimile tamen est tantam leporum copiā menstruis eorum partubus crebrisque superfœtationibus multiplicari. Sunt denique quatuor hermaphroditorū species apud Paul. Æginetam, quarum tres ad viros, vnica ad fœminas spectat: hæc quidem est quādo supra pudendum muliebre, virile innatum est iuxta pubem corporibus duobus extantibus scilicet testiculis & cole medio. hæc species dici potest gallicè *femme-homme* prçpollente scilicet muliebri pudendo. Ex illis tribus vna est: quando muliebris pudendi pilis bene obsiti forma est sub pube: altera quādo eadem in medio scroto apparet: tertia est quando per pudendum scroti vrina profunditur; possunt vocari gallice *Iehan-femme*. Quinta species adiungitur ab Auic. eorum qui neque viri neque fœminæ genitale sortiti sunt: sed exiguū tantum sub pube foramē excernendæ vrinæ destinatū. Hermaphroditorū generatio ab Hippoc. æquali facultati & materiæ vtriusque seminis tribuitur. Porrò ex quatuor hermaphroditorum differentiis Paulus tres curabiles per amputationem docet: solam autem incurabilem illam esse quando per scroti pudendum muliebre, homines meiunt.

De conceptus adiumentis.

ADhuc de conceptus symptomatis tribus: abo-

litione, diminutione,& deprauatione, eorumque causis, signis & remediis disseruimus: nunc de legitimo & naturali conceptu, eiusque causis, signis & auxiliis, tandēque de symptomatibus eundē conceptum naturalē consequentibus accuratè disserendum est. Mulier ergo sana, corpore bene conformato, lumbis latis, amplo ventre & diductis coxis, staturâ mediocri, habitu eusarco non obeso, nimis, aut tenui, neque dēso, duroq. aut laxo nimis, humecto, & languido, nulla denique insigni intemperie aut corporis totius aliorumve viscerum communibus: aut partium genitalium propria laborans, ætate prætetea matura ab anno 15. ad 40. vsque: hęc inquam fœcunda & suapte natura prolifica mulier iure censeatur: siquidem idoneo viro, vsibusque venereis apto fruatur. Fœcunditas autē ista natiua duplici ratione iuuanda est, primum totius diætæ mediocritate: vt aeris, ne algeat æstuetve: (frigus enim obtundit, æstus dissoluit seminis substantiam) vt laboris otiique: vt vigiliæ & somni: vt cibi, à quo absit satietas & inedia: sitque qualitate paulo calidiori humidiori & flatuosa: substantia euchyma, qui sanguinem semenque cumulare & venerem stimulare possit. Talia sunt vinum rubrum vetus & calidum: talia iuscula carnium vitulinarum, gallinacearum, veruecinarũ cũ hormino mentha eruca, nasturtio, fœniculo, petroselino viridib. elixatarũ: eædęm enim siccæ seminis spiritus discutiunt. Talia sunt ex iisdem iusculis cocta oriza, lentes, phaseoli, pisa, fabæ, quibus puluis ducis cũ pauco croco aspergatur: Ex iisdē carnib⁹ tostis expressa iura tũ liquida tum concreta plurimum prosunt: sicuti phasianorum, pipionum, perdicum, caponum, lepusculorum, & cunicu-

cuniculorum carnes tostæ: fructus quoq; sicci iisdē virib. præstāt spermatis augendi, & cōfirmādæ fœcunditatis, vt passulæ, auellanæ & amygdalæ tostæ, pistacia, dactyli, ficus, panis albus: vinum calidum, & modicè sumptum. Instans tamē mēsium purgatio acrioribus & odoratis iusculis & obsoniis atq. cōdimētis aromaticis irritāda est: vt & motibus omnib⁹ corporis paulo validioribus, quales sunt ambulationes, tibiarum & femorum frictiones lotionesq. ex decocto calente herbarum hystericarum: euaporationes & persumationes aromatum subtus per infundibulum admissę, vt sępe antea dictum. Alia ratione iuuatur conceptus fœcundæ mulieris, si coeat tantum instante menstrua purgatione: vel biduo aut triduo post eandem finitam, dum calet adhuc à recenti mensium fluxu vterus: hiantque cotyledones: quibus semē adhęrescat, si libido muliebris ante coitum amplexibus, viri exosculationibus, & venereis colloquiis, incendatur. Conceptus, inquam, iuuatur, si tunc vir semen rectà infundat in os vteri internum corpore mulieris bene composito, quo tempore victa voluptate mulier balbutire, oculis rubere, & anhelitum celerare cœperit, & mas emisso suo semine, paulo seriùs à muliere auellatur, donec os internum matricis condito semine clausum esse verisimile sit.

De conceptus legitimi signis.

CONceptus legitimi signa sunt, si vteri orificiū astrictū magis, non tamen durum & paulo altius quam antea fuerit: si voluptas in coitu maior mulieris fuerit: si semen virile nō effuderit, neq. pudendū aut ceruix eius maduerit: si primo & secundo à coitu die frequenter inhorrescat, leuiterq. oscitet

& pandiculetur,cum modica ſcapularum lũborũq; perfrigeratione,calore ſcilicet à toto corpore in vterũ conuerſo, & ſpiritu vitali conceptionis cauſa ſublimiores partes deſtituẽte:vnde etiã vapores oſcitationes pãdiculationes, hypogaſtrij imique vẽtris modicus dolor ex contracto circa ſemen validius vtero:Si octo à coitu diebus ad vmbilicum deprimatur venter,collecto ob amplexũ ſeminis vtero,qui paulo poſt ſenſim attollitur,ampliaturque, fœtu ſenſim grandeſcente:ſi venerem deinceps fœmina faſtidiat: Si primo & ſecundo menſe menſes ſupprimãtur,aut pauci admodũ effluãt,aut ex venis colli vterini,aut ex cotyledonibus quibuſdã liberioribus: cum ſecundinæ fœtuũ lateribus vteri magis quam fũdo eiuſdẽ connectãtur,ſitque oſtiolum internum primis diebus paulo laxius,vnde ſuperfœtatio illo tempore accidere ſolet:Si mammæ tumeſcãt & dilatentur,papillis rubentibus, aut nigricãtibus, & tuberculoſis,ex ſanguinis copia ab vtero refluentis:ſi totum corpus ingraueſcat; plethora ad vires orta;ſi totus venter lumbi & ilia ampliora fiant, tumeſcente vtero & creſcente fœtu: Si lentigines & maculæ variæ vt rubræ fuluæ liuidæ faciem deforment ſurrecta in vultum cacochymia, quæ ſanguini menſtruo mixta eſt. Deinceps à ſecundo conceptus menſe ad tertium ſigna ſunt metus, & mœror ſpõtaneus,deliratioq; melãcholica,abundãte craſſo frigidoque ſanguine, faſtidium cibi, impletis venis ſtomachi ſanguine ideoque nihil ſugentibus, nauſea, vomitio, lipothymia, cruditatib. & cacochymia interna biliosa & acri ſtomachum vellicantibus: pica & malacia rerumque ab vſu & ciborum conſuetudine alienarum appetentia, pro excre-

excrementi conditione stomachum persundentis. Iam circa quartum mensem & medium prægnationis tempus conceptus signa hæc sunt; fœtus iam perfecti motus non vagus quidem, instar flatuum, nec grauis vt molæ: sed potius blandus, vt muscæ volitantis, manu præsertim calida ventri admota, pectoris & mammarum turgidæ magis duræque venæ, lact. fluæ & nigricantes: venter amplior, duriorque: pulsus maior & frequentior calore ob fœtum iam grandem ingeminato. A quinto autem mense vrinę substantia magis est crassa, turbida, bullosa nebula, aut eneoremate albicante quidem, sed diuulso instar carptæ lanæ ob mixtos flatus, ex cacochymia in venis multiplicata. Vltimis denique mensibus eadem vrina crassa, rubescens, tandemque nigricans sanguinis menstrui sero per diapedesim in vesicam proximam ex vteri venis trāsfluente, meatus omnes faciei dilatantur: narium, oris, oculorum ob dyspnœam vel obfuliginum copiam; in femorib. venæ turgidæ, sæpe etiam varicosæ apparēt. Cæterū cum plures diagnosticorum signorū differentiæ dubiæ sint & infidæ: quòd a mola, hydrope ascite & tympanite vteri alióque mēses supprimente quouis affectu oriri possint, vnicus circa tertium aut quartum mensem fœtuum motus in veris signis conceptionis habendus est. Ante motum illum significatiua conceptus experimēta plura sunt: Primum est Hipp. aph. 41. lib. 5. Si scire velis, inquit, an mulier conceperit: dormiturę aquā mulsū potui dato: & si vētris tormina patiatur, cōcepit: sin minus, nō concepit. ratio est, quòd mulsa ex vna mellis & dupla aquæ parte cōstans cruda sit & valde flatuosa: somni præsertim tēpore (collecto ad ven-

triculũ calore)flatib⁹ excitatis,nec exclusis ob intestinorũangustiã à pleno vtero oppressorũ:quæ violẽtius distẽduntur.Eget vero doctrina hæc pluribus cautionibus: prima, temporis, vt initium conceptus ab ea eximatur,cùm cõtracto circa conceptum semẽ vtero,intestina minus astricta sunt,& oppressa: vnde subsidere & deprimi venter primis diebus videtur.Secunda cautio spectat habitum,& naturã fœminarum: vt sit vtraque mediocris (flatus enim in biliosa calidaque facile discutitur) idem in duro ventre per se & sine conceptu facile cohibetur, in molli digeritur. Tertia spectat consuetudinem: vt fœminæ nec mulsæ potioni assuetæ sint, nec doloribus colicis frequenter exercitæ. Secundum experimentum est eiusdem Hipp. lib.de sterilitate.si contritum anisum mellique æqualiter permixtum, & aqua dupla dilutum, circa somnum propinetur: hinc enim tormina prouenieñt si conceptio est. Huius experimenti ratio eadem est quæ superioris ex flatu intercepto in intestinis ab vtero pleno compressis.Tertium eiusdem est,Si caput allij suo cortice deglubitum, & in ceruicem pudendi insertum, odore suo mulieris nares aut sapore os non infecerit: grauidam illam esse dicendum erit.Simile est omnino eiusdem Hipp. experimentum de suffitu aromatum subtus apposito, vestibus suis muliere ad pedes vsque obuoluta, cuius odorem mulier nõ perceperit.Posteriorum horum experimẽtorum fides cõstat ex clausione interioris oris vteri tam arcta post semen exceptum,vt odorẽ aut vaporẽ nullum admittat:nec exceptũ fortasse per cotyledones secundarum nexu occlusos transmittat. Possunt tamen hęc conceptionis signa à multis turbari causis, tum ab omnib.intemperierum insignium differen-

tiis. Calida enim vapores resoluit: sicca absorbet: frigida extinguit:humida obtundit: tum à tumoribus præter naturam, vt scirrhis & obstructionibus acetabula intercludentibus. fortasse etiam vapores ipsi alia via sursum ad os erumpant (etiam si conceptus sit)tum per occultos meatus, tum per venas vteri collo interno circunductas. Pleraque sunt alia conceptionis à veteribus prodita experimenta. Primum, si vrina ex crassa & turbida,citrea aut subliuida sit,quæ concussa bullulas emittat sursum,& granula deorsum:neque hypostasis sit læuis & æqualis:sed lanæ malæ carptæ similis. Alterum est si vini albi clari & tenuis permixtione vrina fœminæ euadat similis elixarum fabar.iusculo:causa enim est multus crudus succus aqueo vrinarum liquori permixtus qui secernitur à vino tenui. Tertium est si in fœminæ vrina in vitro bene tecto condita, & per tres dies in vmbra asseruata, plura gignuntur animalcula pediculis similia, per linteolum non transcolanda: Generationis enim signum est, putredo crudioris succi, quam vmbra accelerat,solis calor inhibet. Quartũ deniq; est,si in peluim æneam matutina vrina prægnãtis fœminæ excepta sit,cui infundatur acus bene tersa & polita per totam noctem:nam si in eadẽ extracta, mane plures maculæ appareãt,cõceptio erit: alias si nigricet, nulla: maculæ enim ab obhærescente crudo succo excitantur.

De geminorum conceptu,& sexuum discrimine.

HActenus de cõceptionis signis communibus: nunc de particularib. vnius vel duorum:rarissime enim trium aut plurium occurrit, nisi forte in Ægypto ob Niliacæ aquæ nitrosæ & fœcundissimæ potationem. Est autem fœtuum geminorum

generationis causa spermatis copia, eiusque in duo vteri latera dextrum & sinistrum partitio : ex vno autem coitu conceptuque non vnicus tamen semper partus sequitur: sed sæpius plures vno vel duobus vel tribus vel quatuor aut quinque dieb. diuisi, ob plurium seminis eiaculationum in eodem coitu varietatem: quarum primæ sunt elaboratioris, vltimæ magis illaborati seminis: suntque gemini vel mares ambo, si virile semen prorsus vincat menstruum: vel fœminæ, si vincatur illud : vel mas & fœmina, si partim vincit, partim vincitur. Eaque partus varietas accidit pro vario fœtus fœtæq; fœminę robore: plures enim ex vnico conceptu minus robusti & viuaces esse solent: natura quoq; mulieris duobus alendis ęque fœtibus impar sępe est, nisi valida admodum sanáque sit.

Fœtuum geminorum signa petuntur, tum ex tumore eminentiori duorum ventris laterũ, tum ex motu in vtrumque latus eodem mométo aliquando incidente, tum denique ex tumore ventris post editum alterum fœtuum aliquantum perseuerante.

Signa sexuũ distinctiua sumũtur: tũ à causis, tũ ab effectibus eorũ. Marem enim demonstrant ætas parentum iuuenilis, biliosa, aut sanguinea, victus mediocritas, habitusque. Contra iunior aut seniorętas, natura pituitosa aut melancholica, intemperans victus, ignauia & mœstitia fœminam designat: Effectus autem sunt: materni corporis accidentia quędam sexus consequentia. Sic apud Hipp. aph. 42. lib. 5. fœmina formosior alacrior seipsa non pręgnante masculum fœtum detegit, ingeminato scilicet eius calore à fœtu calido: Sic latus ventris dextrum tumidius ob sedem masculi in dextra vteri parte calidiori

lidiori, ex vicinia hepatis, magisque versus vmbilicum & stomachum acuminatum: tum dextra mãma tumidior & solidior, papilla magis erecta, & rubescens, vel liuescens, lacte citius fluens crasso, lentoque, neque ex vngue, aut speculo, aut alio quouis corpore polito celeriter excidente: sed bullis rotundis præsertim ad solem hærente: quodque si in cyathum aquæ infundatur, decidit indiuulsum: tum dextra vasa omnia enimentiora: pupillæ dextræ ampliores & splendidiores: venæ sub linguæ dextra parte magis conspicuæ, & in bracchio quoque & manu dextra: pulsus dextri brachij maior & durior: Tunc etiam ambulatura mulier pedem dextrum promouet primum: surrectura dextræ manui innititur, ob lateris dextri & reliquarum partium robur maius, naris dextra magis ob calidiorem expirationem, rubescens & sanguinem sæpius destillans. Corpus totum magis vegetum & alacre, minusque grauiditatis symptomatis infestum: fœtus masculi denique motus citatior vt quadragesimo die authore Aristot. sed potius tertio mense, authore Hipp. & in latere dextro. Hæc masculi fœtus signa omnia ex ipsius calore & loci in vtero pendent. Ille enim vt ex calidiori gignitur semine, sic & ex calidiori alitur sanguine, locóque moratur calidiori in dextro vteri sinu, ob viciniam hepatis & sanguinis affluentiam.

Contra vero fœmininæ prolis signa omnia (siue causæ sint siue effectus & matrum accidentia) fere omnia sunt contraria: vt color vultus magis ingratus, quam ante imprægnationem, & lentiginosus: corpus magis torpidum, animúsque stupidus, & iners: sinistrum ventris latus amplius

præſertim ad coxas ob infirmiorem fœminam: ſiniſtra vaſa maiora: lac liquidius minuſque album & craſſum magiſque fluens: hæmorrhagia naris ſiniſtrę & ſeroſi ſanguinis frequentior. Neutra tamen ſigna vſquequaque vera ſunt: color enim prægnantis iucundior à cauſis externis accidere poteſt poſt conceptum: magis ſcilicet vigentibus calidis cauſis: vt ſole, cibis acribus, motibus maioribus.

Poteſt etiam conceptus mas gigni ab effœminato viro: potéſtque aliquando in ſiniſtro, ſicuti fœmina in dextro ſinu ſuſtineri. Eſt enim vterus in medio vẽtre conſtitutus, in quo geſtatio fœtus non in hoc magis quam in illud latus inclinat, niſi pro materna decumbendi conſuetudine maris in hoc quam in illud latus deuoluatur.

Fœminini denique fœtus aliquãto citatior & maturior eſt motus, quanto mare ipſo calidior fortiorque eſt. Quare iudicium de fœtuum ſexu tantiſper differendum eſt; donec omnia aut plura ſigna concurrant. Nam præter illa occurrunt etiam experimenta quædã ad dignoſcendũ ſexũ efficaciſſima. Primum ſi lac in aquam inſtillatum in cyatho quãprimùm liqueſcat & diſſoluatur, fœmina eſt: ſin contra fundum petat indiuulſum, mas. Secundum, ſi ariſtolochiæ rotundæ puluis melle exceptus cum lana in ceruicem vteri inſeratur, & dulcem ſaporem matri mouerit; mas eſt conceptus: ſi amarum, fœmina. Tertium ſi maſſa ex lacte muliebri piſta & in paſtillos coacta ignique tradita vratur, mas eſt: ſin crepet media, fœmina eſt. Quartum ſi granum ſalis papillis admotum liqueſcit, fœmina eſt: ſi induratur, mas. Quintum ſi imprudentis fœminæ

minæ capiti dormientis apij planta cum sua radice supponatur: eaque experrecta si pronunciarit primum nomen masculum, mas est: alias fœmina.

De conseruatione conceptus incolumis in vtero.

FOetus conseruatur in vtero incolumis duplici ratione, tum cõuenienti diæta: tum symptomatum conceptui superuenientium correctione. Diæta sit omnis exuperantiæ expers: quare aer æstuosus aut alsiosus nimis declinetur: ille enim vires fœtus & fœtæ dissoluit: hic impensius refrigerat; sæpeque graui commota tussi ex destillatione capitis, prægnantis corpus valde concutit exturbatque fœtum: Absit quoque ab eo omnis olidus vapor, siue excrementorum, siue olerum putrium: siue lucernarum extinctarum. Cibi sint temperati euchymi eupepti, non acres & piperati, ne aperiant acetabula, mensesque moueant; non salsi, ne humidam fœtus substantiam consumant, & nascantur sine vnguibus: non frigidi humidique nimis: vt fructus horæi & lacticinia: ex quibus multiplicati crudi aquosique humores vincula fœtus emolliant: non flatuosi, qualia sunt legumina: ne dolores moueant, vimque vteri retentricem debilitent: non pingues, ne fastidium augeant: non multi, ne conceptus symptomata ingeminent, primis saltem tribus mensibus & vltimis duobus: quibus alimentum contrahendum est, laborque augendus. Semper tamen satietas inediæ, & copia ciborũ paucitati præferatur: motus quoslibet vehementiores fugiat: tum corporis: vt cursum, saltum, choreas; ascensum, & descensum præcipitem

ſcalarũ & locorum decliuiũ, vomitionẽ, ſternutationẽ, ventris expreſſionẽ, vociferationẽ: ſolaſq; proſequatur leues deambulationes & lanificij exercitationes conſuetas: ſine brachiorum manuumq; contentione magna: venerem denique niſi raram admodum medijſque tribus menſibus: primis enim fœtui valde infenſa eſt, nono minus grauis: ſed plerũque ſalutaris etiam. Vitet etiã animi vehementiores affectus, vt voluptates & gaudia nimis effuſa: mœrorem & triſtitiam: ab vtriſque enim retentrix vteri facultas infringitur: illis quidem calorem & ſpiritum agitando, & ſanguinem ad fluxum commouendo: his calorem ipſum ſpiritumque ab vtero ſurſum ad cor reuocando: veſtitus etiã ſit laxus molliſque: ne ab aſtricto nimis ventre, fœtus euadat aut abortiuus, aut mõſtroſus & deformis. Ventris excrementa neq; nimis fluãt, neq. ſubſiſtãt: quod ſi tardior eorũ excretio eſt, cibis molliorib. deturbẽtur: vt prunorũ elixatorũ iure: vt folior. maluę, violarię, ſpermaciorum decocto cum multo recenti butyro, aut oleo dulci aut cum ℥ij mannę iuſculo pulli diſſolutæ vel cum ℥ j medull. caſſ. vel denique cum leniore clyſtere, ex decocto omaſorum veruecinorum, quibus incocta ſint folia herbarum emollientium: ſed horum tamen exigua moles ſit: propter anguſtiam inteſtinorum à repleto vtero oppreſſorum.

De ſymptomatum conceptus correctione.

SYmptomata grauidarum, aliàs à plethora, aliàs à cacochymia oriũtur: ab illa proueniunt tẽſiua laſſitudo omnium corporis partiũ, & grauitas lumborum, pectinis, crurumque: conſuetus curſus menſium:

menſium: hæc autem colligitur in ventriculo ante conceptum, aut poſt concepum, ex vitæ intemperantia, aut ex ſanguine cacochymo: cuius excrementitiâ cacochymia in ventriculũ refunditur à vicinis partibus: vt liene, meſenterio, hepate, aut à toto etiã corpore per hepatis venas meſaraicas: Oriuntur autem à primo conceptus menſe, puſillo adhuc fœtu, neq; ſanguinis menſtrui ſatis cõſumente, deſinũtq; ad quartum menſem, grandiori iam fœtu, & largioris egente alimenti: Eſt ergo iſtorum ſymptomatũ origo à conceptu per accidens: quatenus ille plethoram aut cacochymiã exaggerat priſtinam, ſupreſſo menſtrui fluxu.

Eſt deniq; cacochymia hæc triplex: bilioſa, pituitoſa & melancholica, ex qua naſcuntur hæc ſymptomata in vtero, fluores albi, aut flaui, vel etiã nigricãtes, pruritus, in ventriculo inappetentia, faſtidiũ, pica, malacia, ex perfuſione vitioſa & cacochyma ſtomachi: ſingultus quoque, nauſea & vomitio. In thorace & corde per ſympathiam impuri ventriculi dyſpnœa ex diaphragmatis oppreſſione: cordis palpitatio, vertigo. In cerebro ſomnolentia, ignauia, inertia mentis, & torpor artuum omnium, vaporibus ſcilicet craſſis humorum vitioſorum in ventriculo & præcordiis calentium ſurſum in cor & cerebrum ſublatis.

Alia denique ſymptomata ſunt & morbi ſimul: vt mammarum tumores & tibiarum, pedumque: rugæ ventris & vlcera: quæ enim prægnantes febrium differentiæ inuadere ſolent, ſiue continuarum quæ primariæ ſint, aut ſymptomaticæ: ſiue intermittentium: illæ quidem conceptum non vſquequaque comitantur: cum ſint ſine conceptu mulieribus infeſtæ.

Methodus curatiua symptomatum.

SYmptomatum quæ plethorã comitantur curatio constat: primùm victu parco frigido siccoque, & phlebotomia venarum cubiti dextri: si illa grauior sit & periculum minitetur suffocandi fœtus, primis quatuor tantum mensibus: eaque modica vt ℥ vj. vel viij cui clyster molliens præmissus sit. Cacochymiæ symptomatum remedia quoque sunt, diæta & pharmacia. Illa quidem aduersetur cacochymiæ: vt frigida acidaque biliosæ: calida siccaque & acris, pituitosæ, & melancholicæ. Cacochymiæ species internoscenda est ex ætate, natura, habitu, victuque consueto grauidarum, sapore linguæ, ex substantia & colore quæ vomuntur.

Pharmacia duplex est, alterans & vacuans: vtraque lenissima sit, ob fœtus infirmitatem. Vacuatio igitur constet vel simplicibus: vt aloe sæpius lota cum succo cichorij, rhabarb. & cortice myrobalanorum citrearum infuso aut puluerato tantum. Suspecta senna est ob dolores flatuosos ventris: nisi cum discutientibus vt zingibere, aniso &c. diutius coquatur: aut in vino albo puro & tenui per noctem maceretur: Vel compositis, vt diacatholic. diapr. simpl. pilulis communibus mastich. alephãg. assaieret (cassiæ & tamarindor. medulla nimis emolliens & torminosa est: manna quoque eccoprotica tantum est) Alteratio denique intemperiei à purgatione in ventriculo relictæ per interna externaque absoluatur remedia deinceps exponenda in singulis symptomatum curandis differentiis.

Pica & malaciæ curatio.

PIca & malacia deprauata est appetentia insalubrium

brium,absurdorũ,& inusitatorũ alimentorũ:huius affectionis causa est stomachi intẽperies: nõ ea quidem morbosa, prorsusque contra naturam: (cibos enim appeteret sibi dissimiles & contrarios)sed tantum præter naturam: & neutra:estque veluti naturalis ex longa excrementitiorum humorum consuetudine quæ similibus delectatur. Est autẽ hæc intemperies humoralis multiplex,vt pituitosa,biliosa melancholica,aliasq; sincera: vel mixtione aut corruptione varia: hinc ab illa variorum ciborum desiderium accenditur,vt salsorum à salsa pituita:dulcium ab eadem dulci: acidorum à melancholia naturali: siccorum & astringentium (vt carbonum cinerum gypsi gagatis aliorumque huiusmodi à melancholia vsta: amarorum à biliosa: variorum & dissentaneorum, à mixta. Iure itaque à græcis κίττα à latinis pica hæc affectio est nuncupata: vtrumque enim nomen auiculæ proprium est, magnitudine palumbæ, alisque vario colore tinctis. sicuti κίττα quoque ἀπὸ τοῦ κίττου i. hedera dicta videri potest: quod vt hæc obuias plantas tenacissimè amplectitur: sic intemperatus illo modo stomachus varios & inutiles cibos vehementer expetat.

Malacia eadem affectio dicta est,à mollitie, languore,& debilitate stomachi eiusmodi intemperiem comitante. Picæ signa sunt sensibilia: Prognostica sunt,quod matrem fœtumque aliquando enecet vehemẽtiori desiderio appetiti à matre sed non impetrati cibi:quodque vtrumque inedia cõficiat & debilitet, fœtumque etiam ipsũ priuatim si superstes sit debilẽ & valetudinariũ exhibeat:tum quod mulierib.prægnantib.virisq;,pueris & puellis

cachecticis sit commune symptoma: tum denique quod mulieribus frigidis humidisque & præsertim intemperantibus, multo magis quam biliosis, gnauisque & frugalibus sit molesta.

Curatio.

PIca omnis curatur diæta & pharmacia. Illa cacochymiæ pituitosæ, biliosæ & melancholicæ, & intēperiei frigidę calidæque opponatur: sitq; euchymos & eupeptos, ob malaciā adiunctā. Ergo aer paulo calidior sit vel arte vel natura: cibi calidiores, vt panis albus, salsus, anisatus & probe coctus: vinū rubrū generosum, minus cōsucto dilutū: carnes recentes, cum acribus herbis elixatæ vt hyssopo maiorana saluia, vel potius assatæ. Condimenta acria nō tamen aperientia sed modice adstringentia vt sunt macis nux moscata, &c. exercitationes paulo validiores.

Purgatio duplex est, vomitoria & deiectoria: Illa ab abortu tutior est primis mēsibus ob raptum humorum sursum, quæ si spontanea est, iuuetur solo iusculo leniente carnium leuiter elixatarum, sine sale: aliàs potione aquæ tepidæ admixto oleo, citanda est, sic enim dilutus humor magis fluidus redditur, & laxatis tunicis ventriculus subuersioni aptior. Quod si difficilior sit vomitio ob crassum lentūque humorem: tum incidente magis & tergente potione proritabitur: vt ex decocto folior. hyssop. origan. admixtis oxymel. ℥ij vel ex decocto seminis raphani, atriplic. & aneth. cui oxymel. scillit. ℥ij misceantur, sicque tota dosis euadat ℥viij vel x. debet autem hæc vicissitudo præparationis & vomitionis breuiori constare interuallo; vt bidui, aut tridui ad summum.

summum. Vomitionem si fortasse difficilis nimis & noxia sit: quod aut insueta sit : aut corpori prægnantis & conformationi minus accommodata: purgatio suppleat ex clementioribus siue pilulis, cuius generis sunt communes, alephang. assaieret, singulæ ad ʒ ß vel ʒ j: siue potionibus vt ex infuso rhei & agarici trochisc. & cortice myrobalanorum citrearum ana ad ʒ j in aqua betonicæ, vel ex decocti sennæ ℥ ß cum cicerib. rubr. sem. carthai florib. anthos & borrag. Vacuationi corroboratio mox subiungenda est ventriculi, per remedia quidem calida siccaque & astringentia, non acria nimis amaráque, ne acetabula aperiant. Talia sunt intro assumenda electuar. aromatic. rosat. diarrhodon albat. vt singulorum dosis matutina sit ʒ ij vel ʒ iij. quib. superbibantur cochlearia duo vini rubri generosi, quo os totum ante ingurgitationem abluatur. Similes sunt opiatæ, vt mithridatium, theriaca ad ʒ j vel ʒ ij cum pauco vino, superbibito: & quæ ex saccharatis plantarum partibus conficiuntur: vt ex floribus rorismar. & saluiæ: cortice mali citrij, aurantij, zinziberis, myrobalanis, & nucibus moscatis conditis, pulpa cydoniorum cum pulueribus electariorum præscriptorum & syrupis idoneis, vt conseruationis corticis citri & myrobalanorum.

℞. Conser. florum rorismar. & saluiæ ana ℥ j conditur. mali citrij & zinz. virid. ana ℥ ß carnis cydoniorum, nuc. iugl. & myrobal. ana ʒ iij nuc. mosc. conditæ ʒ ij puluer. elect. aromat. rosat. ℈ iiij cum syrup. conser. cortic. citri, fiat opiata de qua capiat ℥ iij vel ℥ ß singulis matutinis, superbibendo vt supra tantillo vini. Similes denique sunt de mentha &

de absinth. & vina medicata, vt absinth. & aromatites, i. hippocraticum, ad ℥ j vel ij mane sumenda: foris autem à sterno ad vmbilicum & ad vndecimam dorsi vertebram vsurpetur litus & embrochatio ante pastus, inanique ventriculo, ex oleo de mentha absinth. mardino mastich. muscatellino: ex iisdem oleis vnguenta fiant additis pulueribus aromatum ad ʒ ij, pro singulis oleorum vncijs, vt

℞. olei absinth. & nardini ana ℥ ij muscatell. ℥ ß pulu. mastices ladani benioini an. ʒ ij. nuc. mosc. & macis an. ʒ j. ceræ albæ parum, fiat vnguentum. huic respondent ceratum stomachicum Galeni & emplastr. mastichinum. fouebitur etiam regio ventriculi ex decocto plantar. calid. menthę, absinth. balsamitæ, saluiæ, betonicæ, seminis coriandri, flor. anth. ros. & saluiæ in aqua & vino rubro, post finitam coctionem, addito: ex quo decocto vel spongia vel gossipium vel lana inebriata & expressa præscriptæ regioni imponatur pluribus vicibus: vel ex vesica suilla, vel ex spleniis. ex eadem aromatica materia puluerata exceptaque pauco cotone & panno charmesino intersuti saccelli aptari eidem loco possunt: & iucundius circumferri.

. Vnguentorum vicem emplastra supplebunt, sicuti & pellis vulturis.

In biliosa cacochymia, quæ rarior est in prægnantibus, diæta frigidior sit, sed modicè adstringens. panis ergo salis & anisi sit expers, sæpiusque hordeaceus aut secalinus: carnes recentes præsertim partes nerueæ & albicantes, vt sunt pedes genua & intestina, quæ elixentur cum herbis refrigerantibus vt lactuca portulaca acetosa: & earum iusculis panis imbutus coquatur. Conueniunt hordeum

deum tostum oriza lentesque. Condimenta sint acida, vt ex succo acetosæ mali granati & aurantij, & ex omphacio & aceto rosaceo. vinum sit oligophorum, & dilutum: fructus quoque astringentes & frigidi, cuiusmodi sunt pruna pyraque, malum cydonium, sorba mespilla, grana ribes, oxyacanthæ. & post pastū cibus claudatur dimidio cyatho aquæ frigidæ: vel cochleari vno granorum mali granati.

Purgatio quoque duplex est: vomitoria & deiectoria: illa si spontanea sit & facilis; potionibus tantum lenientibus, vt aquæ tepidæ sinceræ vel hydrelæi, vel iusculis pullorum excitetur: sin parum difficilis: vt cùm bilis mixtione pituita crassior lentiorque euasit: potiones leniētes quidem sed mixtis tergētibus & attenuātibus exhibēdæ sunt: vt ex oxymel. simplici vel scillitico in ℥ viij. aquæ tepidæ: vel quod acrius sit, decoctum seminis atriplic. raphani, aneth. & summitat. hyssopi. Alias deiectoria vacuatio tentanda est: vel ex infuso puluerati rhei & agarici: vel ex puluere eiusdem: vel ex pilulis iam prędictis. Hæc autem purgatiuncula, sicuti & vomitio, bis terue reuocanda est per interuallum duorum vel trium dierum, quo humor vacuandus siue sursum siue deorsum magis vergit, concoquatur autē iulepis refrigerantibus tergentibus & attenuātibus: vt ex syrupo acetoso simplici, oxymel. simpl. oxysacch. simplici & melle rosato cum aquis cichor. acetosæ & endiuiæ. Puro denique ventriculo relicta intemperies calida protinus corrigenda est, præsidiis intus forisque vsurpandis: quæ non solum caliditatem obtundant refrigerando, sed laxitatem etiam substantię à caliditate aliena inductam astringendo coerceant.

Intus quidẽ profint electuar. tabellata v[illegible] santalum diamargaritum frigidum. Similes [illegible] rupi de limonib. de gran. acid. foris litus ex [illegible] sac. myrth. lentiscino melino id est cydonio[illegible] quibus vnguenta fiât additis pulueribus id[illegible] santali albi & rubri rosar. semin. lactucæ [illegible] tulacæ cum cera alba. Sic ergo picæ & mala[illegible] lestiâ prægnans mulier liberetur his legib[illegible] statuunt humoris cacochymi purgation[illegible] præponendam, & intemperiei mutationem [illegible] ponendam: Vt enim contentum quodlibet [illegible] à suo continente validiori in eius naturam [illegible] tur: & contra: sic ab efficaciori contento co[illegible] ipsum mutari contingit (ita enim dolium [illegible] hocque vicissim à dolio inquinari solet) Sic [illegible] culus eiusque orificium (stomachus) à caco[illegible] humore diutius inhærente & à simili inte[illegible] corrumpitur: eiusque facultates naturale[illegible] petitio depravantur, impedito fine tum n[illegible] nis, id est nutritionis, cui inepta sunt appeti[illegible] lia: tum formæ, quæ non potest ineptæ absur[illegible] ciborum materiæ similis induci membris nu[illegible] dis.

De singultu, nausea, & vomitione.

HÆc tria symptomata sunt expulsionis de[illegible] uatę ventriculi. Cum enim toti corpori [illegible] tas quædam expultrix indita sit: quæ quod [illegible] stum est, depellat, id ipsum quidem diuer[illegible] partes diuerso modo præstant: plurimæ q[illegible] per contractionem, vt cerebrum in epile[illegible] & sternutatione: thorax in tussi: intestina in dei[illegible] ne fæcum: vesica in mictione: ventriculus in [illegible] gultu

gultu, nausea & vomitione: vnicum cor dilatatione & constrictione. Communis trium istorum causa est, humor vel grauans copiâ, vel mordacis & acris qualitatis, cuius humoris sedes diuersa est: tum in substantia ventriculi, vnde singultus: tum in superficie interna, vnde nausea: tum in ventriculi capacitate, vnde vomitio. Singultus igitur causa est acidum vel acre serum ventriculi tunicis altius infixum: Vomitionis verò & nauseæ id ipsum vel morsu vel copia grauiter molestans. illud à bilis speciebus: hoc à pituitoso excremento prouenit.

Cæterum vomitio alias spontanea est, & naturalis: tantumque humoris excrementitij expulsio: aliàs symptomatica quæ frugi humorem, & chylosum vnà cum cacochymia excernit, quòd scilicet retentrix facultas per se inualidior sit: vel retentrix violentius irritata à cacochymiæ acrimonia & salsugine pungente, vel à copia opprimente. Naturalis vomitio vt critica sinenda est si perfecta: sin deficiens, iuuanda, tandemque ventriculus corroborãdus. Symptomatica autem coercenda est accuratissime: ne matrem fœtumque alimenti penuria debilitet, perimatve: Primum quidem vomitionis remedium est diæta: quæ in vniuersum sit intemperiei humorique vomendo aduersa, substantiæ mediæ, crassæ & viscosæ: non liquidæ: non pinguis: non tepidę, vt facilius hæreat & interim concoquatur. condimenta sint calida siccaque vel frigida: & vtraque astringentia: pôtus exiguus, & nullus à pastu.

Ergo in biliosa vomitione iuscula caponum, veruecum, vitulorum, cum pedibus eorumdem

animalium, & porcorum comparentur, vt ex iis fercula crassiora concinnentur, ex incoctis, oryza, semola, lentibus, pane tosto, & hordeo tosto: quibus indatur omphacium, succus malor. granatorum cotoneorum aurantiorum. Conferunt etiam pultes ex farina hordei tosti cum lacte vaccillo. Potus sit vini rubei aqua pluuia vel fontana chalybeata copiosè diluti. A pastu deniq; cibus vētriculo includatur frigidæ modica potione: vel momento pomi pyrive aut cydoniati quib. ventriculus natura vel morbo frigidior est. In frigida & pituitosa vomitione similique ventriculi intemperie, eadem substantia media ferculorum assumatur: sed aromatibus condita adstringentibus: vt nuce moscata, macere: non acribus, nimisque aperiētibus vt pipere, zinzibere, canella tenui, ne menses moueantur: vinum rub. generosum odoratum minusque dilutum: cuius sit omnino modica potio: cibus in ventriculo frigido cohibeatur & percoquatur absorpto post pastum puluere digestiuo vocato. vt,

℞. crustæ panis albi tostæ ℥j. sem. coriand. præparati & anis. ana ʒ ij. fragment. sapphyr. & hyacinthi, corall. rub. terræ sigill. an. ʒß tunicæ interioris gallinarum ventriculi ʒ ij nucis moscatæ, macis ana ʒj cinnam. crassioris ʒ iij sacch. pondus æquale omnium fiat puluis de quo detur cochlear vnum post singulos pastus.

Pharmacia denique vacuans cacochymiam omnem, siue vomitoria siue deiectoria alterantem & corroborantem antecedat: vt causæ fouentis prior sit, quàm intemperiei ipsius ablatio. Remediorum vtriusque speciei materia & formulæ

læ modo enarrata sunt, cap. de pica & malacia. Si tamen vomitionis impetus topicorum efficaciam vincat : tunc cucurbitulæ magnæ & cum magna flamma ad vmbilicum affixæ validissimo tractu cibus cohibendus est in ventriculo mox à pastu : Ab aliis manuum pedumque in gelida infusio vomitioni auxilio esse traditur : Aetius præscribit vt fiat in tepida : frigus enim præ dolore & subita alteratione longè à ventriculo auocat calorem & spiritum sine quibus nulla functio, nedum expulsio, fit : voluptas ex tepida eundem quoque allicit.

Vomitio alia est in prægnantibus rarior ex dissolutione ventriculi,& facultatis retentricis prostratione : quæ sinceri cibi potusque est sine vllius cacochymiæ mixtione, vel ob humidiorem intemperiem à causa manifesta natam, quæ nimis emolliat, & lubricet, vt sunt horarij fructus & præpinguia iuscula : vel ob qualitatem malignam & pestilentem, vt per suffocationem vteri & pestiferum cælum: Illa quidem remediis adstringentibus sine vacuatione vlla præuia placanda: hæc tum blandis reuulsionibus, tum alexipharmacis temperāda est, cuiusmodi sunt theriaca, mithridatium.

Nausea prægnantium curatur iisdem vomitionis remediis sola magnitudine differentibus: vt præparantia scilicet tanto magis sint acria amaráque, incidentia & tergentia : quanto materia nauseam excitans contumacior, crassior & viscosior est, atque tenacius ventriculi superficiei affixa : quæ autem à dissolutione est, maiori quoque adstrictione & præstantiori cardiaca facultate indiget.

Singultus denique prægnantium à repletione

crebrior est à serosa & mordaci caeochymia tunicis infixa: rarissima est ab inanitione, nisi fortasse diuturnam & importunam vomitionem exceperit. Hæc statim curabilis est lactis potione,& iusculorum (vt vulgo vocant) consummatorum, caponum veruecum vitulorum cum vitellis ouorum, amygdalatorum, hordeatorum. Illa à sero acri & pungente curatur crebrâ deiectione potius, quàm vomitione; post diligentem humoris pręparationem per iulepos & apozemata ante exposita.

De bulimo & appetentia canina.

ALia est deprauatæ appetẽtiæ species famisque animalis sine inanitione insatiabilis inexplebilis & morbosa: nam quæ à cibi penuria & inanitione oritur fames,naturalis est,eáque duplex. Vna fit à communi venarum omnium tractu ab habitu ad orificium vsque ventriculi producto:in quo pręter cæteras partes tractus illius sensus est exquisitus crucians& molestans:atq; hæc fames dicitur animalis,quod animalib. sit propria.Naturalis altera dicitur plantis & cæteris animalium partibus cõmunis, estque tacita quędam sine sensu penuriæ& inanitionis cognitio; venarum radicumque tractricem alimenti facultatem exsuscitans.Porro animalis illa & secundum naturam, inanitionis modo respondet: quæ verò contra naturam est, sine inanitione insaturabilis fere perseuerat.

Causa proxima,vna est,intemperies frigidior sicciorque stomachi similem suctui venarum sensum morsumque & molestiam illi inferens præ valida constrictione propriæque substantiæ expressione. Differentiæ duæ sunt, vna βούλιμος,altera appetentia

tia canina dicitur. Prima ſpecies à frigore tantum externo eſt: vt incedentibus per niues aut per montes editiores; ob aeris ventique Aquilonij inſpirationem & adhæſionem: tunc enim vel cute conſtricta coactus calor pabulum ſuum voraciter & celeriter conſumit: vel os ventriculi valide comprimit. In illa autem ſpecie prima tametſi fames ab initio inuaſerit rabioſa & implacabilis: haud multo tamen poſt tempore faſtidium ciborum ſummum tantumque ſtomachi languorem conciliat vt extincto penè eius calore: viribus omnibus deficientibus: corde & extremis partibus refrigeratis; pulſu fatiſcente, ægri exoluantur, animoque linquantur. Magnitudinem famis nomen ipſum indicat.

Alterius ſpeciei & caninæ appetentiæ origo non à frigore externo: ſed ab interno eſt, acidæ pituitæ & melancholici ſucci ventriculi orificio impacti. Huc enim ex liene menſibus retentis oppleto per vas breue refunditur: ſicuti illa ſenſim colligitur; vel ex pica & malacia: vel ex eodem menſtruo calorem opprimente. Perpetua eſt hæc fames & appetentia quæ cibis pluribus ventriculum debilem onerat, quos protinus reuomat: hinc canina dicitur.

Βύλιμος igitur magis ſpecialis & particularis eſt: appetentia canina generalior ſiue vniuerſalior. Fit enim ille ab vnica cauſa & aere externo frigidiori, ſine vomitu, tandemque in eo deſinit appetentia. Canina autem appetentia fit ſemper à frigore interno, vt dictum eſt: & in eo perſeuerat appetentia: rarius fit ab externo, vt frigidiori potione aquæ gelidæ, aut niuoſæ & fructibus frigidioribus.

Curatio.

Ergo βουλίμῳ laborantibus præsertim viris (sunt enim puellæ & mulieres prægnantes, vt in peregrinationibus hyemalibus rariores: sic ab hoc symptomate tutiores) diæta conuenit calida actu & potestate, alimentosa, euchymos, & eupeptos, crebra, paucaque: huiusmodi sunt iura consummata vocata, carnium gallinacearum vitulinarum veruecinarum, cum acrium plantarum foliis vt hyssopi sambsuci satureiæ elixatarum; aspersus etiam aromatum pulueribus alterata: talia sunt iura earundem carnium expressa, concretaque, vitelli ouorum, butyrum, panis tostus cum oleo: pinguia enim laxant frigoris constrictionem, vinum generosum, vel medicatum etiam: vt hippocraticum & pransis & ieiunis exhibendum: odorata quoque naribus admouenda, fatiscentibus præsertim viribus, sensimque exolescente appetentia: huiusmodi sunt panis recens coctus vel tostus vino generoso immersus: moschus & ambra vino diluta, aquæ quoque aureæ vt quæ imperialis cælestis theriacalis aut aqua vitę dicitur.

Pharmacia alterans tantum, ex vsu est: eaque calfaciens ab intemperie frigida solitaria indicatur: sed caliditatis discrimen ex caloris natiui varietate limitandum est: vt quanto hic imbecillior fuerit, tanto minus calidum remedium frigori quamlibet intenso opponatur, siue foris per ignem frictionem balneationem vnctionem: siue intus per vina medicata, & per antidotos vt mithridatium vetus, & the-

theriacam : ne pusilli caloris reliquiæ ab alieno calore foras euocentur,aut ab interno dissoluantur.

Appetentiæ caninæ purgatio præter alterationem adhibenda est humoris crassi vel pituitosi vel melancholici : eaque deiectoria potius quam vomitoria ob humoris contumaciam, grauitatem, lentoremque, & crebra vt mediis interuallis humor concoqui incidi tergerique possit per iulepos aposemata & electaria exposita capite de pica & malacia.

Purgationi autem alteratio iungenda est,tum per diætam: tum per pharmaciam in βουλίμῳ annotatam: ad quam referenda etiam sunt litus & embrochationes oleorum calidorum,vt absinth. nardini, muschatell. & de mentha, & ex illis vnguenta, additis pulueribus & cera : tum fotibus ex plantarum calidarum decocto in aqua & vino.

De cibi fastidio.

FAstidium cibi aliàs spontaneum est, & integra à cibo potuque abstinentia, aliàs morbosum symptoma est oris ventriculi male affecti, intemperatique: illud græcis ἀσιτία,hoc ἀποσιτία & ἀνορεξία dicitur : in qua aliquid cibi tametsi paucissimi assumitur : huius causæ sunt proximæ duæ: Intemperies vehementes stomachi contrariæ,frigida,calidaque & sicca. Appetentia .n. in orificio ventriculi excitatur non ab immoderata frigiditate ; quæ eam potius extinguit:sicuti tandem in βουλίμῳ confirmato accidit : nec ab immodico calore , qui eam obtundit : sed ab vtroque moderato: aut paulo tantùm validiori : sic cappares, oliuæ, sinapi, & salsamenta, appetitum prouocant ; vt cepæ,allia

herbæque olentes fessis messoribus æstu. sic acidi succi pomorum aurantiorum, limoniorum granatorum cerasorum,& similium, item acetum & acetata &acetaria eundem exuscitant: sed deiicitur ab intemperie vtaque vehementi quę nonnunquam simplex& solitaria est,&pendet à causis externis,vt cibo & potu. Sic aquæ niuosę ingens frigiditas, vel aeris æstiui ardor,balnea,stufę, vapor febrilis, vinũ meracum,cibi fastidium inducunt:à frigidis enim sensus suctionis obtunditur, à calidis stomachi substantia laxatur & exoluitur, vt suctionem venarum non sentiat: sic pharmaci purgantis potione haustuque ob caliditatem appetentia tollitur. Alias intemperies vtraq; humoralis est,&ab internis causis fouetur vt calida à bile,& pituita salsa:frigida à pituita acida albuginea dulci & emolliente atque exoluẽte os vẽtriculi:quę autẽ inappetẽtia ab immodica vacuatione obrepere solet siue naturali, siue artificiosa,vt à lienteria,diarrhœa,& hæmorrhagia, ea quidẽ ad simplicẽ intẽperiẽ frigidã referẽda est.

Simplicis intemperiei signa sunt, calidę quidẽ ructus nidorosus &oletosus(nisi fortasse cibi praui aliquid ęgri sumpserint) coctioq; frigidorum ciborum facilior:contra frigidę ructus acidi, nulla sitis nullaque coctio ciborum crassorum &frigidorum. Humoralis autem& biliosę signa sunt cardiogmos, cordis dolor,(lancinato à bile acri stomacho)tenebricosa vertigo(vaporib.ab eadẽ vsta sursum sublatis)oris amaror, quòd interna tunica ventriculi sit ori ipsius œsaphago,faucibus,palato,linguę totique ori cõmunis:nausea,vomitus ab eiusdem bilis morsu stomachi,sitis,ęstuatio, febris etiam aliquando (orta ob bilis putredinem.) his omnib. iungantur causę

causę biliosi humoris feraces vt natura calida siccaque, iuuenilis ætas, habitus gracilis, tempora & regiones similiter calidę siccęq;. Intemperiei autē frigidę & pituitę in ventriculo redundantis argumēta sunt, quod sine cardiogmo, siti, & linguę amarore, ructus insipidos sputum aquosum & frequens ægrę fœminę emittant linguamque albicantem proferant.

Fastidium denique vt pręgnantibus per primos menses, sic puellis & viduis suppresso menstruo, vel ob vitę intemperantiam molesta esse solet.

Curatio.

CAlida intēperies simplex curatur tū diæta, tum pharmacia alterante & cōtraria tantū: illa quidē vt pane posca imbuto, vel iusculo herbarū frigidarum vt lactucę acetosæ portulacæ, potione oxycrati aut aquę frigidissimę aut oxygalactis: fructibus acidis, vt pomis pyrisq; prunis: condimentis acidis, vt succo mali aurantij, granati, limonij, fol. acetosę, piscibus in oxycrato coctis: syrupi denique cydoniorum de granat. acid. ad cochlearia duo vel tria, bis aut ter interdiu multum conferant, foris quoque in regione ventriculi vnguentum refrig. Gal. vel ceratum santalinum: sęd horum frigidorum remediorum modus sit ne insanabilem relinquant intemperiem contrariam. Frigida intemperies contra calido victu vt vino veteri meraco siue Hippocratico, pane anisato, iusculis carnium elixatarum cum herbis acribus: vt hyssopo &c. vel tostis iisdem cum condimentis aromatum: tum etiam pharmacia vt electuario dracalamynthes arom. rosat. theriacæ &

mithrid.syrup.de absint.&c.& foris cerato Gal.pro stomacho:oleis illinendis: vt nardino muscatellino absinthite. At intemperies humoralis quæ prægnantibus magis familiaris est, pituitosa præsertim, curatur vacuatione pituitosæ cacochymiæ & quidem vt plurimum deiectoria: cùm ob crassitiem lentorem & grauitatem vomitioni repugnet:ipsique prægnantiũ naturę & consuetudini sępe sit aduersa. Hęc vero deiectio mitis sit & clemens, ob molliciem fœtus, & crebrius vsurpetur: sed per interiecta interualla præparatio coctioque humoris, per iulepos incidentes & attenuantes in pica & malacia antea descriptas procuretur. biliosa autem ob leuitatem & caliditatem vomitione potius faciliusque extrudatur: nisi ab hac abhorreat prægnans: Proritatur autem vomitus copiosa potione hydrelæi tepentis vel mulsæ dilutissimæ, vel iusculo pingui, vel ptisana pauco oleo addito: tandemque digito vel pennis, quæ oleo illitæ sint, in fauces penitus insertis. Aliàs deiectio sit clementior vt per pilulas dialoes per spatium trium aut quatuor dierum repetitas ad ℥ß vel per infusionem rhei & agarici cum syrupo de cichorio composito cum rheis: Diacydoniatum & de succo rosarum similiaque diagredyata & colocynthisata fœtui nimis, & prægnantis ventriculo infensa molestaque sunt. Mox denique absoluta perfectaque vacuatione, vtriusque cacochymiæ, relicta intemperies, topicis sumendis & admouendis contrariis delenda est: sicuti cap. de pica iam expositum est.

De siti prægnantium.

Cum

CVm corpora nostra ex quatuor elementorum inter se mixtorum materia & temperie conglutinata sint, quorum substantia à calore natiuo continenter digeritur: natura eiusdem conseruandæ studiosa duplicem animalibus appetentiam inseruit in stomacho, Vnam alimenti solidi & substantiæ calidæ siccæque: Alteram frigidi humidique & liquidi (illam famis, hanc sitis nomine vocant). Ad calidam autem siccamque substantiam ignea & aerea terrenaque substantia pertinet: sicuti ad frigidam humidamque aquea & humoralis: tametsi in hac quoque solidæ & terrenæ, nisi sincera aqua sit, sicuti in illa humidæ aliquid contineatur. Sitis autem sicuti & fames duplex est: Vna naturalis plantis omnibus: & singulis corporum nostrorum particulis ingenita, quæ naturali quodam instinctu & inclinatione frigidum humidumque alimentum capessunt, quoties eiusdem penuria lacessuntur. Altera est animalis soli orificio ventriculi propria, ob insignem eius sensum: hinc animalis dicta quod solis animalibus data sit externum alimentum potumque quæsituris. Vtramque appetentiam antecedunt quatuor symptomata: ex quibus primum est extimarum partium sub cute inanitio: secundum est inanitarum partium fames naturalis, tractusque alimenti à maioribus venis & hepate ipso: tertium est ventriculi venarum suctus ab orificio roridæ substantiæ: quartum est suctus istius sensus molestus. Postrema est appetentia animalis: quam naturalis præcessit.

Sitis igitur animalis aut moderata est, & pro-

portionalis venarum tractui: tãtumque appetit frigidæ humidæque potionis, quantum proprium eius humidum incaluit, aut exoleuit à causis naturalibus resolutum. Immoderata sitis duplex est, vna præter naturam: altera contra eandem: Illius causa proxima est intemperies stomachi leuior: vel calida fundens, liquans, resoluens humidum stomachi naturale: vel siccior idem absorbens.

Huius intẽperiei causæ externæ sunt, calidæ: vt insolatus, æstuosum cœlum, balneum, stufæ, vnguenta, condimenta acria & aromatica, allia, cepæ, vinum generosum copiosum aut syncerum, motus corporis animique vehementes, iracundia, vigilia. Hæc quæ contra naturam tripartita est: aut enim mera est priuatio, & abolitio: cùm aut non fit suctus roridæ substantiæ, aut non sentitur: aut diminutio, cum primæ duæ causæ calfactio scilicet & exsiccatio minores & remissiores sunt: aut denique deprauatio, cum aut vehementior aut absurdi & à natura abhorrentis humoris.

Quæ abolita est aut valde remissa; fit ab intemperie frigida tantùm, aut humorali etiam: vel per protopathiam vel per sympathiam totius corporis: cõtingit etiam moribundis & phreniticis prostrata stomachi sensitiua facultate, eiusque omnino temperie euersa.

Curatio.

HÆc priuatio sitis aliquando accidit prægnantibus: sed rariùs, siue ex humidiori & frigidiori victu: siue ex menstruo pituitoso stomachum perfundente: hæc vero fœtum fœtamque valde debilitat & extenuat ob primæ

secundæque

secundæque coctionis noxam: neque enim siccior cibus in ventriculo satis elixatur coquiturve: sed potius ob diutinam in eo moram vitiatur, neque idcirco satis exsugitur, aut ab hepate distribuitur. Proinde symptomati huic occurrendum est, frigidę intemperiei curatione: tum simplicis per diætam calidam, & medicamenta calidiora foris intusque vsurpanda: tum humoralis per crebram mitemque vacuationem pituitæ, præsertim mucilaginosæ, sed coctæ, attenuatæ, & detersæ, vt sæpius iam inculcatũ est, vel catarrhi capitis auersione & interceptione. In ea autem quæ à sympathia est totius frigidioris corporis, frigido & humido humore scatẽtis, curandus imprimis primarius affectus vt cachexia, hydrops: moxque relicta intemperies expũgenda. Quæ denique à partis stupore, aut mentis turbatione fit: mortis proximæ indicium est. Quæ vero sitis à causa externa est calida siccaque, tantumque præter naturam citra stomachi morbosum affectum, sola victus contrarietate refrigerantis & humectantis extinguenda est: sed refrigerationis modus sit, vt nec præceps nimis nec vehemens sit: ne à potatione frigidiori & copiosiori vt putà aquæ, refrigerato hepate & ventriculo hydropis & cachexiæ periculum immineat.

Quæ cõtra naturã est à protopathia ventriculi bile flaua aut prassea vel pituita salsa affluentis, curanda est tum diæta paulo frigidiori humidiorique: quæ præterea attenuet & detergeat tum vacuatione: non quidem per phlebotomiam: nisi plethora valde grauis sit, & abortum portendat: sed per purgationem mitem crebrámque: vt per interualla trium vel quatuor dierum: quibus

interim cacochymia concoquatur.

Purgationis materia idonea erunt pilulæ dialoes, vel assaieret; vel alephanginæ ana ʒ ß sine custodia, vel infusum rhei & agarici: Coctionis siue præparationis cacochymiæ vtriusque biliosæ & pituitosæ materia idonea erunt syrupi non insigniter refrigerantes: sed incidentes & detergentes, quales sunt acetosus simplex, oxysacch. simpl. oxymel simplex, quorum bis in die duo aut tria cochlearia per se assumantur, vel ℥ ij eorundem, aquis stillatitiis vt agrimon. cichor. & acetosæ ad ℥ iiij pro singulis dosibus dissoluantur.

Eadem sitis ex corporis totius & viscerum sympathia oritur: ex menstrui retenti scilicet & in venis ob infarctum & putredinem etiam leuem æstuantis, calida expiratione: cuiusmodi etiam sanis mulieribus imminente mensium fluxu, ob eorundem agitationem contingit. Hæc species sitis symptomaticæ curanda est diæta frigidiuscula tenuiq; & attenuante: quiete, somno, & purgatione mitiore crebráq; exuperãtis cacochymiæ, vel biliosæ, vel pituitosæ: Phlebotomiæ autem nullus locus concedatur: nisi impendente abortus periculo ex sanguinis redundantia: sed tota sanguinis moles fœtui relinquatur, quam adultior & consequentibus mensibus, depascatur. Interim autem sitis ipsa consopiatur, orisque & faucium ariditas compescatur, vt crebra oris lotione ex frigida, quæ vt incaluit, sæpius effundatur. Item si pruna cerasaque acida pomorumque frusta, acetosæ & portulacæ folia sæpe ore versentur: aut lapilli aut ossicula volutentur: hinc enim pituita aquea in os proluitur vnde humescat.

De

De connexione & sympathia vteri cum vniuerso prope corpore.

COnnectitur vterus cum plerisque corporis partibus, vt cum cerebro & sensuum motuumque organis, per neruos: cum spinali medulla per vincula duo superiora: cum corde per arteriam aortam: cum liene, per maximas pluresque arterias ab aorta iuxta lumbos prodeuntes: cum hepate per venas hypogastricas & spermaticas: cum renibus, per venas spermaticas: quarum sinistra ab emulgente ortum ducit: cum mammis vel per hypogastricæ ascendentis & mammariæ descendentis coeuntes ramulos: vel potius per hypogastricam & spermaticam cum caua vena & axillari, & ab hac ortis pectoralibus duabus: cum vesica, & recto intestino, non solum per viciniam & membranas peritonæi vterum his partibus annectentes: sed & per communionem venarum ab hypogastrico ramo ad easdem partes diffusarum: cum osse pubis, inguinibus, coxis, ilibus, & osse sacro, per vincula duo inferiora: cum cruribus per ramos duos amplissimos à caua iuxta ossis sacri initium in femora obliquè abductos. Ex hac tam multiplici vteri connexione, maximus illi cũ plerisq; corporis partibus consensus & sympathia intercedit, quibus suos laboresuáque tædia facile impertitur: idque vel per vasa, vel per ligamẽta propria quatuor: vel cõmunia: vt sunt fibræ & membranæ à peritonæo ductæ: aliàs denique per viciniam. Hinc affecto vtero dolor occipitis, conuulsio musculorum, & artuum: caligo oculorum: sibili & tinnitus aurium: somni

graues: vigiliæ: melancholica deliratio: mania: Sic ex eadem ſympathia vteri cum corde: lipothymia, ſyncope, pulſationis & reſpirationis defectus. Ex ſympathia cum ventriculo vomitio, nauſea, pica, malacia, βούλιμος, canina appetentia, faſtidium cibi, ſitis nulla, aut implacabilis, aut aliena: Ex eadem ſympathia cum hepate: vteri ſurſum aſcenſus, vel exſiccati per nimiam hæmorrhagiam, vt gratioſo hepatis ſucco fruatur: vel retracti à venis nimis plenis: hinc quoque icterus, cachexia, hydrops: Ex ſympathia cum ſpinali medulla: rigor, horror, frigus: cum renibus dolor in aluo ex ſupreſſo menſtruo aut mox prodituro: cum veſica & inteſtino teneſmus & ſtranguria (vtero ſc. inflammato) & iſchuria eodem à fœtu nimis repleto: cum oſſe pubis, coxæ ilium, & inguinibus, coxarius ex phlegmone dolor: & claudicatio ex plegmone poſt partum: Denique ex ſympathia cum cruribus varices: cum mammis tumores phlegmonoſi oriuntur, & hæmorrhagia per papillam ſanguine ſurſum ab vtero aſcendente, & lacteæ vrinæ poſt partum.

De dolore vteri & vicinarum partium.

EX illis omnibus per ſympathiam vteri prægnantium conflatis affectibus: ſolius ſtomachi vtriuſque appetentiæ famis ſitiſque propria ſymptomata adhuc percurata ſunt: reliquarum partium propria deinceps expedienda ſunt: qualis eſt dolor vicinarum vteri partium, vt dorſi renum lumborum inguinum, oſſis coxarum, pubis & ilium crurumque: qui dolor prægnantes fatigare ſolet tum primo imprægnationis tertianario, tum

tertio.

tertio seu vltimo: Primo quidem ob redundantiam retenti à conceptu menstrui, atque ab vltimis venis spermaticis & hypogastricis tum in venam cauam, tum in renales, aliorumque viscerum venas refluentis: easque violentiùs distendentis, & impensiùs calfacientis: (eandem ob causam mensibus iam iam fluxuris puellæ nubiles, viduæ, & quæcumque fœminæ iis partibus grauiter indolescere solent.) Vltimo vero tertianario dolor exoritur ob granditatem & grauitatem fœtus præsertim gemini aut fœminini: hic enim decliuior gestari solet: ob artuum mollitiem, viriumque animalium & motiuarum debilitatem, & vteri corpus omniaque eius vincula tū propria tū cōmunia, vasaque & peritonæi fibras grauiter deprimentis.

Vrgens à prima causa dolor, quamprimum mitigandus est anodynis topicis: cuiusmodi est litus siue embrochatio lumborum, dorsi, & ossis sacri, ex oleo liliorum amygdal. dulc. violato: vnctio ex vnguento resumptiuo, aut ex butyro solo mixto cum recenti axungia porci & pauco croco, fotus ex decocto florum chamæm. meliloti seminis lini caricarum & folior. quatuor emollientium, & applicetur per splenia vel linteola imbuta: vel ex lacte solo tepido cum vesicis porcinis: vel certe ex sacculo repleto semine lini in lacte elixati. Liceat tamen anodynis istis topicis, refrigerantium portionem addere: quæ contrarietate sua vtramque doloris causam excindant, tensionem emolliendo, & æstum alterando: tale est oleum nenuph. violaceum, rosaceum: tale vnguentum populeum.

Mitigato dolore semel, recursus eiusdē prohiben-

dus est:tum diæta frugali quieta & frictionibus leuibus : tum vacuatione per sectionem venarum cubiti dextri , præmisso clystere, communi & emolliente: siquidem abortus periculum ex doloris vehementia & sanguinis copia metuatur. In virginibus autem & viduis menses commoti à dolore isto liberant: Dolor denique à granditate fœtus leniendus est:primum quidem tenui & parca diæta; ne cum mole fœtus, doloris magnitudo & abortus periculum crescant : deinde pharmacia per topica astringentia frigida : ne laxioribus fœtus vinculis fiat eiusdem ante tempus præcipitatio. Illa vero sunt lumborum dorsi ossis sacri regioni applicanda : euiusmodi sunt litus & embrochæ ex oleo myrthino lentiscino omphac. & melino. Item emplastrum mastichin.aut ex pice liquata cõfectum, cui puluis astringens permisceatur : vt boli armenæ,sang.dracon.& similium. Ex eadem vteri cum vesica & recto intestino per viciniam sympathia vtraque pars adeò comprimitur ab vtero tumidiori:vt sua excernere excrementa nequeat sine magna contentione & abortus discrimine : Quare mollienda aluus est cibis lubricantibus : vt sunt iuscula herbarum maluæ betæ vel mercurialis , eaque pinguia : vel ex carnium leui elixatione : vel ex olei dulcis aut butyri recentis dissolutione , quæ hora prima ante prandium absorbeantur : aut ex prunis elixatis , & saccharatis , aut ex ficubus , vel medicamentis mollibus vt cassia , manna , vel denique clystere communi aut ex oleo simplici : Ita duriores fæces dissolues ,& euocabis , vrinam quoque foras prolicies corpore prono & curuato , atque adeo hypoga-

pogaſtrio manibus leuiter releuato: ipſaque veſicæ ceruice ſæpe litibus & fotibus præſcriptis relaxata.

De rigore, horrore & frigore.

EX eadem vteri cum vniuerſo corpore ſympathia fœminas prægnātes ſæpe moleſtant rigor, horror, frigus: ex quibus priora duo, ſunt facultatis animalis ſymptomata; motus nempe veloces & frequentes partium totius corporis: frigus verò facultatis vitalis & coloris natiui partes deſerentis.

Proxima rigoris, horroris & frigoris cauſa compunctio eſt partium ſenſientium: antecedens materia eſt pungens irritanſque, humor ſcilicet acris & frigidus, & vapor ſine humore frigidiſſimus & calidiſſimus; finalis cauſa eſt pungentis & irritantis humoris expulſio: inſtrumenta ſunt muſculi articulis cruribus & toti corpori annexi: cauſa ſine qua non, eſt illa humoris vel vaporis per ſenſientes partes nerueas & membraneas repentina delatio, & violentus motus: forma, vehemens eſt totius corporis quaſſatio & ſuccuſſatio, dum ſingulæ partes in vicinas moleſtam & pungentem materiam excutere conantur.

Porro materia hæc humor vaporue vel externa eſt, vt aeris frigidi vel aquæ frigidæ repentinus occurſus, ſicuti feruidioris balnei præceps ingreſſus & medicamentum acre mordaxque vulneri impoſitum: Alias interna eſt, eaque vel calida vt bilis flaua: & atra bilis ex melancholia per putredinem vel vſtionem genita, & pituita ſalſa: eorumque

ſimiles vapores : vel frigida vt acida & vitrea pituita. Porro internæ illæ cauſæ aliàs cum putredine & febre ſunt, vel continua : cuius exacerbationes cum horrore & frigore fiunt: vel intermittente, quæ ſuas acceſſiones cum rigore, ſi bilioſa, cum horrore, ſi atrabilaria, aut cum frigore tantum ſi pituitoſa ſit ; & à pituita dulci inchoare ſolet : nam acida & vitrea pituita, ſi vehementer putruit, rigorem inducit : ſin leuiter putruit, febrem epialum accendit, cum mixto frigoris & caloris ſenſu. Quod ſi febris abſit, rigor horrorue à vitrea etiam pituita commouetur, non tam ex inſultu ſubſtantiæ eius : quam vaporis eiuſdem in partes ſenſientes impetu & incurſione. Illum quidem rigorem à vitreâ pituita ſine febre priora Galeno ſecula non agnouerunt, quòd temperanter magis victitarent: At Galeni ætas deſidiæ otio crapulæ ſomno & balneis nimis molliter indulgens ſæpe experta eſt : in mulieribus præſertim frigidioris temperamenti. Eſt autem rigoris horroriſque conſectaria ſemper perfrigeratio : non quidem ex humoris aut vaporis frigida qualitate : cum ab humore præcalido & plerumque ſine humore, vt à tumore, rigor horrorque & frigus inferantur : ſed ob caloris natiui repentinum ad intimos corporis receſſus recurſum, vel interceptionem : donec multitudine aucta propriæ ipſius ſubſtantiæ inſultantem vaporem reprimat repellatque. Incipiunt autem rigor horrorque & perfrigeratio ſiue cum febre ſiue ſine eâdem à partibus poſterioribus vt lumbis ; dorſo, totaque ſpina; in mulieribus præſertim natura frigidioribus : & in viris

in viris etiam: quod partes illæ externæ minus sint venosæ & arteriosæ carnosæque, sed neruеæ & membraneæ magis quam anteriores: ideoque caloris natiui inopia facilius inalgescunt, & perfrigerantur: musculi enim foris spinam cingentes in aponeuroses magna sui parte desinunt: sic in artubus anterior poplitis pars & posterior externaque regio manus & pedum promptius quam inferiores earundem partium frigore lacessuntur.

Est igitur rigor horrorque mulieribus prægnantibus sæpe molestus, sicuti puellis nubilibus & viduis suppresso menstruo laborantibus: tum ob acidam & vitream pituitam, ex peruersa viuendi consuetudine ante vel post conceptum in præcordiis collectam; aut per venas cum sanguine sparsam: vel dum propria sua substantia, quando scilicet à facultate expultrice commouetur: vel potius dum vaporibus suis tum cùm incaluit & agitatur, partes sensientes lacessit. Molestus etiam est ob menstrui retenti vapores, dum ad venas vteri à maioribus: aut contra à venis vteri ad cauam & maiores venas visceraque omnia vicissim fluit refluitque.

Symptomata hæc dum vigent mitiganda sunt, abortus metu: partim reuulsione vaporum deorsum per blandam fricationem: nam durior menses moueret & abortum: partim discussione eorundem per assumenda, vt electaria acriora mithridatium vetus & theriacam ad ℨ j vel ℨ ij cum cochleari vno vel duobus aquæ saluiæ hyssopi meliss. vel vini generosi vt maluatici, hippocratici; idem præstabit aquarum imperialis cælestis theriacalis haustus ad ℥ ß ab illis enim tenuioris & calidioris

ſubſtantiæ aereæ igneæque medicamentis aucti ſpiritus exhilarãtur,caloriſque naturalis impetu vaporum craſſities & copia celerius vincitur, attenuatur & diſſipatur,totuſque habitus facile incaleſcit:partim etiam mitigabuntur hæc ſymptomata calefactione externa totius ſpinæ per topica calidiora:vt perfotum ex linteis aqua vitæ calida imbutis,aut ex lateribus vino reſtinctis & panniculo obuolutis: item per litum & embrochen ex oleo rutaceo, laurino,coſtino, muſcatellino cum guttis aliquot aquæ vitæ:deniq; per vnctionem eiuſdem regionis ex vnguento Aregon, martiato, & Arippæ, aut ex theriaca veteri cum pauca aqua vitæ aut ſucco rutę vt altius in partes nerueas membraneaſque denſiſſimas medicamentorum iſtorum facultas & facilius penetret & peruadat. Iam verò præcauentur ſymptomata hæc,cùm ab acida pituita ortum ducunt, tum victu calido ſiccoq; euchymo & eupepto: tum blanda crebraq; purgatione pituitæ per purgationis interualla,vt triũm aut quatuor dierum,diligenter coquendæ: tum deniq; emplaſtro corroborante per topica vnguenta & linimenta: & per electaria vináq; medicata, ſicuti expoſitũ eſt cap.de βουλίμῳ. Quod ſi à retenti ſanguinis menſtrui motu per venas vterumq;eadem ſymptomata oriantur,illa quidem prohibeãtur diæta idonea quæ tenuitate ſua & parcimonia ſanguinis copiam demoliatur:caliditatem frigiditatẽ & craſſitiẽ expugnet. Vacuatio autẽ neque per purgationem neque per phlebotomiam conducit:niſi fortaſſe à cacochymia aut plethora abortus periculum impendeat. Quod ſi puellas nubiles & viduas eadem ſymptomata à menſium ſuppreſſione inuaſerint,mox illi quidem neceſſariis vacua-

vacuationibus & alterationibus citandi ſunt, tum purgationibus tum phlebotomiis, non omiſſis poſt vacuationes balneis, vnguentis, litibus, ſuffitibus & peſlariis aperientibus & laxantibus. Sin eadem ſymptomata pituita vitrea protulerit: purgationes crebræ & validiores coctioneſque intermixtæ ad eorum curationem inſtituantur.

De cachexia, tumore pedum, & hydrope leucophlegmatia.

EX eadem vteri cum hepate ſympathia oritur cachexia pituitoſa (Pallidos vocant colores) & aliquando icterica, necnon melancholica. Hæc icterus niger, ille flauus dicitur. Eſt autem cachexia corporis habitus tum colore: tum ſubſtantia propria vitiatus, & τῇ εὐεξίᾳ opponitur, ἕξις enim habitum, κακὸς malum ſignificat. Alioqui vox habitus, interdum apud medicos ſignificat corporis ſolidas partes & contentas viſceraque omnia; alias externas & continentes, quæcumque primæ intuentibus obiiciuntur, vt ſunt muſculi carne ſimplici, fibriſque conſtantes, & oſſa foris cingentes. Priori ſignificatione febris dicta eſt hectica, quaſi ſolidis partibus, & viſceribus affixa, ex quorum varietate eius differentiæ diſtinguuntur. Poſteriori ſignificatione ex habitu, id eſt, muſculorum genere eiuſque differentiis, vt raritate, denſitate, gracilitate, obeſitate, & colore, viſcerum hepatis præſertim temperies obſeruatur.

Vtraque ſignificatione febrium intermittentium materia putreſcere dicitur in habitu non ſolum externo, id eſt in muſculis, ſed interno etiam, & in viſceribus. Ideoque materia hæc putrida partim

ſudoribus,partim vomitione,deiectione & mictione eiicitur: ipſáſq; febriũ acceſſiones criticè definit. Eſt ergo cachexia habitus vitiati ſymptoma vel ab externis cauſis,prauoque victu:vel ab intemperato hepate per ſe aut per ſympathiã cacochymũ ſanguinẽ pituitoſũm bilioſum aut melancholicũ fundẽte, & reliquis partib. nutritioni cõferentibus cũ fœdis totius corporis:ſed prę́ſertim faciei coloribus,cuiq; ſanguinis ſpeciei congruentibus, vt pallido, citrino,nigricante, adiunctâ corporis grauitate,mollitie,laxitate muſculorum, inertia animi,ignauiâ, & ſtupore ob caloris& ſpirituum intemperiem.Pituitoſa autem ſæpius puellas nubiles,viduaſque,&mulieres prægnantes ob menſium ſupreſſionem inuadere ſolet,dum eorum multitudine ab vtero ad venam cauam, heparque refluentium , hepatis calor opprimitur. Aliquando tamen ex ſympathia ventriculi frigidioris , & obſtructi lienis prouenit.

Curanda ergo eſt prę́gnantium cachexia pituitoſa primùm quidem dię́ta calida & ſicca attenuante, tergẽte& aperiente,ſed omnino modicè, ne mẽſes abortumve promoueat: deinde vacuatione per ſectionem venarum cubiti dextri, quæ copiam exoneret,& hepatis oppreſſi calorem refocillet: & per purgationem mitem quidem,ſed crebram,ſæpiuſq; iterandam:interim per interualla duorum, aut triũ dierum,cacochymiæ cotumacis & pituitoſæ ſedula præparatio intercedat. Purgationis & præparationis materia iam ſæpe expoſita eſt.Mox deniq; à vacuationibus idoneis viſcera roborentur calidis ſicciſque remediis tum ſumendis , vt vino abſinthino ad ℥ij.quotidiè mane: vel ſyrupo abſinthino,& de mentha

mentha ad ℥j. per se, electario aromat. rosat. & diarrhod.abbat. ad ʒiij. theriaca & mithridatio ad ʒj cum pauco vino, pulueris vocati digestiui cochleari vno post singulos pastus: tum denique admouendis foris regioni ventriculi, & hepatis, vt oleo nardino, absinthino, muscatellino, cerato Galeni pro stomacho. Eadem fit methodus curatiua reliquarũ cachexiæ specierum & ex cõsensu vt putà lienis, sicuti & pituitosæ, quæ puellas non nubiles molestare solet ex praua diæta, & cruditatibus multiplicatis. Cachexiam pituitosam subsequitur œdematosus pedum & tibiarum tumor ex sero sanguinis pituitosi in decliues partes istas prolapso à vena caua per crurales duos insignes ramos iuxta initium ossis sacri à caua deductos. Tumoris huius curatio post causæ antecedentis prædictam vacuationem & hepatis corroborationem constat valida exsiccatione & resolutione per fotus, vnguenta, emplastra. Fotus materia est lixiuium ex cinere plantarum siccarum vt sarmẽtorum vitis, ramorum ilicis, brassicæ, ficus, tithymali, in quo sulphur, alumen & sal liquescat. Item decoctum plantarum acrium vt origani, calamenthi, & similiũ. Applicetur autẽ potissimum per spongiam, qua soluta mox embrochatio fiat cum oleis acerrimis, vt de lateribus, de castorea, de terebinthina, de ruta, & de euphorbio. Vel etiam ex his oleis vnguentum paretur. ℞. salis marini vel salis petræ ℥ ß. aluminis sulphur. an. ʒ ij. soluantur aqua vitæ ad sordium crassitiem: deinde adde olei rutacei ℥ iiij. agitentur supra ignem vsque ad vnguenti substantiam. Paretur etiam emplastrum huiusmodi.

℞. olei veteris ℥ vj. ceræ albæ ℥ iiij liquefactis adde terebinth. ℥ iij tandemque permixtis & refrigeratis omnibus adde salis petre cineris ficuum & stercoris columbini ana ℥ j fiant magdaleones. Tale denique fiat cataplasma. ℞ stercoris columb. & sulphur. ana ℥ j farinæ fabarum & lupinorum an. ℥ j ß cum succo caulium rubeorum, & aceto fiat cataplasma. Hydrops denique leucophlegmatias, quem pedum tumor solet antecedere, curandus est vt cachexia pituitosa, cuius est symptoma.

De palpitatione.

Palpitatio est inuita & contra naturam partis alicuius distensio, vicissimque facta contractio: materia distendens vapor est multus, & crassus, quique ob crassitiem suam, locique continentis angustiam, & densitatem perspirare non potest, & exhalare. Itaque tantisper partem dilatat, attollitque, & contrahit, donec attenuatus vapor, & expulsus transpiret. Causa effectrix vel generatrix eiusmodi vaporis intemperies est frigida partis alicuius alimentum suum non coquentis: siue ea ipsa palpitet: siue in aliam palpitationi idoneam, vaporem transmittat.

Antecedentes causæ sunt partim quidem insitæ, vt natura frigida, ætas senilis, sexus plerumque muliebris; partim adscititiæ, vt cælum frigidius, tempus hybernum, otium, satietas, ciborumque crudorum & flatuosorum ingurgitatio, somnolentia. Colligitur denique vapor eiusmodi in partibus quę dilatari, rursusque in seipsas sidere possunt: quales sunt in primis cauæ, vt cor, arteriæ, ventriculus, vesica, vterus, intestina, & quæ sine ca-

pitate

uitate naturaliter molles ſunt, vt muſculi. Colligitur etiam inter duo corpora ſolida, quæ à ſe inuicem diſparat (neque enim illa diſtenduntur) vt ſibi cauitatem efficiat, in qua tumultuetur. Sic inter cutem & muſculos ſanguis qui ante coctus fuerat, refrigeratione poſtmodum crudior & flatuoſus palpitationem inter eaſdem partes mouet.

Eſt igitur palpitatio ſolius morbi opus, nihil ad eius generationem naturali, aut animali conferente facultate. Differt autem à tremore variis quidem modis. Illa enim diſtenſio quædam eſt, contractioque partium veluti repletarum, & viciſſim inanitarum, quæ cùm proprio loco non cedant, vicini tamen aliquid relinquunt, occupantque. Neque enim os, cartilago, neruus, aut vinculum palpitat (cũ dilatari nequeant.) Tremor verò motus eſt voluntarius deprauatus partium quæ feruntur ſurſum, viciſſimque referuntur deorſum, mutato priori loco, alienóque occupato, ideóque totum membrum tremulum mouetur: nulla eius parte immota, quietaque permanente: Quin etiam in tremore nulla pars affecta eſt aut ægrotat: ſed animalis tantum facultas debilis eſt: cuius inſtrumenta nerui, & muſculi noxæ ſunt expertia etiam in mortuis: Vocatur tamen à practicis noſtris tremor: quæ vera eſt palpitatio à ſimili motu vtriuſque, & concuſſione partis palpitantis & trementis vltrò citróque facta: aliasformido in corde dicitur, quod palpitatione laborantes tanquam hoſte conſpecto terreantur mox ſuperaturo, vixque ſuperando. Ob eandem concuſſionis ſimilitudinem ſymptoma hoc ad naturalem partis facultatem ſeſe variè quatientem depellendæ moleſtiæ cauſâ, quidam referunt: ideoque di-

cũt non distendi partem quia impleatur,neq;cōtra-hi,quod inaniatur: sed quia vapore aliunde irruente,vel in se genito stimulatur, quem quod præ imbecillitate dissoluere aut arcere nequeat,modo dilatari modo contrahi in sese putant.

De palpitatione cordis.

COrdis autem affectus alij sunt idiopathici, alij sympathici. Idiopathici quidē vt intemperies tum simplices tū humorales, vt obstructiones cordis sinuum,&arteriȩ maioris.iuxta suū initiū,necnō tumores præter naturam,saltem incipientes: necāt enim in suo incremēto ægros: vt erysipelas, phlegmone, tuberculum, solutio vnitatis: item vlcera & vulnera, saltem non penetrantia. Sympathici sunt lipothymia, syncope, palpitatio, quæ tamen tria symptomata aliquando etiam idiopathicos propriosque cordis affectus sequuntur. Quando autem per sympathiam excitantur,id fit nonnumquā consensu pericardij sero citrino repleti, motumque cordis præ adstrictione impedientis:nonnunquam totius corporis consensu,dum sanguine multo, & flatuoso abundat,vt melācholico, pituitoso,atrabilario cordis ventriculos implente: qualis sympathia adolescenti,&alteri cuidam ineunte vere quotannis molesta fuit,tādemque funesta apud Galenū cap. .lib.5. de locis. alias fit vitio præcordiorum & visceris alicuius: vt ventriculi, hepatis, lienis, vteri,è quorum vitiosis humoribus incandescentibus quacūq; occasione impensius calefaciente,vt exercitatione vehementi, iracundia, inedia, vino meraco, eduliis, & condimentis acribus, copiosus & flatuosus vapor sublatus per arterias, venas-

venásque in cordis sinus subit, quos vt pulsationi suæ noxios cor excutiat, tâdiu sese cōcutit, donec liberum assequatur motum suum, illis extrusis, vel omnino deficiat: vnde sæpe syncope aut mors repentina palpitationem consequitur: præsertim si flatum hunc semper præsentem, & in se genitum, inclusúmque præ valida intemperie frigida habeat. Hinc spleniticis, ictericis, hystericis, melancholicis, hypochondriacis, & quibuscumque cachexia laborantibus viris, fœminísque grauis esse solet palpitatio.

Palpitatio ergo cordis prægnantium fœminarum recens, nec ante conceptum molesta, non ex idiopathia, propriáque cordis intēperie, sed ex sympathia vteri sæpius oritur, suppressique menstrui noxâ, dum ab vtero refluente illo totum corpus opprimitur, venæque maiores, & sinus cordis penè implentur, vel quædam viscera in præcordiis ab eodem priuatim obsidentur, hepar præsertim, & lien, pancreas, & epiploum, ex quo æstuantes (vt ante dictum est) vapores per arterias in cordis ventriculos transmissi, nec præ crassitie, & copia sua, aut cordis substantiæ densitate, celeriter discussi palpitationem eius intus suscitant fouentque.

Curatur duobus instrumentis, diæta, & pharmacia: Illa fit calida, siccáque, tenuis & attenuans magis vel minus pro diuersa sanguinis euaporantis specie, sæpius pituitosi, & melancholici in prægnantibus, rarius atrabilaris & qualis iam sæpe descripta est in stomachi symptomatis: Hęc verò fit vacuans, alteránsque: illa quidem duplex, vna per phlebotomiam, altera per purgationem: illa enim sanguinem redundantem in toto corpore, vel

in viſcere aliquo, vaporémque eius cor laceſſentem exhaurit, ex præciſis venis cubiti dextri vel ſiniſtri: pro varia ſede affecti ab vtero viſceris: Huic phlebotomię præmittatur clyſter molliens, tergens, reſoluens paucúſque, & mediocris deambulatio, quæ torpidum ſanguinem ad fluxum exſuſcitet. Purgatio quoque clemens & innocens, omníſque venenatæ qualitatis & acrimoniæ, quæ fœtui infenſa eſſet, expers, crebráque, & bis, aut ter reuocata, & alternatim in hebdomade phlebotomiæ quamprimùm ſubſtituatur, quæ cacochymię flatuoſæ ſpeciem impunè detrahat, eaque per interualla duarum, aut trium purgationum ſenſim coquatur, & expulſioni apparetur. Materia tum coctionis, tum præparationis accuratè ſatis expoſita eſt capitibus de ſymptomatis ſtomachi & ventriculi. Vbi autem cauſa antecedens, & materialis his vacuationis differentiis phlebotomiæ, & purgationis ſubmota fuerit, tum demum cauſa coniuncta, id eſt, vaporum reliquię, viſcerúmque intemperies frigida medicamentis calidis ſiccíſque roborantibus & digerentibus deinceps expugnanda erit: intus quidem theriacæ & mithridatij veteris quotidiana & matutina doſi ad ʒ j per ſe, vel cum ʒ ij conſeruæ roſar. vel tabellę vnius electarij diagalangę & aromat. roſat. ad pondus ʒ ij. vel iij. ſuperbibendo cochlear vnum, vel duo vini: oppugnanda etiam matutina potione vini abſinthitis vel decocti eiuſdem ad ℥ ij. Item ſi pituitoſa materia ſit, viſceráque impenſius perfrigerata, ſumpto cochleari vno, vel duobus aquæ vitæ, præſertim cum aniſo deſtillatæ, imperialis, cæleſtis, theriacalis, cinnamomi aut eius aquæ, quæ ex duobus, vel tribus cordibus, ſicuti bouis,

bouis, cerui, porci, aromatibus, cinnamomo, caryophyll. zinzibere transfixis, tostisque, & compressis elicitur: vel eius, quæ ex iisdem cordibus per taleolas minimas sectis, additísque pulueris vtriusque galangæ ℥ vj. & seminis basiliconis, macis, & cinnamomi ana ℥ ij. folior. borrag. bugloss. meliss. ana m. ij. post temperationem in vino generoso destilletur. Foris autem regioni cordis palpitantis applicetur theriaca, aut mithridatium, bis aut ter in die, cum pauca aqua vitæ, vel nodulus camphora repletus: vel sacculus puluere aromatico farctus, & ante applicationem aqua vitæ respersus. vt,

℞. radic. vtriusque galangæ ℥ ij. cubebarum, seminis nigell. roman. rutæ, basiliconis ana ʒ ij. cinnamomi, caryophyll. macis, santal. citrini, corticis citri ana ʒ j. fiat puluis, excipiatur pauco cotone moscato, & serico rubro, fiat sacculus interpunctus, qui gestetur super regionem cordis suspensus de collo cum filo charmesino. Quòd si quando palpitationis, & dyspnœæ magnitudo ad suffocationem vsque creuerit, ex commotis grauiter vaporum tumultibus: cordísque motum intercipientib⁹: vel ex agitata pericardij aqua, vt post choreas, & vehemētē exercitationē puellis cachecticis cōtingere solet: tū primū solutis vestib. & erectis corporib. libera respiratio in loco amplo frigidóq. remota omni hominum turba, cōciliāda est, moxq; vapores deorsū reuellendi per fricationes, & deligationes tibiarū, & clysteres acriores. Vapores deniq; ipsi cō festim digerēdi, potione alicuius aquę stillaritię antea prę scriptę, vel opiatę. Puellis autē nubilib⁹ viduísque palpitatione laborātib⁹, ob mēsiū suppressionē,

tici, vt opij occursum, aut calefactione per æstum cæli, stuphæ, balnei, vnguenti: tum oppressione & suffocatione per timorem ingentem, tristitiã, mœrorem, anxietatem & prohibitam respirationem. Eadem vis est causarum internarum in mutanda caloris eiusdem fluentis temperie, & substantia. sic enim corrumpitur, & incenditur ab acutis febribus earumq; symptomatis, fastidio, vigiliis, diarrhœis: alteratur à frigidis, siccis, eorúmque vaporibus vel simplicibus, vel etiam venenatis. Atque his quidem modis spiritus, calórque vitalis læditur. Quæ læsio si communicetur partibus solidis, fiet syncope, aliàs lipothymia tantum, vel etiam exolutio. Huius signa sunt oscitatio, pandiculatio, tenebræ oculis obiectæ. Lipothymiæ & syncopes: cuius illa principium est, sicuti lipothymiæ, exolutio: signa communia sunt frigiditas, sensus, motúsque, & pulsus priuatio. Syncopæ proprius est sudor frigidus, & viscosus è fronte temporibus, collo, & thorace effusus. Sequuntur autem hæc caloris influentis & insiti vitia, tum idiopathicos cordis affectus: vt intemperiem fortem, phlegmonem, erysipelas, tuberculum, (túncque cardiaca dicũtur:) & vulnus: tũ sympathicos, vt oris vẽtriculi eosdẽ affectus: (vnde stomachica vocãtur) & præterea dolorẽ eiusdẽ à morsu, vel bilis, vel pituitę salsæ, acidæue, vel ab aggrauatione, & oppressione: vt à crassis, lentis, humidis, & frigidis humoribus, cruditatibus, vel à venenata aspiratione; Sequuntur denique totius corporis affectus, cuius plethora flatuosa obruitur, vel etiam alicuius visceris, à quo emisso vapore quodam venenoso, spiritúque infecto vis omnis vitalis conuellitur.

Curaturus ergo hæc tria symptomata medicus, caūsas externas, internásque diligenti studio inquirat, distinguátque, & singulis sua remedia per otiū opponat. Grauidis autē mulieribus familiaris, frequénsque est exolutio, aut lipothymia à cacochymia ventriculi biliosa, vel pituitosa, ob victum improbabilē ante & post conceptū, vel ex mēstruo ab vtero in ventriculum redundante, vnde mordetur vel opprimitur, & vellicatur (corde ob viciniā condolescente) forásque spiritum, & calorem sinente effluere. Rarissima enim est venenatę aurę exspiratio ab vtero prægnantium, vasis eius vndiquaque obsessis, eorumque orificiis secūdinarum tam arcto nexu obstrictis, vt nihil omnino aut vaporis, aut humoris admittere, aut transmittere sursum possit.

Primùm igitur symptomati isti tam præcipiti, horrendóque, & vrgenti, ne veram syncopen, mortem, aut abortum saltem inducat, illicò succurrendum est: tum vitalium spirituum instauratione per sumenda, vt cochlearia duo aut tria aquæ buglossi vel borraginis, & melissæ, vel potius per cochlear dimidium aquæ imperialis, vel cælestis, vel mithridatij, aut theriacę ℥ j. cum aqua melissę, vel cōfectio nisalkerm. & de hyacintho ℥ ij. cum vino generoso, vel hippocratico pauco. Est enim calidorum, acriúmque, & valdè aperientium remediorum in prægnantibus magna dosis metuenda, fluxus mensium nomine. Admouendorum quoque magna vis est in spiritibus augendis, vt odoramentorum vaporosorum ad nares: cuiusmodi sunt panis à recenti coctione, aut assatione calēs, vinóque calido, & generoso mersus: aqua rosacea, vinumq; generosum faciei

faciei asperſum; aceti odor acrioris vires excuſcitat naribus vellicatis: & diplomata aqua vitæ imbuta: cordiſq; regioni admota. Moſci & ambræ aqua meliſſę ſolutorum, naribuſque admotorum, vel etiam illitorum maxima vis eſt ad ſpirituum inſtaurationem. Poſtremo præcipitanda veſtiuni ſolutio, & corporis ad ſeſſionem erectio, facilioris reſpirationis cauſa. Symptomate ſic mitigato affectus eiuſdem author curandus eſt, intemperies nempe ventriculi, ſi præcipua eius noxa ſit, & cacochymia ex eo omnis tum biliosa tum pituitoſa imprimis exturbanda eſt, ſenſimque & per interualla coquenda per alterutram purgationis ſpeciem, vomitoriæ ſcilicet vel deiectoriæ, pro ægræ naturæ & humoris propenſione. Poſtremo corroborandus eſt ventriculus remediis internis externiſq; frigidam eius intemperiem oppugnantibus. Horum omnium materia formaq; pluribus antea capitibus expreſſa eſt. Quod ſi ſine vlla ventriculi noxa, lienis aut cuiuslibet viſceris ſympathia intercedat, à quo putridi humoris tetra exſpiratio ſpiritum vitalemque calorem exoluat: eiuſdem viſceris temperatio confirmatioque, ſymptomate priùs lenito, animóque reuocato, poſt cacochymiæ putridæ expurgationem ſuſcipienda eſt.

De febribus prægnantium.

FEbres omnes vel intermittentes, vel continuæ ſunt, & acutæ. Illę quidē vel ſimplices ſunt, ab vnius humoris vno in loco extra venas putredine: ſæpe tamē euadūt duplices, tripliceſq;: vel ob copiā excremētitij humoris: vel ob diuerſam ſedē: aliæ ſunt cōpoſitæ è duorū humorū concurrente putredine,

vel in diuersa sede,& implicitæ dicuntur, cuiusmodi sunt ἡμιτριταῖοι, vel in eadem & confusæ vocantur: nomen autem à consuetis periodis trahunt, vt quotidianæ,tertianæ,quartanæ,sed nothæ dicuntur. Cæterum ex intermittentibus quædam erraticę occurrũt,quæ incertis diebus,horisq; accedunt: vel quòd è diuersis humorib. quorũ sit suus & proprius cuiusque motus, eadẽ sede putrescentibus accẽdantur: sic ex sanguine putrescente tertiana quartanaq; inducuntur, dum vstione in flauam bilem, atramq; conuertitur; vel quòd ex iisdem accendãtur in eadẽ parte,ad quam vicissim, & per varia interualla, vel à toto corpore, vel à partibus quibusdam,redundantes amandantur.

Vtraque intermittentium specie,constantium, & erraticarum, mulier prægnans conflictari solet, vel quod retentus menstruus sanguis duplici cacochymia melancholica, & pituitosa sordescat; vel certe quod cum simplex sit,variis tamen interuallis in alias aliásque partes ab vtero ablegetur. Acutæ denique,& cõtinuæ,vel primariæ sunt, in maioribus venis concepta putredine: vel symptomaticę ex viscerum inflãmatione, vt phrenitide, angina, peripneumonia. Porro intermittentes omnes tàm cõstantes, quàm erraticæ, fœtus fœtæq; alimẽtum diripiunt, abortumq; frequenter symptomatũ magnitudine, vt rigoris, horroris, doloris lumborũ & capitis atq; iactationis artuũ prouocãt. Itaq; vtriq; intermittentiũ speciei accuratè in prægnãtib⁹ est medẽdũ, primùm quidẽ dięta febri,&cacochymiæ ad putredinẽ propẽsę cõtrariã, vt pituitosę& melãcholicę, tẽperata q. dem, ne cruditate febrẽ,& frigiditate excellẽti caco chymiã augeat, attenuãte tamen, tergẽte,& aperiẽte sed

ſed omninò modicè: ne menſib' cõmotis abortus fiat:deinde pharmacia purgãte, alterãte,& coquẽte. Illa quidẽ mitis & crebra ſit:cuius interuallis vt triũ aut quatuor dierũ humoris purgãdi coctio, vel pręparatio interponatur. Vtriuſq; autẽ tum vacuationis,tum coctionis materia, & forma ſępi' antea expreſſæ ſunt. Quod ſi cacochymi ſanguinis,plethora grauiſq; laſſitudo vrgeat,&venarum tumor emicet, vel vehemẽtiora ſymptomata acceſſionũ torqueãt, vt rigor,cephalalgia, &c. tum moderata &partita potiùs quàm vnica,venarũ cubiti ſectione ante purgationem erigendę,leuandæque vires ſunt,præmiſſo clyſtere molliente leuiterque tergente. vt,

℞ foliorum betæ,agrimon. & abſinth. ana m. j. hordei integri,furfur.macri,& roſar. ana p.j.ſemin. fœnugr.℥ ß ſemin.aniſi ʒ ij coquantur & in colaturę ℔ j diſſol. mell. roſat.colat. ℥ ij catholici ℥ j olei roſat.℥ iij fiat clyſter. Poſtremo ventriculus topicis antea deſcriptis roboretur,ſi quidem in eo eſt focus putredinis:aliâs affecto viſceri,vt hepati,lieni accõmodatis remediis cõſuletur. In viduis autẽ puelliſq; ex eadem mẽſium ſuppreſſorũ putredine febricitãtibus remedia omnia efficaciora,tùm vacuãtia tùm alterãtia ſunt vſurpanda; menſéſque validiùs excitãdi ſunt non ſolùm internis valdè aperientibus vt apozematis,iulepis,pulueri b'&antidotis:ſed etiã externis quoq; reuulſionib' deorſũ factis,vt lotionib' crurum,femorũque, inſeſſibus, ſemicupiis, balneis, fotibus,embrochationib' vnctionibus,peſſariis,cucurbitulis ad inguina affigendis,deligationibus arctioribus femorum,tibiarumque:de quibus lege caput de ſuppreſſione menſium.

Febres acutas omnes ſiue primarias,ſiue ſympto-

maticas, lethales Hippocratis edicto haberi oportet: ob matris prægnantis, fœtusque communem debilitatem necessariorum remediorum impatientem: Illius quidem ob paucũ frugi alimentum: quod à fœtu purius & defæcatius ex menstruo attrahatur: huius ob molliciem. Quæ autem sunt sine febribus acutæ ægritudines: vt apoplexia, epilepsia, cõuulsio, eò magis lethales habẽdæ sunt; quò facultates duas vitalẽ & animalẽ, grauius quàm febres labefactent.

Curanda tamen est mulier grauida, si acutè ęgrotet: neque omnino ob salutis desperationem deserenda est, quoniam Hippocratis prognosticum ex aphoris. 31 lib. 5. non in necessariis, sed frequentibus tantùm casibus numerandum est. Curatio autem ita temperanda est, vt matri magis, quàm fœtui subseruiat, cùm illius incolumitate huius vita, non contra, contineatur. Ergo febri acutæ diæta frigida, humidáque, euchyma, & εὔπεπτος, cuiusmodi sæpe antea descripta est, omninoque mediocris opponatur, ne aut alimẽti penuria fœtum solum, aut copia matrem fœtumque aucta febre perimat. Quod ad pharmaciam attinet Hipp. aphoris. 24. lib. 5. secundo tertianario, vt 4. 5. 6. imprægnationis mẽse purgationem permittit turgentis pręsertim cacochymię. Eandem primo & tertio tertianario dissuasit. Huius præcepti rationẽ Galenus in commẽto apposuit, tum matris robur & alacritatem in secundo tertianario à coctionis, & appetentiæ symptomatis liberatæ, tum firmiorem secundinarum cum cotyledonibus nexũ; tum densiorẽ solidioreq; fœtus habitũ: quibus cõtraria omnia in primo tertianario adsũt, mater nimis valetudinaria, infirmiora vincula, habitus fœtus mollior, & qui à cathartica medicamentorum

torũ facultate, eorũq; perturbatione magis infestetur: In tertio autẽ tertianario, quòd abort⁹ periculũ à purgatione plelius multo sit, ob fœt⁹ grandioris, suaq; sponte foras properãtis agitationẽ, ventrisq; cõpressionem, & vinculorũ solubilem ariditatẽ, vel poti⁹ ob facultatẽ vteri expultricẽ à medicamento excitatã, feriãte interim retẽtrice. Poterit ergo pręgnãs mulier ex febre acuta laborãs purgari secundo grauiditatis suę tertianario: (maxime si neq; abortui assueta, neq; valetudinaria sit: fœtũq; suum sublimem ferat) turgẽte pręsertim cacochymia, à cui⁹ decubitu phlegmones alicuius visceris materni, fœtusq; periculum metuendum est: si tamen humor quietus, coctusque in venis cõsederit.

In acutorum statu & declinatione, vt & intermittentium, lentorumque, hunc quoque humorem non turgentem, sed coctũ purgare licet: sed mitius in primo tertianario, quàm secundo, & mitissimè in tertio tertianario. Sic enim Hipp. in secundo tertianario purgationem præmisit comparatè, & efficaciorem quàm in primo aut tertio. In hoc enim abortus maximum imminet periculum, præsertim octauo mense, sicuti & quarto. Purgatio itaque mulieris prægnantis instituatur iniecto priùs clystere molli parumque tergente, ex cassia non simplici quidem, ne nimium lubricet: sed mixta, cùm rhabarbari puluere, vel potius eiusdem infusione constet, in qua syrupus de cichorio compositus soluatur.

Vehementiora, vt diagrydiata & colocynthisata medicamenta malignitatis nomine fœtui infensæ, & catharticæ perturbationis plena sunt. Quieto autem, & desidi humori coquendo iuleporum vsus,

aut apozematum tribuendus est ante purgationem; quo turgens alioqui materia nequaquam egere statuitur. Iuleporum materia constat melle rosato colato, simplici oxymelite, oxysaccharo simplici, syrupo acetoso simplici,&aquis cõuenientibus endiuiæ, cichorij, acetosæ, & agrimonij. De phlebotomia autem ita statuendum videtur. Hippocrates quidem à grauidarum ægrotantium curatione grauissima censura illam abdicauit, aphoris. 31. lib. 5. vel quod per eam copiosiorem suoque sæculo familiarem fœtui alimentum subduci putaret:vel quòd grauidarum curationi phlebotomiam adhibere nondum consueuisset,ideoque mulieri ex casu aborsuræ octauo mense non adhibuit.Nos tamen in singulis tertianariis, omniq; grauiditatis mense tutam & vtilem esse ad vacuationem in febribus acutis primariis, & ad reuulsionem in symptomaticis putamus:Cùm enim purgationem multo magis naturæ aduersam secundo tertianario permittat,cur ab eodem phlebotomiam excludat?cur,si primo tertianario toto in quibusdã prægnantibus sanguinis redundantia menstrua periodo exhauriatur à natura, phlebotomiæ vsum grassantibus tum febribus acutis repudiemus? cur denique à tertio tertianario phlebotomiam remoueamus cum sanguinis multum ex primis mensibus residuum sit? Retineatur igitur tam salutare præsidium, quantitate eius conuenienti diligenter æstimata, partim è magnitudine febris, partim ex matris robore, partim ex ætate fœtus: cuius incolumitas ex sanguine materno pendet, ideóque primo tertianario parum, secundo minus, tertio minimum detrahendum; idque partitè potius

tius, quàm vniuersim: vt interpositis interuallis vires reficiantur. Phlebotomiæ autem penuria victus frugalitate supplenda est: præstat enim debilem nasci fœtum, quàm abortiuum exire: quod si vrgente necessitate, phlebotomiæ tamen vsus tutus non sit: eiusdem vicaria sit scarificatio cum cucurbitulis ad axillas aut inguina: vel hirudinibus affigendis reuulsionis gratiâ.

De Affectibus capitis ex sympathia vteri, & primum de Cephalalgia.

EX omnibus partibus capitis mēbranas solas dolor grauissimus exercet, quia hæ solæ exquisiti sensus participes sunt, tā internæ duæ, crassa vna cranio subtēsa, tenuis altera cerebro vndiquaq; implicita: quàm externa vna cranio foris circūiecta, quæ peruraniū vocatur. Est autē dolor symptoma sentiētis facultatis: cuius proximæ duæ sunt causæ, intemperies, & solutio continuitatis. Harum rursus origo duplex est, alia à causis manifestis externisque vt frigore, æstu, ictu, odore, ebrietate, vini generosi, merique potione: alia à causis abditis internisque, tum idiopathicis vt à frigido, & pituitoso vel melancholico sanguine in venis eiusdem redundante: tum sympathicis, & ex consensu subditorum viscerum: vt ab humore vaporeve acri & rodente: vel frigido & grauante: vel flatuoso & distendente: ab vtroque enim non solum intemperies similis, sed continuitatis etiam solutio inducitur, dū à bile & biliosis vaporibus membranæ incalescunt, roduntur & vellicantur, aut à pituitosis & melancholicis crassioribus distrahuntur. Ex hac doloris causarum,

causarum, partiumque capitis dolentium varietate tres notantur eius differẽtiæ. Cephalea enim totius capitis est, & à propria eius intemperie diuturnus & inueteratus dolor, ideoque facile irritabilis, à quibuscumque causis internis externisque sopitum & quiescẽtem humorem agitantibus. Hemicrania dolor est partis tantũ debilioris & lateris vnius, è subiectorũ viscerum vaporibus, & sympathia facile excãdescens. Cephalalgia denique ab vtrisque causis externis & internis facile toti capiti inducitur, citoq; definit. Est quidem cephalea & hemicrania mulieribus sæpe molesta, tum ob capitis idiopathiam aut in toto, aut in parte vehementer intemperati: tum ob sympathiam viscerum impurorum exasperati. Est enim cerebrum pro suturarum cranij discrimine, & meningum interstitio, tripartitum, in occiput & cerebellum à cerebro seiunctum: synciput: & cerebrum in duo latera diductum, cum singulis ventriculis. Sedes autem doloris interior ex diffusione eius ad radices oculorum deregitur: ad quas venæ, vasaque è cerebri parte proxima proueniunt: Externus pericranio presso, motuque quolibet vt pectinis exasperatur. Cephalalgia autem iisdem prægnantibus, primo saltem tertianario, grauissima, fereque impatibilis, & quotidiana esse solet, ex sympathia vel crudi, vel cacochymi spurcique ventriculi, vt sæpe antea repetitum est: vel vteri: ab illo crassiorum vaporum transmissio fit secundum neruos insignes duplices, per palati foramen: ab hoc per venas & arterias iugulares internas externasque in anteriorem capitis partem, synciput, tempora & frontem, à quibus meninges calore & acrimonia

monia vellicantur; vel copia distenduntur & diuelluntur. Potest etiam eadem transmissio per obuias quasq; partes porosq; latentes fieri in syncipput, præsertim qua parte cranij ossa tenuissima sūt, valdeq; porosa, & plures suturæ transpirationi idoneæ; per quas meningum complures fibræ foras elapsæ pericranio, & panniculo carnoso illas annectunt: quæ q̄ sensu exquisitissimo polleant, totā illam partē anteriorem doloris causis obnoxiā magis, infestamq; reddunt. Accedit vasorum iugularium, arteriarū, venarumq; multiplex concursus: quorū vecturâ vapores eodē deponuntur. Cæterū occiput, & posterior capitis pars vtero condolescit, ex sola illius per spinalem medullam sympathia: cui validiorib. duobus vinculis obuinct' est; sine vllius humoris, vaporisve communicatione, sed sola generis societate: cum iisdem membranis cerebrum, spinaq; obtegantur.

Mitigatio Cephalalgiæ.

Symptomatis tam duriter cruciantis mitigatio præcedat, causarum eiusdem intemperiei & solutæ vnitatis curatio sequatur. Lenitur autem illud reuellendo, reprimendo, tandēq; resoluēdo. Reuulsio constet deligatione, & fricatione femorum crurūq; omnino modica, blandaq; ob fluxus mensiū & abortus metum, clysteribus mollibus & pilulis leuissimis, minimūq; humores fœtūque cōmouentib. sed crebriorib. Clysterū materia sit ex decocti emollientis ℔.j. in qua mellis violati, & looch de cassia, vel diacatholiconis an ℥j ß olei violati vel chamęmelinī ℥iij dissoluātur: pilulæ sīt cōmunes, vel de hiera, alephāg. & mastich. ad ʒ ß. singul. dosib. Reuulsio etiā fiat lotionib. pedū, & tibiarū, manuūq; ex decocto

foliorum origani, calamenthi,absinthij,artemisiæ, lauri & lauendulæ, mixtis paucis frigidis, ne sanguis à calore eximiè deorsum tractus descēdat. huic decocto vini albi quinta aut sexta pars permisceatur. Denique cucurbitulis ad scapulas, & ceruicem affixis & deligationibus, atque fricationibus brachiorum validissimis (ab iis enim abortus metuendus non est) sub initium leuiter ab ipso capite reprimetur vapor, nec non frontis, & temporum arcta deligatione per fasciolas, quæ constrictis vasis vapores irrupturos arceant; & arteriarum validam vibrationem prohibeant, qua membranarum dolor exacerbari vehementer consueuit, tensionem denique membranarum flatuosam impediant. Eædē quoque partes illinendæ oxycrato ex olei rosacei & chamæmelini ana ℥ ij albumine oui vnius, aceti rosacei ℥ j (multum enim aceti digerit repellendo, siccatq;) diu hæc agitētur & simul misceātur. Admonendū quoq;ceratū tale. ℞ mastich. & thuris ana ℥ ß boli armenæ & sanguin. dracon. ana ʒ ij albuminis oui vnius, olei rosacei ℥ ij aceti rosacei ℥ ß extēdatur super alutā, fiatq; frontale. Cōferent & odoramēta, vt aquæ rosaceæ cum modica caphura, & aceti rosacei cum spongia. Discutientur tandem vaporū reliquiæ parti hærētium, & concretorum, ipsaq; partis intemperies frigida simul delebitur litibus, frōtalibus, odoramentis, & fotibus. Hi quidem cōstent decocti foliorū saluiæ, maioran. beton. meliss. ana m. j. baccarum iuniperi & seminis coriandri ana ℥ j florum chamæmel. & stœchad. ana p. j huic colaturæ sexta vini albi pars admisceatur, & cum spleniis applicetur fronti, temporibus, & syncipiti rasis capillis; vel naribus ex spongia admoueatur.

Litus

Litus ex oleis chamæmelino irino & de stœchade. Frontalia cõcinnẽtur ex tela forti cannabina incluſo puluere cephalico, vel præſcriptæ in fotu materiæ. Hæc quidem cephalalgiæ ſympathicæ curatio eſt, cuius exẽplum ad biliosam, calidamque (ſi quãdo in mulieribus prægnantibus occurrat) transferendũ eſt, augendaque ab initio repellentium facultas frigida, ſiccaq; sed in declinatione minus calida topica vſurpentur, & magis humectantia, & calore temperata, qualia ſunt viſcera calẽtia maiorũ animalium, catelli, pipiones, pullique per mediam ſpinam secti. Tales ſunt fotus ex floribus chamæmeli, meliloti ſambuci in lacte elixatis: item litus ex oleo chamęmel. anethino, irino, cheirino & catellorũ. Mitigata hac arte cephalalgię acerbitate; curatio eiuſdem inchoãda eſt cauſarũ eiuſdẽ à victu primùm cacochymiæ contrario, vt calido ſiccoque & tenui, cum à pituitoſa ventriculi, aut melancholica vteri viſcerũq; exhalatione gignitur: vel frigido humidoq; vbi ex dolore rodẽte cacochymia biliosa ſuſpecta eſt: deinde purgatione miti, & ex interuallis crebris, quibus interim cacochymia coquetur, & præparabitur ad purgationem. Vtriuſque materia antea ſæpius, pleniuſque expoſita eſt. Poſtremo vẽtriculus intus foriſque remediis idoneis roborãdus eſt, vt electariis, fotibuſq, & vnguẽtis de quib. quoq; copioſè antea.

De peruigilio & ſomnolentia.

PEruigilium, & cõtumaces vigiliæ corporum vires omnes proſternere, mentemque perturbare ſolent. Proximæ earum cauſæ duæ ſunt, calida, & ſicca intemperies, ex quibus illa primas, hæc vltimas partes ſibi vendicat. Vtriuſque intemperiei

Ll

causæ procreatrices sunt, aliâs manifestæ: vt æstus cæli, inedia, sitis, labores improbi, studia, curæ graues, amores, zelotypia, dolores: aliâs internæ, & antecedentes: vt sunt calidi morbi, febres, humor biliosus, vel atrabilarius aterque, & mordax vapor cerebri substantiam potius, quàm meningum eius calfaciens, & exsiccans, ætas iuuenilis & senectus. Illa biliosa, hæc melancholica est: vtraque in vigilias prona est. Somnolentia contra frigidæ, humidæque intemperiei soboles est, ab vtraque enim facultates omnes animales, functionésque actiuæ, motiuæ, & principes obtunduntur, & consopiuntur: sic frigus hyemis serpentes stupefacit, sic frigidi cibi, vt lactuca multa, sic pituitosi, frigidíque capitis morbi, quibus apophlegmatismi valde conducunt, soporem & veternum inducunt: eandem esse vim intemperiei humidæ declarant tum balnea, quòd caput madefaciant, tum dilutior vini potio, cibíque omnes plurimum humectantes, vt hordeata, amygdalata, tum denique ætas puerilis. Vt ergo intemperies potissimùm calida, deinde sicca vigilias, sic frigida per se humidáque somnum accersunt arctiorem, & prolixiorem: sed vtraque iuncta inexcitabilem. De isto symptomate, Hippocratis in aphorismis effatum est. Somnum, & vigiliam, si modum excesserint, malum esse: ille enim humidam, hęc aridam intemperiem humorum maiorem sequitur. Peruigilium autem prægnantibus infensum aliquando est, ex sympathia vteri, suppresso per cóceptum menstruo, eóque tùm in venis vteri, tùm aliorum viscerum præsertim hepatis, & lienis æstuante, magnamque vaporum calidorum

vim

vim in cerebrum per poros occultos, vel conspicuos, & capaces venarum & arteriarum exspirante primo tertianario. Dolor enim aliarum partium, vt ventriculi cruditate, & cacochymia oppressi, dorsi, lumborum, ilium, totius ventris, & lassitudo tensiua, corporísque iactatio ob granditatem & grauitatem fœtus tertio tertianario, sæpe iisdem quietem interpellat.

Mitigatio peruigilij.

COmprimitur hoc symptoma primũ diæta refrigerante & humectante ex iusculis carnium humidiorum, vt hœdorum, vitulorum, veruecum, pullorum, pipionum elixatorum cum foliis portulacæ, lactucæ, papaueris albi, borraginis, buglossi acetosæ, endiuiæ, & ex lacte amygdalino cum euulsione seminũ frigidorũ maiorũ, minorumq́; vt papaueris albi, hyoscyami albi, lactucę, cucurbitæ, melonum, cucumeris agrestis, & ex hordeatis eodem lacte dissolutis, & ex lotionibus frigidis, humidisque pedum, & tibiarum manuúmque, ex decocto foliorum papaueris albi, hyoscyami albi, solani, cucurbitæ, cucumeris agrestis, vitium, salicis, florum trium communium, & nenupharis in aqua fontana, vel fluuiatili coctorum. Summa denique quiete corporis, animíque securitate, & curarum omnium fuga, sedatur. Pharmacia deinde in subsidium vocanda est: & reuulsiones leues primùm vsurpandæ: tum per blandas fricationes pedum, plantarum, & manuum, tum per clysteres lenientes & refrigerantes modicè, ex cõmunis decocti ℔ j. in qua olei nenupharis & violacei ℥ iij. cassiæ recẽter extractę ℥ j. mellis violacei ℥ ij. soluatur.

Deinde per repulſiones vt per frigida humidáque fronti, & temporibus apponenda: vt ſunt oxyrrhodina, ex olei nenupharis ℥ ij aceti roſacei ℥ ß vitello oui vnius: vt ſunt litus earundem partium, & fibrarum aurium, ex oleo mandragoræ, papaueris albi: vt ſunt odoramenta per ſpongiam in decocto refrigerante prædicto, vel in aqua roſacea cum pauca caphura maceratam, vt ſunt denique poma narcotica ex ʒ ij opij ſtyracis ʒ j & ß croci ʒ ß corticis radicis mandragoræ ℈ iiij terebinthina exceptis & redactis in pomum admouendum naribus. His enim remediis omnibus vigiliæ à caliditate & ſiccitate alioqui contumaces tandem vincentur: addito præſertim frontali huiuſmodi.

℞ mandragoræ ʒ j ß pſyllij, & coriandri præparati an ʒ ß papauer. albi ʒ ij. opij ʒ ß contuſa omnia malaxentur oleo nenupharis, fiátque vnguentum, aut addita cera ceratum. Neque verò ſomni tempore aduentante ſyrupi de papauere ℥ j per ſe, vel cum aqua potabili, aut electarij requies ʒ ij cum eadem doſi conſeruæ roſarum dilutæ vt ſupra repudiabuntur. Symptomate mitigato legitima curatio cauſarum antecedentium ſuſcipienda eſt; quæ viſcerum cacochymiam tum è ventriculo, tum ex aliis viſceribus redundante menſtruo obſeſſis blandè, & clementer, ſenſimque excludat, & concoquat, ſicuti ſæpius antea enarratum eſt, plethoram quoque nimis grauem primo tertianario parcè licet, tutóque mediocri ſanguinis miſſione per venas cubiti leuare. Poſtremo ventriculus ex poſitis antea remediis roborabitur: ſi quod eius vitium vigilias fouere notum ſit. Reliquarum denique partium dolores anodynis, litibus & vnctionibus

nibus totius ventris, spinæ & ilium, inguinumque lenire expedit.

Mitigatio Somnolentiæ.

SOmnum autem non naturalem compesces iisdem remediorum generibus reuellētium, & repellentium, digerentiúmque. Ac reuulsionum quædam leuiores sunt, vt fricationes, & deligationes tibiarum, lotiones earundem ex decocto superiori simili, sed paulo magis calente: clysteres modicè tergentes, calentésque, vt ex decocto foliorum, absinthij, origani, calaminthæ, maluæ, violariæ ana m.j. flor. chamæmel. meleot. & rosarū ana p.j. seminis anisi ℥ ij in colatur. ℔ j dissolue mellis rosati colat. ℥ ij olei chamæmelini & anethini ana qrt. ß electarij diacatholiconis ℥ j. Tales sunt purgatiunculæ mitiores, & frequentiores, cacochymiæ pituitosæ, sed interiectis interuallis coctæ & recoctæ, siquidē pituitosa cacochymia tantò contumacior est, quantò frigidior, & crudior crassiórque. Vtriusque tum purgationis, tum coctionis materia, formaque luculenter antea expressa est. Reuulsiones vehementiores brachiis, collo & scapulis decernentur: à quibus nullum abortus periculum impēdere potest. Ergo manus & brachia vsque ad cubitum lauabis decocto eodem iam descripto, sed calidiori: & brachia eadem durius fricabis ligabisque: cucurbitulas amplas & cum multa flamma collo, scapulis & summis brachiis impones. Hæc enim tum materiam vaporosam reuocant: tum ægrotantem excitant. Reuellentibus iisdem remediis repellentia intermiscebis, frontíque, & naribus obiicies, minus quidē frigida, sed digerentibus mixta, ne inde va-

porum concretio & intemperies frigida cerebri crescat: tale est oxycratum. ℞ olei rutacei & chamæmelini ℥ ij. albumen oui vnius, aceti rosacei ℥ ß. (plus enim aceti magis siccat, & consumit repellēdo) affundatur frōti, & temporibus vsque ad regionem suturæ coronalis. ℞ aceti acerrimi ℔. j. foliorū siccorū betonicæ, maioran. serpilli, saluię an. m. j. baccarū lauri, & iuniperi cōtusæ, florū chamæmeli & stœchadosan, p. j. seminis carui, & cumini an. ʒj. & ß. coquantur, colentur: hac colatura imbuta spōgia applicetur naribus calide, aut fronti etiā & temporibus. Repellentibus deriuantia cōiunges per cucurbitulas, vt dictum est, ceruicis initio, scapulis, & summis brachiis affigēdas. per errhina post proximum narium fotum, vt si ex olei irini, & rutacei an. ℥ j. castorei & seminis nigellæ an. ʒ j. & ß. aceti scyllitici ʒ ij. ceræ tantillo fiat vnguentum illinendum naribus interioribus, per masticatoria, vt radicem pyrethri in aceto per noctem infusam: per vnctionem palati ex theriaca, mithridatio, aut cathartico vt diaphœnicone. Post vacuationem causę antecedentis per reuulsiones & repulsiones: tum demum causæ coniunctæ vacuatio, digestio, resolutioque tandem inchoabitur, per fotum capitis, rasis prius capillis, ex decocto foliorum origani, calaminthę, sampsuci, serpilli, maioranæ, betæ, pulegij, baccarū iuniperi, florum rorismarini, stœchados, in quo tertia, vel quarta pars vini albi dissoluta fuerit: foueatur cū spongia totum synciput, cui metasyncritica subiungantur. ℞. olei irini, destœchade, rutacei, & muscatellini an ℥j. olei de castoreo de spica & laurino an. ℥ß Vtendum etiam suffitu acri, valideque exsiccante, ex aceto forti in laminam ferream igne candentem

tem

tem ſenſim infuſo iuxta nares: obtectis oculis, oreque clauſo: vt vapor eius copioſè, promptéque ſubeat. Præſtat tamē eidem aceto ſequentia vt cymas hyſſopi, ſatureiæ, ſampſuci, ſerpilli, & pulegij incoquere, baccas lauri, & iuniperi, flores ſtœchados, & roriſmarini. Sic enim intemperiem frigidam cerebri cum vaporibus concretis diſcuties. Poſtremò dropace compoſito cum ſemine lauendulæ, baccis lauri & iuniperi, radice cyperi & galangæ & pice: tādem denique ſynapiſmo vel phœnigmo tum diſcutientur reliquię vaporum humorumque, tum frigida ipſa humidaque intemperies expungetur. Diæta quoque calida, ſiccáque tenuis, locuſque calidus & lucidus præſcribatur.

De melancholica deliratione.

EX eadem vteri cum cerebro ſympathia, prægnantes mulieres primo præſertim tertianario aliquando infeſtat melāc holia: hic vero morbus eſt intemperies frigida nempe ſiccaque, ſubſtantiæ cerebri, à cauſa effectrice nuncupatus: ſanguine ſcilicet craſſo, atroque & duobus pathognomonicis ſignis, timore, & triſtitia comitatus. Duplex autem à ſede ſuæ cauſæ melancholia diſtinguitur, idiopathica vna eſt: ſympathica duplex: vna ex totius corporis, altera ex præcordiorum conſenſu. Porro idiopathicus cerebri & primitiuus affectus fit, ab atrabilario ſanguine in cerebro congeſto, à calidioribus cauſis excalefacto: tum manifeſtis: vt ſolicitudine, cura, ſtudio, mœrore, vigiliis, amore, æſtuatione: tum internis, obſcuriſque: vt phlogoſi, & phrenitide: atque tum nulla totius corporis, aut præcordiorum affectorum

signa conspicua sunt : estque deliratio perpetua atque indesinens. Sympathicam affectionem toti corpori communem, causæ externæ, internæque cum habitu ipso declarant : hic enim si naturaliter sit macer, hirsutus, venosus, nigricans, aliquando etiam subruber , & flauus , sed à causis manifestis vstus : vniuersalem melancholiam insinuat : Aliàs præter naturalem istam constitutionem sanguinem melancholicum cumulant hæmorrhois, aut mensis suppressus , aut cibi melancholici crassi, frigidique, & sicci : vel etiam calidi , vt sunt bubulæ, caprinæ, leporinæ, aprinæ carnes , limaces, pisces grandes, brassicæ, legumina, & maximè lentes, panis furfuraceus, vina crassa, nigraque, vetus caseus, & obsonia omnia salita , piperata , frixaque , præter victum fortasse euchymum , & eupeptum: exercitationes vehemẽtes , tempus anni autumnale, & hyemale, regioque: senilis & declinans laborãtis ętas. Sympathicã hypochondriacã portendunt, propria vẽtriculi facultatisq; eius coctricis, symptomata: vt sputum humidũ, multumque, sumpto præsertim cibo dyspepto, calidoque, vẽtris rugitus, & murmurilla, ructus acidus, ventriculi dolor, ad dorsum vsque, qui coctione prioris cibi, desinat: & à posteriore recrudescat: vomitio crudi cibi, pituitæ salsæ, amaræ , acidæque : quibus omnibus symptomatis auctis ipsa quoque melancholica affectio augeatur, sicuti à vomitione, deiectione alui, probáq; coctione , & ructibus leniatur. Signa communia omnium melancholiæ specierum duo sunt Hipp. 23. Aphoris. lib. 6. metus, & mœstitia, longo tempore perseuerantia , sine causa manifesta : (vt exponit Galenus.) quorum ratio nulla alia reddi possit, præter

præter corporis peculiarem constitutionē. Vtriusq; symptomatis causa ad propriam cerebri intemperiem, in idiopathica, crassique sanguinis abundantiam, in sympathica vniuersali referenda est: sed in sympathica hypochōdriaca, ad exhalationem fuliginosam à melancholico succo, & sanguine feruido sursum in cerebrum & cor sublatam. (Sic etiam è ventriculi euaporationibus, suffusiones, vertigines & dolores capitis alias mordaces, alias grauantes, alias tendentes, alias stupefacientes. Sic ab iisdem denique morbus comitialis aliquando contingit). Vt ergo externæ tenebræ omnibus fere hominibus (nisi forte audacibus vel doctis) terrorem incutiunt: sic melancholici humoris crassi, atrique color caliginosus mentis sedem obsidens, eam timore concutit: dum enim per animalem spiritum obscuriorem, anima sensilis rerum simulachra percipit, omnia horridè excipit: sicuti alacriter solet dum ex sanguinis copia splendente spiritu vtitur. Est autem niger color temperamenti frigidi siccique comes: temperamenti autem propria est actionum corporis mutatio: attamen lætitia mœrori aliquando intermiscetur (sicuti iocus, risus, saltus, tripudium) aliquando etiam maior quam per sanitatem consueta fuerat, quod sanguis ille flagrans heterogeneus sit; & portioni sanguinis temperati, clari, & rubei mixtus: qui vicissim vt melancholicus exardescat, vel debili interim ratione impetum affectuū, humorūque motum non satis tēperante, vel quod sanguis dū vritur, multo clariùs quā ex propria natura exsplēdescat, spiritumq; animalem magis illustret. Timoris deniq; comes indiuiduus est mœstitia:

qua non homines alios tantum, sed vitam quoque suam oderint; tametsi mortem pertimescāt; eandē-que sibi tandē cōsciscant. Duo quidē illa sunt hypochō driaci affectus, vt aliarum duarum specierum signa timor, & tristitia. Plurimæ tamen sunt melancholicarum delirationū species, quæ in ipsa humoris essentia frustrà omnes inuestigentur, quū potius eæ ad postremas ante delirandi principium cogitationes ægrotantium pertineant: multæ tamen et iā ad humoris ipsius qualitatem primam, secundamq; referri possunt; vt in eo qui se fictile vas putabat, ob humoris melancholici toto suo corpore diffusi siccitatem, & eius qui se tympanum corio tectūm fingebat, ob flatuum præcordia implicantium, & distendentium multitudinem.

Curatio melancholiæ hypochondriacæ.

MVlieres prægnantes melancholia fere hypochōdriaca primo tertianario, non continenter quidem: sed per accessiones lacessit. Causa proxima est vapor, ater & caliginosus cerebri substantiæ circunfusus. Antecedens causa est obstructio venarum in præcordiis ventriculo præsertim contiguis, vt in liene, pancreate, mesenterio sæpissimè, aliquando etiam in hepate. Obstructionis materia aliquando est ipsa melancholia naturalis, excrementitia, & fæci vinaceæ similis, ex liene in vicinas partes redundans: quoties ob ingluuiem, eius multitudine opprimitur: aliquando cum tumore cōspicuo, cum eam per destinatas vias in ventriculum suo tēpore non deposuit: alias sine tumore cum ipsam lien imbecillus ab hepate non attrahit; sed sanguini permixta relinquitur. Aliàs hæc materia est succus

quidam

quidam melancholicus, sanguisque crassior aut ob hepatis intemperiem frigidiorem, sicciorem-que, aut ob victum vitiosum & cacochymum. Ab vtraque enim melancholia exsuperante tum alimentaria tum excrementitia sanguis conspurcatus & incrassatus, in prædictis venis hæret, sensimque præ obstructione & perspirationis interceptione incalescens tetros interim caliginososque vapores in cerebrum exspirans: præsertim quum à causa manifesta internaue commouetur: miserabilia symptomata inducit vt sunt æstus ventris, cordis lipothymia, & palpitatio, cephalalgia, faciei rubor, ardorque, oculorum caligo, mentis perturbatio, summa vitæ desperatio: quæ omnia extincto dissipatoque vapore tantisper mitescunt: donec denuo ab eadem causa calefaciente excitentur, & recurrant. Aliàs crassior ille sanguis ex vteri sympathia, in præcordiis colligitur: quoties menstruum sanguinem crassiorem ob conceptum vterus cohibet refunditque in venam cauam, vnde in vicina viscera effunditur. Duplex itaq; instituatur tam molesti symptomatis curatio: vna mitigatiua: altera pręseruatiua: illa accessionẽ coercet, lenitq; vaporib. à cerebro tũ reuulsis tũ repulsis, corde interim cardiacis confirmato, quod per accessionẽ vehemẽter affligitur. Reuulsio cõstet leuissimis clysterib⁹ vel balanis, & deligationib⁹ crurũ quidem, & femorũ, sed brachiorum vehementissimis, cucurbitularũ ad ceruicẽ appositione. Repulsio absoluenda est oxyrrhodinis ad frontem, & tempora ad suturam vsque coronalem apponendis & subinde commutandis: odoramentis, vt aquæ rosaceæ, vel solius vel cum pauco aceto aut caphura mixtæ: crebraque oris

ablutione cum gelida sæpius mutanda. Interiorum quoque remediorum vsus opportunus est cum repellendi vaporis, tum roborandi cordis gratia, quibus idcirco, ob humoris κακοήθειαν cordi aduersam, cardiaca misceantur. Hæc omnia sub forma syruporum iuleporum opiatarum & conditorum præscribũtur, vt ℞. syrupi de pomis vel de granatis acidis vel de limonibus ℥ ij. capiat per se ex cochleari mulier in accessione melancholica. vel ℞. aquarum rosarum & florum boraginis vel acetosæ, succi mali limonij, granati acidi, pomorum redolentium & sacchari rosati an. ℥. j. coralli rubri rasuræ eboris an. ʒ. j. fiat iulepus. vel ℞. conseruæ rosarum, & florum borraginis an. ℥. j. fragmentorum sapphyri & hyacinthi & margaritarum an. ℈. j. confectionis alkermes ʒ. ß. (maior enim dosis fugienda est, ne calore accessionem exasperet,) cum syrupo de pomis fiat opiata, capiat ʒ. ij. vel iij. in accessione cum pauca aqua borraginis. Ex eadẽ materia fiat cõditũ: remouendo syrupum addendoque sacchari rosati quantum satis cum foliis iiij. vel vj. aureis. Epithemata quoque eodem tempore vsurpanda sunt & liquida & media vt ℞. aquæ rosar. nenupharis, borraginis & acetosæ an quartar. j. aceti rosacei ℥. ij. pulueris electarij diambræ de gemmis & diamargariti frigidi an. ʒ. j. santalorum omnium coralli rubei rasuræ eboris & cornu cerui an. ʒ. ß. trochiscorum de caphura ʒ. ij. granorum Kermes. ℈. iiij. fiat epithema applicandum cum pauco carmesino. Ex opiata præscripta fiat quoque epithema.

Præseruatio.

VBi accessio cõpressa fuerit: tum præcautio eiusdem

eiusdem suscipienda est, primum quidem per diætam modicam frigidam & humidam antea expositam, feruidoque sanguini repugnantem: deinde per sectionẽ cubiti venarum moderatam (nisi plethora valde vrgeat) tumque partitè etiã potius quã simul & semel fiat: postremo per purgationem mitẽ quidem, sed frequentem, terque aut quater repetendã, idque interiecto spacio trium aut quatuor dierum, quibus interim concoquetur humor purgandus.

℞. polypodij quercini recentis, radicis cichorij & acetosæ an. ℥. ij. foliorum endiuiæ cichorii acetosæ melissæ capillorum veneris cetherac pimpinellæ summitatum fumariæ & lupulorum an m. j. seminum quatuor frigidorum maiorum cõtusorum an. ʒ. ij. pomorum curtipendulorum purgatorum par. ij. trium florum communium & hordei mundati an. p. j. semin. melonũ & cucurbitæ an. ℥ ß. decoquantur, & in colaturæ ℔. j. ß. infunde foliorum sennæ orientalis mundatorum ℥. iiij. agarici trochiscati ℥. j ß. rhabarb. & epithymi an. ℥. ß. zingib. & spicæ nardi & semin. anisi an. ʒ. j. postremo colentur & exprimantur. In expressione dissolue pulueris electarij diarrhodon Abbatis ʒ. ij. sacchari albissimi ℔. j. fiat syrupus de quo capiat ℥. ij. aut iij. cum decocto florum & fructuum, purgationis causa.

Eodem apozemate detractis omnibus medicamentis laxantibus, humores coquendi sunt & præparandi ad purgationem: præcordia ipsa denique refrigerante & humectante litu & vnguento mane & vesperi obducentur, temperandi eorum ardoris causa, & ad extinguendum humorum melancholicorum incendium: tale est vnguentum refrigerans

Galeni: tale vnguentum rosaceum & ceratum santalinum succo cichorij vel acetosæ vel mal. limonij decies lotorum, tandemque multum fricando & tepidè & cum pauco aceto albo applicandorum.

De epilepsia prægnantium.

EPilepsia prægnantibus fœminis & puerperis sæpe funesta est. Est autem epilepsia conuulsio totius corporis nō perpetua, sed per interualla recurrens cum mentis sensuumque læsione: cuius causa proxima est rei tristis & infestæ sensus: cuius debellandi gratia, tota facultas animalis, cum communi instrumento suo & spiritu animali in suum principium vel ventriculos cerebri sese recipit: hinc functiones animales conquiescunt & intermittuntur, tum principes imaginatio, iudicium, memoria: tum sensitiuæ vt visiua, auditiua, & cæteræ: motiua enim remanet, sed deprauata & super naturam aucta: Sic laborante corde facultas vitalis cum calore natiuo in cordis ventres sese colligit, reliquis partibus frigore expallescentibus: ipsoque corde seipsum ad expellendam noxam vehementer agitante. Porro eorum, quæ lædunt cerebrum, duplex genus est: aliud enim copia, aliud qualitate noxium est: illud humor est frigidus crassus viscosusque vt pituitosus, aliquando etiam melancholicus. Hinc puerilis & senilis quædam epilepsia est: vterque enim in ventriculos cerebri affatim irruens ex parte tantum implet ita vt per eos facultas vnà cum spiritu moueri liberè & ad musculos transmitti possit: ipsumque cerebrum cōprimi & vicissim dilatari, dum humor lacessens motu & quassatione in spumam versus foras prodeat, orique adhæ-

adhęrescat. Est inter epilepsiam & apoplexiam discrimen, quale inter paralysim & tremorem intercedit: Vt enim in hoc humor superfluus sola grauitate sua sine obstructione, in illa cõtra obstructione solâ motus conatusque naturæ intercipit: sic epilepsiã eiusque symptomata omnia humor excrementitius, non quod obstruat ventriculos: sed quod cerebro tantum grauis sit & molestus, excitat: eóque fit vt facultas animalis in suo principio collecta in proprię noxę depulsionem spretis reliquis sensuum mentisque operibus incumbat: in apoplexia autem sinuum cerebri integra repletio obstructioque expultricem vim exsuperat, quæ coarctata angustius idoneo, quo sese moueat, spatio ad excutiendã molestiam destituitur. Est ergo epilepsiæ causa vna humor crassus frigidusque cerebrum sua mole molestans, & grauitate lacessens. altera eiusdem causa est vapor acris mordaxque, aut etiam malignus & venenatus per occultas & manifestas vias in cerebrũ subrepens, idque ipsum vellicans proritansque: donec excussus agitando digerendoque fuerit. Ex hac duplicis materiæ sedísque varietate epilepsiæ differentię tres desumũtur, Vna idiopathica & primaria est, cùm frigidus crassusque humor in cerebro circa eius meninges aut substantiã collectus repente eius vẽtriculos comprimit vel obfarcit: siue ex propria cerebri intẽperie frigida humidaq; siue ex improbabili victu vt aere humido frigido, alimẽtis vaporosis vt vino meraco aut copioso. Altera sympathica est, eaq. duplex, vna ex vẽtriculi exhalatione acri vt bilis, ciborũ, humorũq; corruptorũ, vel crassa & distẽdẽte vẽtriculos: altera ab aliis partib. tũ internis, vt vtero, hepate, liene, tũ externis vt crurib. & brachiis

ortum habet,à quibus fere ſemper malignus & deleterius vapor à venenata materia ſublatus cerebrũ grauiter offendit: vimque eius expultricem vehementer proritat. Cauſa ſine qua non, eſt cerebri imbecillitas ab intemperie natiua, non tamen excellenti & morboſa:cuiuſmodi arthritidum, omniumq; morborum hæreditariorum cauſa eſſe ſolet. Eſt ergo hæc epilepſia ſympathica in fieri poſita, veraque affectio, ſine morbo & obſtructione ventriculorum cerebri, qualis ſingultus eſt, vel ab oppreſſione ſtomachi pre copia cibi, vel vellicatione eiuſdem ob condimenti acrioris & pungentis vt piperis vel bilis acrimoniam. Eſt ergo mulieribus prægnantibus ſæpius epilepſia ſympathica quàm idiopathica moleſta,idq. ex cõſenſu ſtomachi vterique,ex quorum corruptela & ſpurcitie putri, venenata exhalatio ſurſum in cerebrum diffunditur: aliquando tamen etiam idiopathica cerebro pituitoſis humoribus referto ſeſe prodit. Communia omnium epilepſiæ differentiarum ſigna ſunt, conuulſio omnium corporis partium quaſſatioque,non perpetua,ſed ex crebris interuallis recurrens, cum ſenſuum intermiſſione & principum mentis functionum.Intermiſſionis cauſa non eſt penuria ſpiritus animalis ſupreſſi in obſtructis cerebri ventriculis,quem confertim potius affatimque in ſingula corporis membra ſpargi diffundique conſtat,ex vehementiſſimo epilepticorum motu per acceſſiones,tametſi violento deprauatoque: neque enim ſenſitiuus à motiuo ſpecie aut ſede diſſidere ſpiritus putandus eſt: cum eidem neruo ſenſum motumque ſæpiſſimè tribuat: neque maior eiuſdem ſpiritus ad ſenſuum quam motuum opera affluentia eſt neceſ-

ſaria, neque denique impediti ſunt ventriculorum cerebri meatus, ſed liberi & expediti: per quos ſpiritus ſenſitiuus motiuuſque liberè quoquouerſum in motus ſenſúſque organa transfluat. Cauſa igitur eſt facultatis totius in noxæ cerebri depulſionem conuerſio: ſenſúſque communis ex nimia quaſſatione & compreſſione cerebri perturbatio, ne ſenſibiliũ alterationes factas percipiat & diiudicet aut recordetur. Vt enim plerique ſubdormientes moueri & ambulare ſine vllo tamen ſenſu ſæpe viſi ſunt: vt etiam qui cogitationi rei alicuius attentiſſimè addicti ſunt, amicos obuios neque agnoſcere, neque loquentes audire, aut ſalutantes reſalutare deprehenduntur: ſic laborante ſenſu communi functionũ mẽtis ſenſuúmq; omniũ intermiſſio fit: cũ nullas ille à ſenſibus ſpecies diſtinguat, agnoſcátque, & excipiat. Cõſtat autem epilepticorum motus valida crebráque compreſſione & dilatatione cerebri, inſtar multarum partium interna cauitate præditarum: vt cordis, vnde palpitatio eiuſdem incluſo flatu, vel vapore humoreve moleſto commouente: naturalis quidem eſt, ſed deprauatus auctuſque ſupra naturam motus à læſo cerebro membris omnibus confuſè & deprauate imperante motum, quò moleſtiam excutiat, neque ſingulis muſculis extenſionis laxationíſque legitimæ modum præſcribente, fatui inſaníque regis inſtar ſua vi, ſuorúmq; ſubditorum obſequentia abutentis: Accidit tamen per acceſſiones gonorrhœa & vrinæ excretio ex vehementi muſculorũ abdominis horúmque excremẽtorũ compreſſione laxato per vim ſphinctere. Porro vniuſcuiuſque differentiæ propria occurrunt ſigna. Idiopathicã acceſſionẽ paulo ante antecedunt

ſtupor ſenſuum,torpor mẽtis,inertia totius corporis,& ignauia animiq; triſtitia, cephalalgia grauãs, ſomnia turbulenta, prout pituita vel melancholia vrget: aliquando deſipientia & obliuio: nullius interim alterius partis cõſpicua noxa cuius cerebrum poſſit eſſe particeps. Sympathicam indicant ventriculi fluxiones, eiuſque compunctiones & cardiogmós:aliquãdo nauſea & lipothymia ieiuno ſæpius ventriculo ſi biliosa ſit,eodémque ſaturato,ſi pituitoſa. Vtraque vomitione & ſolutione alui leuari ſolet. Sympathiã bilioſã hepatis declarat totius corporis flaueſcẽs color,capilli nigri,cutis arida,at pituitoſam albicãs color,corpus laxũ & pingue. Sympathiam lienis,dolor in eius regione & aliquando inflatio, aliàs cum tumore renitente, & ſemper cum melancholicis notis.

Sympathiam vteri teſtantur menſium aut ſeminis ſuppreſſio:aut quorũdã humorũ in vtero collectorum corruptela & putredo: dolor in pectine & vtroque inguine, & in lumbis cum grauitate circa vteri ſedem. Sympathiam denique artuum declarat frigidæ auræ aſcenſus ſurſum indeque vertigo tenebricoſa. Mulierum igitur grauidarum epilepſia cõtrahitur ſæpe ex ventriculi ſympathia cibis vel humoribus corruptis referti,ſæpe etiam vteri, ab exhalatione putris cuiuſdã & ſeminalis materiæ menſtruæque circa vterum,& in venis eius collectæ: ex qua etiam ſuffocatio miſeras opprimere ſolet.

Mitigatio ſymptomatis.

IN paroxyſmo mulieres, aliorum epilepticorum inſtar, ab aſſidentibus continendæ ſunt:ne capitis & totius corporis violenta iactatione ſibi ſuoque

que fœtui grauem noxam inferant, & vincula dissoluant, dentes didpcendi inserto inter eos baculo tereti lenique, ne linguam præscindant: ore autem aperto, medicamento aliquo acri vt sinapi theriaca mithridatio, aut cathartico etiam vt diaphœnicone palatum obducendum est: naribus acetum scilliticum obiiciendum: vt ab illis humor à cerebro per palati foramen deriuetur, idémque humor & vapor intus consumatur: olea denique in aures præcalida sunt instillanda, vt de stœchade, costinum, laurinum, & de castoreo.

Curatio epilepsiæ idiopathicæ.

Extra paroxysmum hęc primùm diæta instituatur. A vino prorsus abstineat, & aqua cum saccharo & pauco cinnamomo cocta, aut hydromelite vtatur: abstineat quoque à fructibus crudis & horariis, à lacte, & lacticiniis, leguminibus, acetariis omnibus, & si certum statumque sit periodi tempus, octo vel decem ante illam diebus bis aut ter per interuallum duorũ aut trium dierum clementer purgetur, humorque interiectis interuallis coquatur.

℞. foliorum betæ, parietariæ, agrimonij ana m. j. prunorum dulcium paria vj. furfuris macri hordei integri, florum chamæmeli, meliloti anethi ana p. j. seminis anisi & fœniculi ana ʒ j. ß coquantur & in colaturæ ℔. j. dissolue electarij diacatholiconis ℥ j. hieræ picræ ℥ ß mellis rosati colati ℥ ij. olei chamęmelini & anethini an. quart. ß fiat clyster, iniiciatur pridie sequenti.

℞. hieræ picræ ʒ iij electarij diacatholiconis ℥ ß misce, fiant boli plures, capiat die sequenti mane cum saccharo. vel, ℞. rhabarbari ʒ j. ß agarici

trochiscati ʒ j. foliorum sennæ orientalis mundatorũ ʒ ij. infundantur in aquæ absinthij vel melissę vel betonicæ per noctem addendo zinziberis ℈ j. deinde colentur & in colaturæ ℥ iij. dissolue syrupi de cichoreo compositi ℥ j. fiat potio, detur mane cum custodia, deinde per spacium trium dierum humor concoquatur ex iulepis cum syrupis acetoso simplici oxymelite simplici & melle rosato dissolutis in aqua betonicæ melissæ & agrimonij, tum demum iteretur eadem purgatio. Finita purgatione caput & ventriculus roborabuntur electariis & pulueribus tum intemperiem humidam frigidamque, tum occultam proprietatem tota substantia oppugnantibus. Tale est hoc electuarium.

℞. conseruæ rosarum & florum anthos ana ℥ ij. conditura corticis citri, zinziberis viridis myrobalanorum chebularum & carnis cydoniorum an. ℥ ß pulueris electarij aromatici rosati ℈ iiij. coralli rubei cornuceruini rasuræ eboris radicis & seminis pœoniæ, vngulæ alces & visci quercini ana ʒ j. theriacæ veteris ℥ j. cum syrupo conseruationis corticis citri fiat opiata, capiat ʒ iij. ieiuno stomacho horis tribus ante cibum superbibendo cochlearia duo hydromelitis aut aquæ betonicæ.

℞. seminis coriandri præparati fœniculi & pœoniæ maris ana ʒ ij. cornu ceruini vngulæ asini syluestris cranij humani & visci quercini ana ʒ j. macis, nucis moscatæ ana ʒ ß cinnamomi electi ʒ ij. sacchari albissimi pondus duplum, mosci optimi ℈ ß fiat puluis, capiat cochear vnum post singulos pastus. Roborandum etiam caput est aspersionibus pulucrum cucuphis irrigationibus fotibus sinapis-

ſinapiſmis & dropacibus. Sympathia ventriculi hepatis lienis & vteri eadem diæta eademque purgatione, in prægnantibus, omnino leuiſſima indiget: deinde pars ipſa accurate roboranda eſt contrariis intemperiei ſuæ remediis, calidis frigidiſue, internis aut externis. Poſtremo ſympathia artuum eiuſque acceſſio arcenda eſt, prohibito vaporis venenati aſcenſu, iniectoque partibus ſublimioribus arctiſſimo vinculo: vel frictionibus deorſum ductis: vel denique cucurbitulis ipſi loco impoſitis: curatio tandē ſubiūgenda eſt quæ ab explorato prius veneni loco idipsū violētius foras protrahat: vt per phœnigmos aut cucurbitulas cū ſcarificatione aut tādem per veſicatoria.

De dolore dentium in prægnantibus.

Dolor dentium prægnantibus tam frequens, eſt & familiaris: vt pleriſque earum certiſſimum ſit & indubitatū conceptus ſignum. Dolor autem dentibus præter reliquorum oſſium conditionem affingitur: qui tantùm neruorum tertiæ coniugationis dentium radicibus ſubſtratorum & gingiuarum eos ipſos obuallantium proprius eſt: ſed harum partium dolor ob viciniam, dolentis dentis ſpecie ægros etiam ipſos fallit. Oritur autem dentium dolor, reliquarum eius ſpecierum inſtar, ab intemperie frigida calidaue humorali, cum ſolutione continuitatis, tenſione ſcilicet, aut roſione, ob deſtillationē à capite vel pituitoſam, vel bilioſam & acrē, & ſanguineā. Phlegmone tamē rarior eſt: niſi ex ſympathia vicinæ gingiuæ inflāmatæ: ſicuti & vermiculorum punctus morſúſque: niſi in diuturna cauitate dentis. Deſtillationis materia

gignitur aliàs ab intemperato cerebro vel frigido humidoque: vel calido siccoque: alias sine cerebri vitio, ab improbabili victu: vt frigido crassoque & flatuoso: vel calido & vaporoso: vel certe ex viscerum subiectorum sympathia: vt hepatis calidioris, ventriculi frigidioris, lienis tumidi obstructique, & vteri suppresso menstruo oppressi: aut incluso fœtu & secundinis repleti. Harum enim partium vapores in capite in aquam coeunt tandem relapsuram: materia hæc coaceruatur intus forisque in capite: intus quidem circa meninges & substantiam ipsius cerebri, eiusque ventriculos: vnde deuoluitur in os per palati foramen, indéque in subiecta viscera, faucésque, asperam arteriam pulmones ventriculum vterum & vesicam, sæpe etiam in organa sensuum vt nares aurésque: aliàs etiam motuum: vt spinam & propaginies neruorum. At verò foris coaceruatur circum pericranium, atque hinc in externas corporis partes labitur vt maxillas, dentes, lacertos, spinam, lumbos, os sacrum, ischium, indeque in articulos genuũ pedumque. Deturbatur autem deorsum ex vtraque capitis regione, vel sponte sua ab expultrice facultate irritata & non ferente opprimentem copiam vel stimulantem acrimoniam, vel à causa manifesta comprimente vt cœlo frigido: vel laxante vt calido cœlo: vel agitante humorem corpúsque perturbante: vt exercitatione.

Curatio.

CVratio duplex est: ordinaria & extraordinaria. Illa triplex, diætetica, pharmaceutica, & chirurgica. Diæta autem sit calore frigoreque temperata,

temperata,euchymos, & mediæ ſubſtantiæ, potius vel liquidæ,ne duriorũ attritio dolorem exaſperet: eiuſmodi ſunt panatellæ, hordeata, amygdalata & contuſæ carnes. Pharmacia conſtet reuellentibus deriuantibus intercipientibus & vacuantibus topicis. Reuellunt obſcurè quidem validiores frictiones & deligationes crurum femorumque in prægnantibus mitiores : reuellunt etiam periapta,vt allium tritum carpo alligatum:ſicuti & folia ranunculi & tithymali contuſa: ſed hæc exulcerant.Purgationum eadem habenda ratio eſt vt in aliis,efficaciores & per pilulas in prẹgnantib. mitiores,. quarum ſæpe antea meminimus, inſtituantur. Phlebotomia deniq; cephalica fiat, ſiquidem certa ſit calidæ fluxionis ex doloris ſpecie, coniectura. hæc vero in aliis temperanda eſt pro virium ægrotantis modo: in prægnantibus, fœtus præterea commeatui eſt conſulendum: ne ob phlebotomiam indigeat. Inter deriuantia numerantur frictiones & deligationes bracchiorum : cucurbitulæ vel ſiccæ, vel frigidæ, vel humidæ & cum ſcarificatione, ſi calida fluxio ſubeſt. Phœnigmus etiam & tandem cauterium potentiale initio ceruicis applicabitur, & epiſpaſticum emplaſtrum ipſi vertici. ℞. maſſæ emplaſtri de mucilagine & ſtercoris columbini an. ℥. ß. ſulphuris ʒ. ß. cum terebinthina incorporentur. item ℞. eiuſdem emplaſtri ℥. j. aceti roſacei ʒ ij. miſceantur & extendantur ſupra telam fortem:fiatque frontale frõti applicandum.

℞. maſſæ emplaſtri contra rupturam ʒ. ij. opij ℈. j. cum terebinthina fiat emplaſtrum applicandum tẽporibus. Quoad topica ore continenda, illa

pro tempore & specie fluxionis variant. Nã in principio frigidæ fluxionis pauca adstrictio, multaq; digestio: vt antecedens inhibeatur: & coniuncta causa vacuetur, necessaria est: si vero calida sit fluxio, sola repercussio conuenit. Cæterum topicorum omniũ cuiusmodi sunt gargarismata, siue calidorum siue frigidorum materia coquenda est in aceto vt magis penetrãte densiorem partem, quodque mixtis paucis calidis corrigitur eius frigiditas. In statu & declinatione sola digestione opus est: sed vehementiori, in frigida fluxione, ob humoris impacti crassitiem lentoremq; Calida enim fluxionis materia tenuior & magis dissipabilis est.

In calida fluxione sub initiũ hæc præscribi poterũt.

℞ radicis bistortæ ℥ j foliorum plantaginis solani & saluiæ ana m. j. coquantur in aceto vel saltem in oxycrato. vel

℞ foliorum hyssopi hederæ terrestris & plantaginis ana m. j. corticis malorum granatorum, balaustiorum nucum cupressi & aluminis rochæ ana ℥ ß coquantur in vino astringenti vel aceto. At vero in frigida fluxione sub initium hoc præscribetur.

℞ radicis pyrethri & cyperi ana ℥ j malorum granatorum, balaustiorum aluminis rochæ & rosarum ana ℥ ß foliorum origani calaminthi, pulegii, hyssopi, satureiæ, saluiæ thymi & maioranæ an. m. j gallarũ iuniperi ʒ ij coquantur in vino forti & fiat gargarismus vel fiat perfumatio ore patulo.

Tandẽ in declinatione digerẽtia sunt adhibẽda, vt decoctũ piperis cum vino: collutiones oris ex aceto scyllitico calido: Item ex decocto vltimo incoctis astringentibus suffitus fiat, ex foliis & radicibus mẽ-

thastri-

thastri auulsi & aqua calida aspersi, exceptique capite veste obuelato & ore patulo. Ipsi denique denti præsertim cauo aquæ alchymisticæ sunt applicandæ vt ex essentia saluię, thymi, caryophyllorũ. Sic in aurem dolenti denti vicinam aquæ illæ & similia olea guttatim sunt instillanda.

Extraordinaria curatio.

QVod si doloris acerbitas persistat inuicta siue ob copiam, siue ob acrimoniam fluxionis, siue ob contumaciorem inhæsionem: tunc narcoticorum vsus est opportunus qualia sunt theriaca & mithridatium recẽtia, dentique apposita: quale philonium romanum: quale denique est ceratum eiusmodi. ℞ seminis hyoscyami albi, papaueris albi & mandragoræ ana ʒ j opij ʒ j ß cum oleo rosato fiat ceratum. Tales pilulæ de cynoglosso dissolutæ: tale decoctum foliorum & radicum mandragoræ hyoscyami, foliorũ solani: si detineatur sępe & diu in ore.

℞ opij & castorei an. ʒ ij dissoluantur cum oleo rosaceo & guttatim intromittantur in aurem. Aqua gelida sæpe diuque in ore versata & reiecta: item aqua stillatitia alliorum cum opio: oleum de mãdragora, de papauere, temporibus applicatum: similia narcotica ore sumpta, stupefacta mente dolorẽ tollunt: vt philonij romani ʒ ij mithridatij vel theriacæ recentis eadem dosis: vel pilularum de cynoglosso ℈ j vel ʒ ß syrupi de papauere ℥ j vel ℥ j ß vel ℥ ij ad summum. Tutior quidem est anodynorum quam narcoticorũ sed tamen inefficacior vsus: tale est butyrum dentibus oblitum: talis collutio oris ex lacte: aut ex oleo rosaceo: aut ex oleo amygdalino dulci:

& fotus maxillæ ex decocto florum chamæmeli & meliloti, anethi, sambuci, & rosarum an. p. j. seminis lini & maluæ an. ℥ ß ficuum num. iiij: contusa leuiter omnia coquantur in lacte inclusa in sacculo; quo leuiter expresso pars foueatur, vel decocto eodem imbuta spongia aut gossipium applicetur.

Curatio chirurgica.

CVratio chirurgica verè præseruatiua est: hæc enim grauiter dolente aut inflammato dente suspicienda non est: ne conuulsio excipiat doloris exacerbationem: sed dolor tantum leniendus. Dens ergo superficie tenus vitiatus, liuidus, nigrescens, flauescens, scalpro vel aquæ alchymisticæ (fortem vocant) fricatione deradatur: vt quod incolume est conseruetur: si idem cariosus perforatus & vacillans sit, forcipe dentario euellatur, vt eo auulso liberius neruus transpiret: & conuenientia remedia facilè admittat: quod si non vacillet, ferrumque æger abhorreat: tum dens tabefaciendus est, neruusque adurendus, vt illius consumpto humido primigenio dentis substantia particulatim dissoluatur. Ferrum ergo igni candens in foramen dentis inseratur, ad radicem, vt & neruus eidem substratus aduratur: vel oleum vitrioli: vel aqua alchymistica pauco cotone excepta. Sic radix pyrethri & cucumeris agrestis per triduũ in aceto acerrimo macerata tritaque in foramen intromissa iuuat: sic exuuium serpentis vel integrum denti admotum, vel decoctum, vel vstum, & cum melle oleoque mixtum: sed tamen adustio sępe iterãda est, donec dentis cõpages dissolutioni proxima dissipato humido suo præuideatur.

De

De fluxu alui prægnantium.

PRofluuiorum alui differentiæ ab excretæ materiæ varietate quinque distinguuntur: Aut enim cibi crudi incoctique mox à pastu defluunt: (hæc lienteria est) aut chylosa substantia cinerea & albicans sine vlla ciborum aspectabili differentia seriusque à pastu (hæc passio cœliaca dicitur) aut humores excrementitij vt pituita, bilis, & melancholia, sincerique, vel mixti (hæc diarrhœa est) aut adiposa & oleosa substantia (& colliquatio vocatur) aut denique cruenta & sanguinea (quæ dysenteria est vel hepatica vel intestinalis). Porro lienteriam inducit coctricis & retentricis imbecillitas ventriculi, vel à pinguibus & mollioribus cibis, & fructibus horeis: vel ab intemperie frigida humida idiopathica, vel sympathica, & fluxione pituitosa à cerebro. Eamdem quoque commouet expultricis facultatis irritatæ robur: vt ab vlcere ventriculi, à bilis pungentis aliqua specie, à veneno acri & lancinante, vel denique ab antipathia & qualitate maligna, cibi alicuius humorisue corrupti in aliqua corporis sede. Cœliacam affectionem inuehit distributionis chyli frustratio, ab obstructione venarum mesenterij, lienis, hepatis, & attractricis hepatis facultatis imbecillitate. denique à potione frigida copiosa ciborumque humidorum & horeorum indulgenti nimis esitatione. Diarrhœam excitat propria ventriculi & intestinorum vel sympathica potius intemperies, ibi genitis vel exceptis aliunde, vt à cerebro, hepate, liene, vel à toto & venoso genere, vitiosis & excrementitiis humoribus: moxque è ventre

profusis. Fluxum colliquatiuum inducit calidior partium pinguium & carnearum intemperies substantiam earum colliquans, fundensque, siue ex febre acuta, vt causo: siue pestilenti: siue diuturna, vt hectica; quæ visceris alicuius corruptelæ succedat, vt in phthisi & suppuratione. Dysenteriam denique humor acris & biliosus vel atrabilarius vel pituitosus salsus, tum è propinquis visceribus, hepate, liene, mesenterio, refusus: tum ex distantioribus maioribusque habitus venis: alimenta etiam acriaque exrementa & exulcerantia inuehunt. Dysenteria alia cruēta & sanguinea sine dolore, hepatica dicta ex hepatis vel imbecilli coctrice & retētrice: vel expultrice valida. Mulierum prægnantiū genus sæpe exercent lienteria & diarrhœa. illa quidem è cruditate ventriculi & βραδυπεψία, quæ primo impręgationis tertianario superuenire solet, vt declaratum est cap. de pica & de fastidio: hæc ab eadem cruditate ventriculi siue ab improbabili victu, siue à consensu præcordiorum & maiorum venarum, ortum habet.

Prognosticum.

OMne profluuium ventris Hippocrati aphor. 34. libri 2. abortum solet prouocare tum causę morbique magnitudine: tum quòd mulierum aluus fere tardior sit: tum inediæ & alimenti penuriæ ratione: cuius coctionem & distributionem in hepar, indeque in venas præceps excretio anteuertit: tum quod excretionum frequentia vires fluentes exoluat: non solum desidendi labore, motuque corporis importuno: sed spirituū quoque cum excrementis vacuatione; tum humoris per intestina descendentis tetro odore: aut amarore, aut etiam salsugine

falſugine fœtui aduerſiſſima:tum vteri compreſſione in deſidendi conatu: tum denique vinculis vteri à profluuio nimis humectatis,& relaxatis:aut ſi nihil confluat impenſius reſiccatis: vnde promptior eſt eorum diſſolutio & abortus procliuior.

Curatio.

Lienteriæ & diarrhœæ pituitoſæ iidem ſunt curationis ſcopi duo: vacuatio cacochymiæ, & corroboratio ventriculi, & inteſtinorum. Vacuationis prima ſpecies eſt clyſter modicè calidus ſiccuſque & abſtergens. ℞.foliorum abſinthij, praſſij, origani,calaminthæ an m.j. hordei integri furfuris macri,roſar. rubear. an p.j.ſeminis aniſi ℨ.j.decoquantur in colaturæ ℔. j.diſſolue mellis roſati colati & ſacchari rubri an. ℥. ij. hieræ picræ ℨ.iij.fiat clyſter,iniiciatur ante omnia.

Altera ſpecies vacuationis eſt purgatio lenior tergenſque & frequens, vel per bolum ex electarij diacatholicon.ℨ. vj. pulueris hieræ ℈.iiij.incorporatis cum ſyrupo roſar.ſiccar.vel per potionē cōfectam ex infuſione ℨ.ij.ſennæ orientalis, rhabarbari ℨ.jß.agarici trochiſcati ℨ.ß.ſpicæ nardi ℈ j. in aqua abſinthij. colatura detur ante omnia ad ℥.iiij.Deinceps humor coquatur per ſpacium duorum aut trium dierum:quibus exactis reiteretur potio vel bolus laxatiuus.

℞.mellis roſati colati oxymelitis ſimplicis & ſyrupi de abſinthio an. quart.ß hydromelitis ℔.j.nucis moſcatæ ℈.iiij.miſce, fiant iulepi tres.

Vacuata cacochymia roboretur deinceps ventriculus intus foriſque accōmodatis remediis, ſcilicet calefacientibus ſiccantibus & aſtringentibus, vt,

℞.conseruæ rosarũ saluiæ & summitatum absinthij pontici an.℥.j. conditurę corticis citri,carnis cydoniorũ,zinziberis viridis,nucũ iuglandium,& mirobalanorũ chebularũ an.℥.ß.tunicæ interioris vẽtriculi gallinæ ℥.ij.pulueris electarij aromatici rosati ℥.j.cũ syrupo cõseruationis corticis citri fiat opiata capiat ℥.iij.quotidie horis tribus ante pastus superbibẽdo vini rubri cochlearia duo.simile est vinũ absinthinum ad ℥.ij.propinatũ quotidie mane & syrupi absinthini ℥.j.similis est hic puluis.

℞.seminis coriandri præparati & anisi an.℥.ij.pulueris electarij diacydonites sine speciebus & aromatici rosati an.℥.j.coralli rubei fragmẽtorum sapphiri & hyacinthi an.℥.ß.nucis moscatę & macis an.℈.ij.cinnamomi ℥.ij.mosci optimi ℈.ß.sacchari æquale pondus omnium. fiat puluis, capiat cochlear vnum post singulos pastus.foris autẽ ventriculus inũgatur cerato Galeni: vel liniatur oleo absinthino,muscatellino, mastichino,de mẽtha,aut emplastro de mastiche tegatur:tãdemq; si inuicta persistat debilitas, & fluxus cõtumacior,dropace vel sinapismo.Intestina roborẽtur clystere ex vino rubro,cui cõseruę rosarũ antiquę ℥.ij.mastichis ℥.j.additę sint.Itẽ ex fotu podicis per spongiam ex vino rubro& adstringenti mixta aluminis parte duodecima. vel suffitu eiusdẽ partis per sellam perforatam vini feruentis eiusdem astringentis recepto vapore:neque enim fotibus,linimentis,aut vnguẽtis abdomini impositis licet intestinorum robur in prægnantibus reuocare: cùm obuius supra intestina occurrat in vtero fœtus. Diæta autem in vtraque fluxus ventris specie pituitosa instituatur,calida siccaque euchymos & eupeptos, ex cibis mediæ substantiæ parumque adstringentis, ex pa-

ex panatella, asperso puluere ducis, vel nucis moscatæ, & ex contusis carnium gallinacearum: & succis earundem (gelatinas vocant) ex vino rubro generoso aqua chalybeata diluto, & modicè sumpto: ne fluctuet cibus: qui etiam in ventriculo continendus erit: donec concoquatur apposita cucurbitula. At lienteria & diarrhœa biliosa & salsa curantur iisdem scopis vacuationis & corroborationis. Purgationis materia fere eadem est, si infuso rhei agarici & sennæ, addatur syrupi de cichorio cõpositi ℥.j. quæ detur mane & reiteretur interposito interuallo trium dierum: quibus humor concoquetur, per iulepos incidentes tergentesque: vt ex oxymelite simplici & acetoso simplici cum aquis endiuiæ & cichorij. Roborabitur autem ventriculus tum syrupis acidis & astringentibus ad ℥.j. vel ij. ex cochleari sumendis, per duas horas ante singulos pastus, tum per electarium triasantalinum ad ʒ. iij. per se sumendum, superbibendo prædictorum syruporum ℥.j. tum deni que externa vnctione mane & vesperi ante pastus, ex vnguento rosaceo & cerato santalino probè lotis cum succo malorum granatorum aut cydoniorum. Diæta denique decernatur frigida siccaque, qualis sæpe antea descripta est.

De præcautione deformitatis ventris.

PRægnantium mulierum ventrem frequentibus dolorib. torqueri, eiusq; cutem in hypogastrio, præsertim iuxta ilia, inguina & pubem, rugis & rhagadibus defœdari sæpe contingit, dum à grandi grauique, vel gemino etiã fœtu, tum membranulæ, quibus ad vicinas partes vterus alligatur, sicuti

antea expositum est:tum cutis ipsa eiusque fibræ membraneæ nerueæque violentiùs distenduntur. Ex distensione sola rugæ in puerperis, vteroque exonerato, succedunt:sed ab earundem ruptione, rhagades siue fissuræ, ītēque, vlcuscula oblonga & angusta succrescunt. Rugarum etiam in senioribus origo est, ex laxitate cutis, & consumptione carneæ molis:quæ in iunioribus beneque habitis subtensa & læuis erat, atque polita. Rhagadum autem origo est aliàs à vehementi frigore & siccitate borealis venti in manib. & labiis:aliàs ab humoris vaporisue acris & biliosi siccantissimi appulsu. Præcauētur rugę & rhagades in prægnantibus si violenta cutis abdominis extensio ruptioque prohibeatur, matura eiusdem emollitione, & relaxatione, vt distēsionem facilem & sine ruptione sustineat, dum à puerperio ad amplitudinem naturalem contrahatur. Eiusmodi autem sunt emollientia medicamenta mediocri substantia, calore temperato, ad primum ordinem, & humore aereo multo conferta, non aqueo nulloque sapore insigni: sed pingui tantum & oleagineo:cuiusmodi sunt oleum maturum non salsum, adeps & medulla recens alicuius animalis domestici;butyrum, mucilagines radicum altheæ, & seminis maluæ, extractæ ex decocto ficuum. Inchoabitur ergo tertio aut quarto impræguationis mense, istorum remediorum vsus, & ad partum vsque prorogabitur: vt augescenti sensim fœtui sensim relaxata quoque ipsa cutis cedat. Vnguentorum forma commodissima est non liquidorum: ne citius expiret, aut à pressis linteolis absorbeatur: neque durior, vt emplastri, ne ventrem nimis oneret. Vnguentorum formulæ sunt.

℞ olei

℞.olei amygdalarum dulcium ℥ iiij. axungiæ recentis gallinæ, cuniculi & butyri recentis ana ℥ ij. mucilaginis radicum altheæ & seminis lini extractæ ex decocto florum chamæmeli ℥ iij. ceræ albæ ℥ iiij. mosci optimi ℈ ß fiat vnguentum applicandum mane & vesperi toti ventri.

Simile est vnguentum resumptiuum & de althea: simile & hoc:valdeque apud practicos celebre.

℞.triginta pedes veruccinos,qui confractis omnibus ossibus perfectè decoquantur: deinde sublata ab igne olla donec refrixerit, concretus adeps colligatur:eique addantur spermatis ceti ℥ ij.medullæ cerui axungiæ caponis anatis ana ℥ j.tum liquabuntur omnia in vase vitreato sine feruore & colabuntur,& postea lauabuntur in aqua rosacea, donec alba euaserint:tuncque recondentur ad vsum vngendi ventris mane & vesperi : qui postmodum tegetur pelle canina aut hœdina diligenter rasa lotaque in aqua rosacea primum , & aqua angelicæ : deinde siccata in vmbra macerabitur in oleo amygdalino dulci,hypericonis,& myrtillorum ana ad ℥ j.ß diligenter subigẽdo versandóque cum manibus:vt postea rursum in vmbra siccari possit : postremo aptabitur ventri, & circumferetur ad partũ vsque:atque hac ratione rhagades & fissuræ præcauebuntur dolorque lenietur,rugæ denique à partu delebuntur.

De mammarum & vteri sympathia lactisque generatione.

PRægnantium mulierum mammis multi grauésque affectus ob sympathiã vteri succedunt.Hanc autẽ vtriq; parti intercedere pleriq; tradũt per cõmunes venas quatuor hypogastricas inde ab epiga-

gastrio imaque abdominis regione per rectos abdominis musculos sursum ad thoracem supra cartilaginem mucronatum ascendentes: totidemque mãmariis descendentibus occurrentes, & vtrasque sibi inuicem aut vicinas tantum: aut contiguas, aut continuas esse: varia enim est multorum de venarum istarum societate & communitate sententia, cum interim de earundem origine inter se cõsentiant, nam Hypogastricas ad initium ossis sacri à vena caua, ante eiusdẽ in crurales ramos duos insignes diuisionem: Mammarias tũ ab axillaribus infra clauiculas, tum supra easdem ramis eiusdẽ venæ cauæ trunco proximis propagari docent: Itaque per istas venas vteri mammarumque ambarũ, proprias quas continent materias inuicem transferri & exonerari: lacte quidem mãmas in vterum: sanguine mẽstruo vterum in mãmas sese exonerare. Sic enim redundãtem mensiũ fluxũ apposita sub mãmis cucurbitula magna ab Hipp. cohiberi docemur: Sic lactis puerperarũ magnã grauémq; copiã, die septimo puerperij octauo nonoq; in vterum à natura refũdi: sic mẽsibus suppressis virginũ & viduarũ castarũ mãmas multo lacte extuberare. Sic eadem pubertatis ætate vtramq; partẽ vterũ mãmásque accedẽte mẽstruo crescere: fierique vterũ concipiendo, mãmas alendo fœtui, lactique cõficiendo idoneas. Sic lactis collectionem à puerperarum mãmis mox à partu repellentium medicamentorũ circa mãmas appositione, & ab vtero affluentis sanguinis repressione prohiberi. Sic quoq; lactis prouentum in nutricibus crebra mãmarũ tractatione fricatione fotuq; & lactatione calfaciente, cucurbitulis denique thoraci appositis, omnibusque remediis sanguinem

ab

ab vtero ad mãmas deducẽtibus cumulari. Sic denique blanda suauique papillarum fricatione vterum suauiter affici: fieriq; voluptatis eiusdẽ participem. Cæterũ de cõmunitate ista externarum vteri mammarũque venarum à pluribus probabiliter dubitatur, qui eam ad axillares & hystericas venas per mediam cauã referre malunt, eo quod exiles valde sint hypogastricæ externæ: neque mammariis semper aut contiguæ, aut continuæ, nec etiam proxime: sed interuallo satis distãti disiunctæ appareãt. Quapropter neq; ab vtero sanguinis ad mãmas, neq; lactis à mammis ad vterum tam præcipitẽ & copiosum affluxũ, quantus in puerperiis quotidie cernitur, fieri posse: sed potius per axillares & hystericarũ venarum meatus cõtingere tuẽtur, maximè vero cum lacteæ puerperarum vrinæ, indeque lochia albicantia eodem tempore prodeant: portione vna scilicet lactis redundantis per axillares in cauam translati: indeque ad renes per emulgentia vasa partim rapti à renibus, partim ad vterũ transmissi. Itaque per eandem viam axillarium sanguinem ab vtero ad mammas naturæ spõte tũ arte & cucurbitulis sub mammis affixis ferri referrique pronuntiant.

De lactis generatione.

PORro lactis procreatio sic breuiter explicetur. Lac excrementum est benignum & vtile tertiæ mãmarũ coctionis (vt semẽ est testiũ) ex quo fœtus alimentum intus forisque promendum sit. Materia eius est sanguis menstruus totusquidẽ neq; diuisus, sed reliquo venarũ sanguini similis: & ab impedito vtero vel per cõceptũ, vel per obstructionẽ morbosam, ad mãmas ingenita naturæ doctrina trãslatus.

& in earundem laxitatem glandulosam depositum vbi lactescat. Effectrix siue generatrix lactis causa est propria mammarum temperies, & substantia glandulosa rubeum sanguinem albo colore commutans, quē per multiplices frequentésque venas suscipiunt, alias quidem internas, à venæ cauæ axillam petentis descendente ramo: alias vero internas ab eadem caua pariter ex iugulo summoque sterno descendente. Hæ autem partim absumuntur in mammas & musculos pectoris internos: partim ad xiphoidem cartilaginē rectósque abdominis musculos delapsæ, paulo supra vmbilicum surculis aliquot suis totidem venarum hypogastrij surculis occurrunt, vnde consensus ille vteri mammarúmque tam ambitiosè celebratus. Quare haud temerè proditum est sanguine materno lac esse frigidius humidiúsque ob frigidiorem glandulosam mammarum substantiam, à qua sanguis supra naturam veluti recrudatur. Est autem lac prægnantium, viduarum, virginumque, suppresso menstruo, specie potius quam forma & vsu affine, cùm hoc serosum, aquosum, salsum sit, miniméque alimentarium cernatur. Finalis causa generandi lactis duplex est, vna priuatam mamarū nutritionem & naturam respicit: altera communis est, fœtus scilicet alitio, cuius gratia sanguinem ab vtero ad mammas circa quartum mensem dirigere natura incipit: sed euidentius multóque vberius natalibus mensibus 7.9.10. quamquam neque vltimis iis mensibus adhuc benignum est, probatique alimenti: tametsi dulcescere tum & concoqui incipiat, ideo neque mox à puerperio fœtui alēdo adhibēdū est: sed tātisper differēdū dū ipsum totū exhaustū sit: tum papillarum suctu alieno, tum eiusdem

eiuſdé expurgatione, cum lochiis per triginta dies ab editis maribus: & per quadraginta à fœminis excluſis. Recentius enim lac ob craſſam terrenamque crudam & turbidam ſubſtantiã cacoſtomachũ eſt, & ab educatione infantulorum abdicandũ: coloſtrũ vocatur,& coloſtratio puerorũ ex eo contracta ęgritudo:puerique coloſtrati,quibus ſtomachus ab illo læſus eſt.Forma lactis eſt color albus,& ſubſtãtia mediocris,alendóque fœtui idonea.Commune autem naturæ conſiliũ fuit in dealbãdo lacte: vt ab ipſis vitæ foribus infãs humanitati aſſueſcat, cuius index albus color eſt,vtque morũ feritatem abhorreat:quã rubeus quaſi à cędibus & rapinis color accendat.Eodé conſilio mammas pectori natura affixit:verecundiæ & charitatis gratia: tum ne partes obſcœnas detegere inter lactandum, brutorum inſtar,mater cogeretur:tum vt fœtum lactantem palpare intueri & exoſculari poſſet.

De differentiis mammarum in prægnantibus.

MAmmarum in prægnantibus varia eſt conſtitutio,aliæ nimis amplæ plenæque ſunt tantùm, vel etiam lacte diffluentes,aliæ graciles & ſubito extenuatæ, aliæ nimis duræ, aliæ denique ſolidæ, mediæque inter graciles & duras, magnas & paruas: atque hæ ſecundum naturam ſunt ſanique fœtus indices: cuius nutritioni ſanguinis menſtrui tantum ſupereſt: quantum ad commeatum fœtúſque naſcituri,ex lacte alimentum in mammas colligendum ſatis ſit.Mammarum autem exſuperãs amplitudo fœtui matríque multorum incommodorum ante & poſt partum author eſt: turpes enim & indecoræ generoſis præſertim matronis à nu-

tricatu abstinentibus habentur: & ne ad opus & manus & brachia admoueant, impediunt: in mammis quoque morbos plerosque excitant: vt phlegmonas, abscessus, vlcera, cãcros, & scirrhos, ex cõtusione & oppressione: preterea fœtus alimentum & lac redundans corrumpunt, eique nasum fere simum reddunt. Amplitudinis immoderatæ causa est vbertas vel laudati vel illaudati sanguinis crudique & flatuosi. Lactis verò redũdantis causa externa fere est ciborũ, nempe humidorũ flatuosorum frequẽs & copiosus vsus: vt & acetariorũ, olerum & quæ ex iisdẽ parãtur iusculorum, fructuũ horeorum, naporum, raparum, castanearum, leguminũ, piscium deniq; & lacticiniorum: Potatio itẽ plurima aquæ aut vini dilutioris, otium, somnolẽtia, thoracis laxitas, sãguinis laudabilis probeq; cocti vbertatẽ exaggerãt. Idẽ facit ętas iuuenilis, natura sanguinea, ingluuies ciborum præsertim lautorum & euchymorũ: hilaritas vitę, negotiorum securitas, multiq; vini rubri & generosi ingurgitatio, pectoris cordisque caliditas. Hinc natura & sine grauiditate mãmosę sunt fœminæ, vulgò iudicantur vinosæ, & ob mammarũ cum vtero consensum libidinosę. Huius amplitudinis præcautio à quarto statim mense grauiditatis, motuque primo fœtus, inchoanda est. Primum quidem per diætam calidam siccamque, tenuẽ & attenuantem, si sanguis flatuosus ex victu consueto deprehendatur, vel refrigerantẽ siccantemque & paruã: si redũdantis sanguinis certa sit cõiectura. Deinde per remedia reuulsoria mitiora: vt sunt femorum, crurumque deligationes, frictiones & cucurbitulæ inguinibus affigendæ, necnon clysteres lenes: postremo per topica reuellentia frigida siccaque & astringentia, fotus & vnguenta

circa mammas apponenda, quæ earum calorem obtundant, ne sanguinem alliciat, & quæ substantiam laxiorem porosque coerceant: ne affluentem excipiant: hinc enim solidæ & mediocres permanebũt: huiusmodi sunt gestatio tenuissimæ laminæ chalybis vel plumbi inter duas mãmas, & exiguorũ suberis frustorum sub axillis: illa enim refrigerando repellunt, hęc adstringẽdo: Item fotus ex aqua stillatitiã vel decocto foliorum lysimachiæ vtriusque, equiseti, sanguinalis, tapsi barbati, plantaginis, sumach, solani, prunellorum, nucum viridium, sorborum mespillorum, rosarum, admixta aceti rosacei & aluminis an. sexta parte: talis denique est capsula plumbea, quæ succo cicutæ intus oblita sit. Quod si repressio nec in tempore facta, nec satis efficax fuerit: iamque lacte collecto aut flatu enormis amplitudo displiceat: tunc digerentibus remediis exhaurienda est, mixtis tamen paucis astringentibus, quæ substantiam partis ab emollitione nimia & relaxatione tueantur. talis fotus est ex decocto foliorum hederæ syluestris, saluiæ maioris, vincæ peruincæ in æqualib. partib. aquæ ferratæ & vini rubri, & aceti rosacei ℥.ij. tale est decoctum stellariæ (alchymillam vocant) tale denique cataplasma sequens. ℞. farinæ fabarum orobi lentium & cicerum rubeorum an. ℥. iij. coquantur in oxymelite, addendo pulueris foliorum mentastri absinthij & meliloti an. ʒ.ij. olei chamæmelini ℥.j. Iam si ex iisdem venis plenis tumidisque largius lactis effluuium in vltimos imprægnantionis menses natales vt septimum nonum, decimum inciderit, fœtus infirmitatem & instantem abortum portendit: lac enim copiosum ex abundanti sanguine est ab vtero

ad mammas regurgitant; quòd eius minimam portionem infirmior fœtus attrahat concoquat absumatque, maximâ eiusdem parte relicta, & in mammas transmissa, ibíque in lac conuersa aquosius crudiusque : cuius multitudine victa mammarum retentrix facultas continenter ipsum diffluere sinit: cum tamen ante maturum fœtus exitum, cui pro commeatu est, prodire non debeat. Hinc ab illo effluxu molles sensim mammæ euadunt. Si tamen exiguum sit lactis effluuium, sintque mammæ interim solidæ firmæque, robusti sanique fœtus certum est augurium. Profluuium hoc immodicum comprimendum est: primum quidem victu euchymo & eupepto vinoque generoso, mater fœtusque roborentur: omnesq; animi & corporis graues motus fugiantur: deinde leuib. deorsum versus vterū factis reuulsionibus, vt frictionibus, & deligationibus crurū femorumque, lenibus clysteribus, cucurbitulis ad inguina affigendis: postremo topicis astringentibus infra supraque & iuxta axillas apponendis: sic enim preclusis viis venisque pectoralibus axillaribus est hypogastricis constrictis interceptus sanguis ad fœtum in vterum reflectetur, quo vberius alatur, & ad iustum partus spatium asseruetur: cuiusmodi astringentia sunt vnguentum de bolo & comitissæ, ceratum santalinum : ipsæ interim mammæ digerentibus pluribus muniendur, paucisque mixtis astringentibus (de quibus modo agebamus) discutiendi lactis gratia, siue metu recidiuæ fluxionis & recursuræ repletionis ob adstrictionem. Tale est istud.

℞ vini acerbi, aquę fabrorum aut aquæ plantaginis an. partes æquales, aluminis rochę partem sextā.

Item

Item ℞ farinæ fabarũ & hordei an. ℔ ß pulueris rosarum rubearum & myrtillorum an. ℥ j coquantur cum oxymelite & fiat cataplasma applicandum ter aut quater interdiu mammis ipsis.

De mammis gracilibus.

QVod si mammas prægnantium circa vltimos menses, septimum, nonum, decimum, quibus collecto sanguine & lacte naturaliter extumescere consueuerunt: repente flaccescere inaniri & extenuari sine vllo lactis euidenti effluuio contingat: certum id est futuri abortus indicium: Huius enim extenuationis causa est sanguinis mãmarum lactisq; inopia: vel quod menstruus sanguis parcior sit, totusque à fœtu in vtero absumatur: adeo vt nulla eius portio ad mammas, lactis causa, trãsmittatur: haurit enim primum quidem è venis vteri cauaque sanguinem, quo nutritioni suæ non respondente commeatum in mammis conditum exhaurit, per venas communes aut axillares: vel certe quod sanguinis lactisque motus ad vterum præ tumore aliquo, vt phlegmone, erysipelate, vel vinculorum ruptione ab ictu saltu casuque grauiter dolentem, repente subsidij causa à toto corpore mammisque à natura conuersus sit. Cæterum mammarum extenuatio, quæ totius etiam corporis communis est, vt ab externa causa corporis humoralem substantiam sensim & sine sensu digerente, vt inedia, diarrhœa, purgatione, vigiliis, laboribus, mœrore, hepatis intemperie, morbisque diuturnis, ea quidem non necessarium & ineuitabilem abortum præsagit: cum incidere possit septimo, nono & decimo mense imminente par-

tu:aut vacuationis causa ante abortum desinere: ægraque mater refocillari: & sanguis instaurari: quo rursus mammæ expleantur, solidæque & firmæ fiant: fœtusque saturetur, vel maior etiam fœtus copioso sanguine fruatur in vtero: ex quo satis idoneum illi alimentum suppetat, lactis interim materia deficiente. Repentina autē mammarum modo plenarum & solidarum extenuatio instantis abortus certior testis est, necisque fœtus: vel à suffocatione vel à dissolutione nexus acetabulorũ: Itaque illi extenuationis speciei, quæ ab inedia est, sola vitæ ratio analeptica auxiliari potest: quæ facile prompteque sanguinis & lactis vbertatem alendo fœtui implendisque mammis suppeditet. Posterior species ob sanguinis & lactis à mammis ad vterum recursum fere immedicabilis est: solaque in reuulsione per superiores partes celebrāda est, quantumuis exigua subsit spes. Quæ autem mammæ est vni⁹ prægnantium inopinata extenuatio: gemellorum alterius immaturum exitum abortumque portēdit, siue inediæ ratione, siue sanguinis lactisque ad vteri alterutrum latus refluxu contigerit. Certum autem est gemellos vno coitu pro sinuum vteri & mammarum muliebrium numero gigni naturaliter posse: eorumque singulos propriis præditos esse vmbilicis, per quos è venis vteri sanguinem alimenti sui gratia proliciant, quo tamen non respondente collectum antea è mammis sanguinem & lac ad sese protrahunt, vnde eiusdem subita succedit vacuitas & inanitio, quæ directi & validioris fœtus abortum ostēdit, masculi si dextra: fœminini si sinistra mamma gracilescat. Sic enim discrimen sexuum in propria vteri sede Hippocrates distinxit

distinxit aphori.38.sect.5.Excitantur quidem fœtus plures è seminis fœcundi maiori copia : quæ duorū generationi satis sit:sicuti diuersi sexus è diuersa sinuum temperie : est enim sinister frigidior, dexter calidior:vel certe ob seminis dissimilarem substantiam, cuius prima secundaue eiaculatio calidior sit, posteriores minus calidę :.quæ deniq; à motu lactis ad vterum repētina extenuatio oritur,ea fere vtriusque fœtus necem demonstrat.

De mammis prægnantium durioribus.

MAmmarum durities aut proprium earum laborem:aut aliarum partium quibuscum illis sympathia est,vt coxarū, oculorū, genuū noxā præsagiunt apud Hippoc.aphoris.55.lib.5.aut etiā insaniam eodē authore apho.40.libri eiusdem.Est autē durities hoc loco audiēda non pro concretione lactis aut siccitate scirrhosa, sed pro tensione ob repletionē lactis & sāguinis;quæ magis renitēs fit,quàm simplex plenitudo & soliditas. Obturantur enim nimisq; tendūtur venę à copioso sanguine ab vterò per imprægnationē regurgitāte,qui tamē pro crassitie lentore frigiditate aut sola etiā copia neq;resoluitur, neque suppuratur, sed incalescit tantum diutinaque mora vritur efflatis interim in cerebrum feruidis atrisque vaporibus & melancholicis : vnde insania & furor: vel tumor etiam cancrosus ex iisdem suscitatur : vel certe à valida natura in alias partes amādatur.Quod si Hippocrates ab ea duritie abortum non metuat,de permanente quidem audiēdus est,non de ea quę protin' disparet,sāguine ad vterum conuerso, vbi vel erysipelas vel phlegmonem lethalem accendat, vel fœtum suffocet. Huius duritiei eadem curatio est,quæ amplitudinis

enormis mammarum exposita est, digerens scilicet tergensque: sed admixtis paucis emollientibus.

De partu.

HActenus de conceptus causis omnibus & symptomatis actum est: nunc de partu. Est autem partus tertia vteri organica actio. Qui duplex est: naturalis, & cōtra naturā, illegitimus, & vitiosus. Vtriusq; discrimen desumitur ex quatuor notis, tēporis, figuræ, accidentium, & euacuationū cōsequentium. Tēpus enim partui humano idoneum est septimus, nonus, & decimus mensis ipsius gestationis, & initium etiam vndecimi. At verò sexto mense & prioribus partus præcox & immaturus est, funestusque fœtui semper, persæpe etiam matri: vel quod fœtus suis partibus omnibus nondum descriptus sit: vt tribus primis mēsibus (quibus genitura, embryo fœtus nominatur: sicuti superiorib. quib. motus euidētior est, puer) vel quod idem inualidior sit, ob mollitiem artuum & habitus: ex luxuriante humiditate, vnde nec se excutere foras potest: nec aeris insueti appulsū ferre. Nos verò de legitimo partus spatio, & mēse accurata satis declamatione transegimus huic argumento affigenda. Sextus igitur mēsis errore mulierum tantum numeratur pro legitimo partus spatio. Septimestris autem partus vitalis est, perfectis omnib. membris, & validioribus. Octimestris partus vitiosus est, & calamitosus, eò quod cùm septimo mense exitum quæsiuerit fœtus, vires eius ex eo conatu frangūtur. In Ægypto tamen, & Hispania ob cæli caliditatem potius, quàm ob robur matrū æstu cœli & regionis languentiū vitalis est. Nonimestris fœtus maxime viuax est: firmissimis, tum mēbris, & corporibus: Decimestris quoq; salubris est,

fœtus

fœtus præsertim fœmineus qui tardius formari&adolescere mouer q; in vtero solet ob feminum vtrique frigidiorem constitutionē. Alioqui fœminæ extra vterum citius quam mares crescunt,& maturātur corpore & animo: qui tamē crassissimi & maximi fœtus sūt non solū in diuerso brutorū genere: sed in eadē etiā specie tardius perficiuntur & veluti serius maturātur,atq; in lucē proferūtur. Hinc forte fabula orta est de Iouis cū Semele per tres dies noctesq; cōtinuato cōcubitu, Herculis gignendi causa. Secūda nota spectat ad figurā fœtus ex vtero exeuntis: si primo pronoq; capite manib. ad coxas reflexis tā mas quā fœmina elabatur: idq; non ponderis ratione, sed facilitatis gratia, & vt vitetur periculum frangendorū artuum: violandęq; matris,&matricis. Ideoque apud veteres Romanos moris erat vt cadauera pedib' primis efferrētur, cōtraria scilicet corporis figura ei, qua pueri primū lucē aspexerunt. Situs tamē in vtero fœtus humani est sursū versus: sic enim conglobatus est vt calces natibus, manus genibus opprimātur, caput verò mediis genibus inseratur auriū tenus: hac enim artuū contorsione grauiditati fœtus& angustię locellorū muliebriū consultū esse oportuit. Ideoq; molliores cereosq; & flexibiles artus natura effinxit: minoriq; spacio occupando idoneos. Neq; vero soliditatē eorundē artuū firmitatē & constantiā exigebat ambulationis post partū necessitas, quæritandi victus & indagādæ matris gratia: quæ præsto futura erat fœtus sui alendi, seruandiq; studiosissima. Quadrupedum autem fœtus figura est extensa, ob vteri amplitudinē artuūq; soliditatem ad victū extra vterum illico à partu capessendum. At expedum vt pisciū ob promissā corporis vteriq; longitudinem, situs fœtuum obliquior

est,ad angustiæ damna sarcienda, parãdumq; fœtus granditati spatiũ. Bipedũ deniq; volucrũq; contractus situs est,ob testę quâ clausa sunt rotũditatẽ.Ergo humani fœtus partus naturalis est,vt primo pronóq;capite exeat:nõ naturalis verò & vitiosus quadruplex est:1° si in nascẽdo,nõ caput,sed pes aut alter,aut vterq. primus exiuerit:2°est si manu vna,vel ambab. primis: 3° si alterutro latere:4°si euerso vel vẽtre,vel spina prodeat.Illis naturalib. partub.deã Prosam,nõ naturalib.Postuortã vetus Romanorũ religio præfecit.Tertia nota est à symptomatis,dolore scilicet,fœtæq;& fœtus offensione,qu.bus leuissimis & breuissimis partus naturalis constat, quum sit partus κἐίπως quędã species.Cęterum dolores isti nascuntur ex diuulsione membranarum fœtum continentium allantoidis amnij& chorij,vasorumque ab acetabulis venarũ &arteriarum vteri disiunctione:ex quibus vmbilicalia duo constituũtur quæ fœtum sanguinis materni commeatu eiusdemq; caloris fotu sustentare & fouere possint. Nascuntur pręterea ex orificij interioris vteri,eiusque neruosę ceruicis violenta dilatatione,ossiumque coxygis distractione,necnõ intestini crassi pressu violentiori: vt liberior ampliorque emersuro fœtui via pateat. Quodsi graui & diuturno dolore,magnaq; matris& matricis iniuria fœtus exeat,partus hic iam naturalis non est:sed vitiosus & difficilis. Quarta nota ab euacuationibus necessariis sumitur , aquarum scilicet & lochiorum.Porro aquarum origo est ex vrina fœtus, non per vrethrã quidem, sed per οὐραχον inter amnium & chorium,refusa.Nihil enim materiæ alienæ inter allantoidem & amnion intercurrit, siquidem pauca admodum aqua nonimestri gestationis spacio congeritur,eò quod maternus sanguis

à sero aquoso antea perpurgatus sit, quàm ab vmbilicalibus vasis ad hepar fœtus raptus sit. Excreméta fœtus primæ coctionis nulla sunt: neque enim in fœtu quandiu vtero continetur, aut ventriculus, aut intestina, aut anus aliquo munere fungũtur: nisi fortasse nigricans quiddam atroque sanguini persimile ex hepate refluens, ex intestinis, edito statim fœtu, erũpat. Secũdæ coctionis excrementũ pręter vrinã paucã nullum est: secreta antè bile & melãcholia ab hepate materno. Tertiæ denique nullum est, præter sudores & mucos quosdã: quibus internæ partium naturalium inanitates obsessæ, totusq; habitus circumlitus conspicitur. Mulierum vulgus seminalẽ materiã concretã falso suspicatur, ex recenti concubitu, quã prolabens fœtus è muliebri sinu vel ceruice eiusdem corraserit. Hæc tamen neque ibi diutius hærere, neq. subire prægnãtis sinũ potest: obsignato orificio interiori: neq. si hæreat, cõcrescere solet: sed potius liquescet & diffluet spiritu & calore exolescẽte. Neq; rursus cor spiritui elaborãdo, aut pulmones aeri trahendo emittẽdoque inseruiunt, dum fœtus est in vtero. Horum defectus suppletur à matre. Sẽsuum quoque nullus est vsus: Hinc vita plantæ ante motum fœtui tribuitur. Lochia denique (puerperia vel purgamenta muliebria latini vocãt) reliquiæ sunt impuri mẽstrui sanguinis ex alimẽto fœtus lactisq. in vberibus elaboratione, quę reliquiæ in vterinis vasis: vel potius in caua vena coaceruãtur, & patefactis acetabulis ex vtero prorũpũt per plures dies, vel pauciores, pro puritate vel impuritate puerperarũ, victu, & natura, tẽperanti magis vel intẽperanti: atq. adeo pro sexus varietate: nã ex partu maris lochiorum ad 30. dies vacuatio ad sũmũ producitur: alias ad 35. & 40. dies. Quod spatiũ sũmũ puerperarũ

quieti in thalamo Hippocrates designauit. Ergo naturalis partus est, quem necessariæ vacuationes antecesserunt; vt aquarum, vel subsequutæ sunt; vt membranarum& lochiorum. Non naturalis contra in quo aliquid earum materiarum in vtero, vel eiusdem venis relictum retentumque est.

De partus symptomatis.

EST igitur naturalis partus, vt cuiuslibet actionis, noxa triplex: vna abolitio, quæ fit vel matre mortua, incolumi fœtu: vel hoc ipso enecto, matre viuente; vel vtroque simul emortuo. Altera diminutio, quæ difficilis partus antea vocabatur, fitq; magno cum dolore, grauique fœtus & fœtæ offensione. Tertia deprauatio est, vt cum partus anticipat ad sextum vsque mensem (abortum vocamus) vel cum indecenti figura fœtus prosilit: hicque vitiosus & præposterus appellatur: vel cùm retinentur aut membranæ aut lochia, vnde vteri phlegmone ex eorum circa vterum mora & cunctatione, vel febres ardentiores ex eorundem intra venas maiores corruptela.

De prima deprauati partus specie.

ABortus symptoma est retentricis vteri facultatis; nẽpe immatura & ante septimum mensem, fœtus formati, vitalisq; exclusio. Effluxio enim vocatur seminum commixtorum & coagulatorum prolapsio sub membranarum, concretiq; sanguinis specie facta (vulgus obstetricũ falsum germẽ vocat.) Causæ sunt & internæ & externæ: hæ quidem multiplices. Talia sunt, quę fœtui alimentũ suum detrahunt; aut humoralem, aut spirituosum. Illum quidẽ detrahunt inedia, vigiliæ, labor immodicus, purgatio vehemẽs, profluuiũ alui quodcunq; immoderatum

tũ, vt lienteria, diarrhœa, dysenteria, tenesmus, phlebotomia, vltimis præsertim mẽsibus, hæmorrhagia, ex quacunq; corporis parte eisdem etiã mensibus; vide lib. 5. aph. 31. 34. 40. 50. Spirituosum subripiunt ea quæ calorem matris ad fœtum fluentem impensius refrigerãt vt aer borealis, potus niuatus: aut quæ calorem eundem dissoluunt, vt æstuosum cælum vaporq; thermarum, & balnei calidioris cuiuslibet, lætitia, risus minus effusus: aut quæ calorem eundẽ ad suum principium, id est cor maternum reuocant, vt timor, mœror, lipothymia, syncope: aut deniq; eundem suffocant, vt inspiratio aeris fumosi, crassiq; & olidi, vt ab extinctis candelis, obstruit enim præ crassitie vapor vmbilicalia vasa, & transpirationẽ tollit; suffocat quoq; crapula & ingluuies. Ad externas quoque causas spectant ea, quæ ligamenta fœtus dissoluunt, vt quilibet motus corporis animiq. violentior, cursus, lapsus, ictus contundens, coitus post septimum mensem. Internæ causæ sunt, vel morbi, tũ communes: quales sunt acuti, siue cum febre siue sine febre, lege aphor. 30. & 43. lib. 5. tum vtero proprij vt intemperierũ species omnes, vlcus, tumor, & Hippocrati lib. de sterilib. paruitas vteri & magnitudo: sed illa augmentum potius fœtus prohibent, quam vitam exemplo catellorum inclusorum: hæc si natiua sit robusta quoque est, arteque circa fœtũ cõtrahitur: at aduẽtitia ex prægressis partubus laboriosis, vterũ debilitat. Cõcurrũt denique causę morbificæ vt plethora suffocans, & cacochymia inepta ad alendum, vel saltẽ ligamẽta molliens & dissoluẽs, vt mucosa pituita. de qua vide aph. 45. libri quinti.

Diagnostica signa causarum externarum ex ægræ fœminæ relatione: internarum ex habitu prægresso

sumenda sunt:tum ex propriis morborum eiusdem symptomatis, tum ex tempore abortus:nam primis diebus fit vel extenui nimis aquosoq. virili sperma-te, vel ex lubrico vtero humidoque:vel ex laxiori o-rificio eiusdem. At 2.3.4.5. & 6. magis à cacochy-mia prouenit.

Prognostica signa abortus futuri duo sunt cõmu-nia Hippocrati, vnũ lactis multi effluxus è mãmis & spõtaneus. vide aphor.52.lib.5. fit enim ab abũdãtia lactis & sanguinis ex vtero redundãtis, quẽ sanus fir-musque fœtus nutritione propria nõ cõficit. Alte-rum est mãmarũ gracilitas vel vtriusq; vel alterius tantum, pro fœtuũ numero situq. vide lib.5.aph.37. & 38. Oritur enim extenuatio hęc ex inopia sangui-nis, vel ab acuto morbo, vel ab inedia matris, sensim cõsumpti, vel ad vterũ à quocũque affectu obsessum, vt erisipelate, phlegmone, aut cõtusione, subito cõ-uersi, vel saltẽ à robusto fœtu absũpt', quia alimẽti ino pia laborare deinceps cogitur. Tertiũ est certa mẽ-siũ periodus. Instãtis abortus signa sunt, laterũ & su-perioris ventris coarctatio, lumborum coxarumq; grauitas, motus omnis languidior, descendente, pre-menteq; infimas matris partes, fœtus mole. Deniq; mulieres omnes per abortũ magis quã verum partũ laborant, & periclitantur: fœtu nihil iuuante matris conatus. Minus tamen quæ sanæ sunt mulieres, me-dia ætate, aluo lubrica, & quæ vel plures, vel paucos sed grandiores enixæ sunt pueros. Contra accidere solet iunioribus & primiparis aut etiam senioribus puerperis.

De abortus præcautione ante conceptum.

ABort⁹ præcautio duplex est:vna ante cõceptũ, cuius

cuius finis est: vt mulieres sanæ cōcipiāt: altera post cōceptum, cuius finis est, vt incolumi matre fœtus incolumis proferatur in nonū vsque mensem. Præcautio prior constat neutrius mulierum status correctione, & amotione vitiorum abortū prouocantium, qualis est habitus obesitas, plethorica, aut tenuitas immodica. Illa victu pauco & attenuāte, hęc copioso & incrassāte emēdatur: vterq; sane fœtui futuro funestus est, ille alimenti excrementosa copia, hic sanguinis & seminis inopia. Cacochymia quoq; siue toti corpori cōmunis, siue vtero aut alicui viscer i propria, vt ventriculo, hepati, lieni, cerebro, cuius excremētis vterus ipse inquinetur: hæc, inquā cacochymia delēda est, vbi species ei' ex causis internis, ætate & natura, & externis: vt victu pręgresso explorata ad amussim fuerit. Illi enim primū dięta cōtraria, deinde pharmacia opponetur: tum alterans, quę concoquat eam: tū euacuās quę cōcoctam eandem materiā, expurget. Alterationis & vacuationis humorū materiā methodūq; annotauimus cap. de suppressione mēsiū. Discrimen tamē est purgādæ cacochymiæ, quę si vniuersalis sit, vniuersali tantū egeat vacuatione: sin particularis, duplicē exigit: & vniuersalē priorem, & particularem posteriorē tum mandantis visceris, tum recipientis vteri. Postremus alterationis scopus est roborare tum viscus, tum vterum ipsum. sicuti leges capite de fluore albo.

Præcautio abortus post conceptum.

PRæcautio abortus post conceptū constat præter victum grauidarum antea descriptum: primùm declinatione causarū externarū tū alimētum fœtus subducētiū, quales sūt inedia, labor, vigilię, vacuatio insignis: tū calorē spirituūq. materiā fœtui eripien-

tium: vel extinguẽdo refrigerandoq;,qualis eſt aer borealis,& potus niuatus:vel calefaciendo impenſius digerendóque,qualis thermarum ęſtus: vel reuocando ad principium ſuum, qualis mœror eſt, & metus:tum deniq;ligamẽta fœtus diuellẽtium,qualis motus ſaltúſque eſt vehementior. Cõſtat deinde hęc ipſa præcautio internarum cauſarum correctione,quæ morbi ſunt, grauioraque ſymptomata: aut habitus venter,qualis eſt plethoricus, vel tenuis nimis & macilentus.Horũ ille præter victũ attenuantem phlebotomia quoque cubiti demendus eſt:primis præſertim quatuor menſibus, hic plena & incraſſante diæta indiget. Sic cacochymia vniuerſalis frigida,victu contrario, & purgatione ſola tollitur: ſed calida, vt biliosa, præter victum contrarium & purgationem,phlebotomiã quoque indicat. Morbi autem vel communes ſunt, vel particulares: illi vel acuti vel diuturni : hi ſolo victu contrario protrahuntur ſæpe ad partus tempus legitimum: illi & victu & vacuatione indigẽt; victu quidẽ contrario, ſed nõ pleno:neque rurſus tenuiſſimo, ſed tenui tãtùm,id eſt paulo parciori,quam eſſet ante morbum conſuetus. Purgatio autem primis menſibus id eſt 1.2.3. & vltimis id eſt 7. 8.& 9. mitiſſima celebretur:idque maxime ſi materia turgeat:at mediis mẽſibus vt 4.5.& 6. fortior concedatur,miſtis quibuſdã diagrediatis, aut colocynthiſatis cũ benignioribus, iiſque vel ſimplicibus vel compoſitis,quæ expoſita ſunt cap.de victu grauidarum : admiſcendum tamen ſemper eſt,roborãdi fœtus cauſa,aſtringens quoddam medicamẽtum.Si verò materia non turgeat:ſed fixa impactaque ſit alicui viſceri:mitioribus potiùs iis per epicraſim vſurpatis, quàm violentis

lentis & ſemel, expurganda eſt cacochymia. Vide aphori ſinum 1. lib. 4.

Phlebotomiæ quoque quantitas quam morbus acutus indicarit, hoc modo temperanda eſt: tum ex viribus matris habitúque, tum fœtus, necnon ex ætate, nam in vniuerſum potius primis menſibus matre ſana atque euſarca, quam vltimis, matréque tenui ſanguis detrahendus. Semper autem ex venis brachij, nunquam poplitis aut malleoli in grauidis phlebotomia tentetur, ne citatis menſibus, fœtus præcipitetur. In quo ſenſu exponẽdus eſt aphoriſmus Hippocratis lib. 5. vel certè de largiori phlebotomia in cubito, vbi ait, Mulier miſſo ſanguine abortit. Particulares morbi ſunt ſæpe mitiores: Tales ſunt ventriculi intemperies, eorumque ſymptomata, faſtidium, pica, malacia, nauſea, vomitio, dolor & ſingultus: quorum omnium curatiua methodus expoſita eſt. Talia ſunt capitis ſymptomata ex ſympathia impuri vẽtriculi grauidarum: vt vertigo, epilepſia, ſomnolentia, torpor mentis, & corporis, quorũ ibidem expoſita eſt curatio. Talia ventris & inteſtinorum: vt diarrhœa, teneſmus, dyſenteria, quibus omnib. vacuatione & alteratione eſt ſuccurrẽdum. Illa ſuſcipiatur tũ ex clyſteribus primum tergentibus, deinde agglutinãtibus, & aſtringentibus: tum ex potionibus medicamentorum, benignorum vocatorum, de quibus antea quoq; tranſactũ eſt. Alteratio electuariis cõſtet ſolidis ac mollibus, pulueribus, emplaſtris, fotibus & vnguentis: quorũ omniũ formulę ſub exẽplo vẽtriculi frigidioris curãdi, expoſitę ſunt. Talia deniq; ſunt vteri, pulmonis pectoriſq; propria ſymptomata, vt tuſſis, dyſpnœa, periodica mẽſiũ fluxio, fluor albus, vteri de-

scensus ad pudẽdum, lumborum dolor ardorq. quibus fluxus mẽstruus vltimis præsertim mẽsibus cõprimẽdus est, tũ victu frigido siccoque, tum reuellẽtibus remediis vt phlebotomia in cubito dextro, deligationibus & frictionibus brachiorum, cucurbitulis sub mãmis appositis: tũ deniq. remediis internis externísq. topicis adstringentibus, de quibus lege caput de redundantia mẽstruorũ: fluoris quoq. albi curationẽ eodẽ cap. leges. Denique descẽsus vteri (nã de ardore & dolore paulo post) ob mollitiem ligamentorũ curabitur quoq; per purgationẽ benigniorem ex rhabarbari puluere & infusione: & roborantibus internis & externis, de quibus mox in corroboratione lumborum.

Tertia præcautionis ratio constat corroboratione ligamẽtorũ vteri, fœtusq; vinculorũ, hęcq; locum habet in omni abortus causa: idq. per medicamenta astringentia, id est siccæ & terrenæ substãtię, quæque vel calida vel frigida sint, calida enim frigidis: calidis verò naturis & tẽpestatib. frigida accõmodẽtur quę substantiã cõtrahant aliena humiditate cõsumpta. Ea vero intus forisq. vsurpãtur toto grauiditatis tẽpore in suspectis abortus nomine mulierculis: huius generis prostant in officinis emplastrum pro matrice, & vnguẽtum comitissæ vulgatissimum &c. Quorum omnium exemplo alia etiã comparentur, mixtis cum astringentibus quibusdam aromaticis penetrationis & odoris causa. vt,

℞. ladani puri ʒ ij. calami arom. boli armenę, sanguinis draconis, terrę sigillatę, lapid. magnet. coralli rubr. corticis malor. granator. an. ʒ j ß. acaciæ, hypocistid. an. ʒ ß picis naualis & gummi arabici an. ℥ ß terebint. q. s. fiat emplastrum. Vel

℞. ma-

℞.mastich. ʒ ij radicis bistortæ,tormentillæ,symphyti,corticis mali granati,&coriandr.pręparat.an. ʒij rosar.rub.nucũ cupressi & myrtillorũ an.ʒ j olei lentiſcini,&myrtini an.℥ j ß ceræ parũ,fiat vnguentum.

Quod si suspicio calculi aut ardor nimius dolorq; lumbos exerceat : emplastris abdicatis vnguentorũ tutus erit vsus.Vtraque inducentur regioni lumborum,coxarum,&inguinum.Ardor quoque lumborũ cõpescetur cerato ſãtalino,& vnguẽto rosaceo sępi' lotis in aqua plãtaginis&cũ pauco aceto albo&pauca caphura applicatis. Sequens vsitatissimum mihi oxyrrhodinum.℞ olei lentiſcini ℥ ij albumen oui,j vnguenti populei ʒ iij trochiscor. de caphura ʒj aceti & aquæ rosarum an.℥ j misceantur multa agitatione & applicentur frigide & frequenter. Similis est facultąs vnguẽti refrigerantis Gal.recenter dispẽsati.Interna eiusdem generis sint,sed pręterea spirituosa:tum vt viscerum substantiam roburque contineant, humiditate absumpta:tum vt eorundem calorem foueant.Talia sunt electaria solida, aromaticum,rosatum,diambr.de gemmis,diamargarit. frigid. & mollia,vt confectio alkermes &de hyacinth. Eorum exemplis sic alia concinnentur.

℞conserue antique rosar.℥ ij condit.corticis citri, & carnis cydoniorum an. ℥ j myrobalanũ vel nucẽ iuglandem conditam n.j.corall. vtriusque terræ sigillatæ, behen albi & rubri an. ℥ j nucis moschat.& macis an. ʒ ß cum syrup. de mentha vel conseruationis corticis citri fiat opiata.

Si loco syrupi reponatur saccharũ rosatũ addãturq;v.aut vj auri foliola,fiet cõditũ.Quod si quartam partẽ pręscriptę materię saccharo dissoluto aquaro-

sarum excipias, fient tabellæ. Harum omnium dosis est à ʒ j ad ʒ iij superbibendo parum vini rubri austerique. Huic etiam scopo vtilissim⁹ est puluis vocatus digestiuus cum multa mixtione materiæ siccantis vt corallorum, cornu ceruini, rasuræ eboris, fragmētorum sapphiri, & hyacinthi, terræ sigillatæ. Vide exemplum cap. de victu grauidarum.

Vltima præcautio abortus est per medicamenta, quæ putantur physica, occulta proprietate fœtū cōtinere, & vterū roborare, foris intusq; vsurpata. Illius generis sunt lapis aquilę è collo suspēsus gestatusq;, & sidonius lapis pariter alligat⁹, lapis in vtero ceruę inuētus, os de corde cerui, suffumigatio de pilis ceruinis. Huius generis sunt puluis cancri fluuiatilis epotus, sicuti coagulū leporinū cū aqua vel vino, corallus cum ouo haustus. Vulgatissimū est & hoc cōtra abortum à causa aliqua procatarctica scilicet semen nēpe (germen vocāt,) sex ouorum gallinaceorū vino albo dissolutorū, epotūq; calidè sex matutinis cōtinuis adhibita interim corporis quiete. Illæ igitur omnes præcautionis species continuandæ sunt: donec instātem abortū medicus prę sentiat ex enumeratis signis: tum enim curationi soli studeat: quę partum acceleret: eiusque labores minuat. Quæ ratio exponetur capite de difficultate partus.

De secunda deprauati partus specie.

SEcunda species non naturalis fœtus est cum fœtus exit non capite primo, sed alia quacunq; corporis parte prima, isq; vitiosus priuatim vocatur, cuius differētię sunt quinque: Prima cū alter pes vel vterque primus exeritur, & qui ita nascuntur, vocantur agrippę malo corporis & animi omine: secunda cum manus vna vel vtraque: tertia cum alterutrum latus:

latus: quarta cum nates: quinta cum venter primus profertur. Causæ sunt tum amplitudo nimia vteri: tum temerarij parturientis matris dolore percitæ motus: tum deniq; partium fœtus robur dissimile, vt validior quæq; prima prorumpat. Signa diagnostica sensilia quidem sunt, obiectæ fœtus partes visu tactuque perceptæ; artificiosa ex motionib⁹ matrũ, & fœtus ante partum desumuntur. Prognostica sunt ꝙ omnes alienę figuræ à naturali sunt periculosę & matri & fœtui, minus tamen periculosa quæ fit pedibus primis: reliquæ periculosissimæ.

Tertia species partus deprauati.

TErtia species partus non naturalis est is qui fit tardi⁹ ægriusq;. Symptoma est facultatis tũ naturalis retentricis vteri; tum animalis motiuę: ex diuulsione violenta ligamentorũ fœtus ab acetabulis, vteriq; & ceruicis eiusdẽ valida extensione: orto dolore; qui maior est fœminarũ humanarũ, quã brutarum: vel ob vitam sedentariã, vel ob capitis humani amplitudinem in vtero: vnde vocantur pueri nani. Causæ sunt vel externæ & communes vtero, matri, & fœtui: vt aer squallidus, ęstuosus, crapula, inedia, mœror, vigiliæ multæ, labor immodicus, morbus acutus vel diuturnus prægressus, & quælibet euacuatio immodica, vel sanguinis per nares, vterum, hæmorrhoides vel cacochymiæ per intestina, quales sunt tenesmus, dysenteriæ, lienterię, diarrhœæ: Aliæ sunt internæ & propriæ singulorũ trium, matris, vteri, fœtusque; matris quidem vel natiua vitia; vt staturę breuitas, obesitas, gracilitas, ętas iunior, viginti duob⁹ annis, & senior quadraginta apud Auicennã: alia aduentitia vt morbi, metus, mœrorque. Vteri vitia quoquealia sunt natiua: sicut in-

temperies ſiccior & præſertim frigidior, anguſtia oris vteri ceruicis & pudendi:alia aſcititia;vt morbi omnium generum, quales ſunt intemperies obſtructioque à tuberculo vel tumore aliquo, & aſtrictio à preſſu vicinarum partium,vt præpinguis abdominis,inteſtinorum fæcibus duris obſeſſorum, veſicæ, à calculo, & lumborum cauitate,hæmorrhoidibus& rhagadibus tum ani,tum pudendi.Fœtus quoque difficilis partus cauſa eſt, ob ſexum. Si enim fœmina ſit, languidior quidem eſt, & minus crucians, ſed tardior,ſi capite ſit grandiori,à natura aut morbo vt ὑδροκεφάλῳ, contuſione: aut nimis paruo, quod vias genitales non ſatis aperiat reliquo corpori: vt cùm geminus eſt, aut monſtroſus, aut aliena figura obtruſus, aut denique mortuus. Partus quoque difficultas prouenit ex membranarum contumacia, vel fragilitate immodica earundem:quæ ante partum longiori tempore frangantur antea quam exeat infans. Ita fit vt aquæ excidant longè ante fœtum, vnde dolores in exitu maiores.Difficilis part° ſigna diagnoſtica in vniuerſum ex doloris regione petuntur. Nam ad imum ventrem iliaque & femora expeditum facilemque: ad lumbos, difficilem portendit. Cauſarum ſigna, ex parte matris ſunt, conſuetudo, natura, ætas, habitus,& victus: ex parte fœtus, magnitudo eiuſdem percepta,ex ingenti tumore ventris,dolore ad vmbilicum, morte quoque eiuſdem: cuius ſigna ſunt inferiorum partium vt pectinis pudendique & alui oppreſſio, venter iuxta pubem frigidus, ceruix quoque frigida, ſtomachi roſio, nauſea, vomitio, halitus putridus, lipothymia, oculorum cauitas, faciei pallor,epilepticæ conuulſiones,ventris ſuperioris

rioris & laterum depressio. Prognostica signa sunt, quod omnis partus difficilis fœtui matrique periculosus est: qui extenditur supra quartum diem enecat fœtum: item rupto peritoneo herniam, ruptis venis pectoris, hęmoptoē, phthisin, tussim, pupillis dilatatis visum offendit, fissurã sæpe ab ano ad vuluam diducit: ossa quoque coxigis distrahit. At verò partus fœlix esse solet mulieris ætate media, anno constanti, habitu eusarco, moribus integris, & cœlo temperato.

Curatio.

MEdicatio difficilis partus partim προφυλακτικὴ, partim curatiua est. Illa initio noni mẽsis, pauco ante partum tempore vsurpanda est, hæc in ipso partus principio. προφύλαξις igitur constat primum causarum externarum remotione; vt aeris æstuosi frigidique, crapulę, inedię, vigiliæ, & grauiorum animi symptomatum. Deinde internarum ablatione; vt debilitatis, per cibos euchymos alimentosos, minime excrementitios, neque astringentes: sed potius emollientes & modicè aperientes: qualia sunt iuscula caponum, veruecum, & vitulorum elixatorum cum foliis maluæ, spinachiorum, borraginis, petroselini, fœniculi, nasturcij, erucæ: & quæ duritiem ligamentorum fœtus emolliunt partiumque genitalium angustiam laxant: vt sunt coitus multiplicati, motus corporis sensim augendi, balnea, insessus & linimenta lumbis, pectini & pudendo admota, relictis emplastris astringentibus. ℞ foliorum maluæ, bismaluæ, cum radice, violarũ, parietariæ, acanthi, mercurialis, artemis. nepetæ, sabinæ an. m. ij.

feminis lini quart.j.caricarũ paria x.baccarũ lauri & iuniperi,flor.chamæmel. melilot.& lauẽdulæ. an. p. ij.decoquãtur in aqua dulci &c.pro insessu &balneo in quo tepido moretur per horam mane & vesperi per octo dies. fotus supplebit balneũ insessumque.

℞.olei irini amygdal. dulc. pinguedinis recentis gallinæ,& butyri non saliti vel loti an.quart.ß.medullæ cruris vituli vel veruecis, & spermatis ceti an.℥j.radicis iridis florentiæ ℥ ß. radicis aristolochiæ rotũdæ,myrrhæ,sabinæ & cinnamoni an.ʒ j.ß croci,& seminis lauendulæ an. ʒ j. cum cera citrina fiat vnguentum applicandum post balneum, detersо iam corpore.

Hæc remedia producuntur ad quartum diem ante partum:quo tempore pulueres aperientes &electaria vsurpentur.

℞. cinnamomi interioris & radicis pucedani an. ʒ.j.ß.sabinæ ʒ j. fiat puluis,detur scrupulus vnus cũ vitello oui,superbibendo hyberno tempore parum vini hippocratici,æstate verò albi, idque post exitum ex balneo,& vnctionem.

℞.cinnamomi electi ʒj ß corr.cass.fistul.℈ iiij myrrhæ & sabinæ an ℈ j conseruæ radicis eryngij ʒij. excipiantur saccharo aqua artemisiæ dissoluto, fiantque tabellæ inauratæ ponderis ʒ.iij.

℞.myrrhę & castorei an.ʒ j ß.cinnam.ʒ j.styracis & sabinæ an.ʒ ß. omnium puluis melle excipiendus,vt fiat opiata,de qua capiat ʒ.iij.vt supra.

Eadem facultate clysteres fingendi sunt ad molliendas fæces duriores, laxandaque fœtus vincula, & vteri ceruicem:sed pauca quantitate. Glandium ob acrimoniam& irritationem retentricis vteri facultatis vsus est suspectus. Tutiora sunt brodia præ-

pinguia

pinguia, ex decocto summitatum maluæ, violariæ, mercurialis, betæ & caricarum cum oleo dulci multo, aut butyro. Tuta quoque manna granata, & medulla cassiæ. Morborum denique quorundam curatio præponēda est: siue cōmuniū quales sunt febres acutæ aut diuturnæ alui fluoris, & hæmorrhagiæ: siue propriorū vt tumorū rhagadū hæmorrhoidū.

Curatio vniuersalis.

Partus difficilis curatio necessaria est in dolorum insultu: suntque eius ministri apud Platonē in Theeteto necessarij duo, medicus & obstetrix. Hæc perita sit artis huius, multipara, cōstans & prudens: quæ exemplo suo parturientem firmet, omniaque circa partum naturæ imitatione moliatur: tum in fœtu leniter ducendo, capite primo: tum in genitalibus laxandis manu blanda, resectis vnguibus, & oleo pinguive aliquo lubricata: tum in imitandis parturientis laboribus, & conatibus tempestiuis atque interpolatis. Dum instat exitui fœtus in strato ante focum parato in conclaui vel cubiculo bene clauso, mater decumbat, & redeuntes atque repetentes ex interuallis matricis & fœtus conatus & quietē æmuletur, ipsisq; interuallis quiescat. Medicus diætam & pharmaciam instituat: illam ex aere temperato, cibis alimentosis & euchymis, id est qui multum pauca mole & celeriter nutriant, qualia sunt iuscula, consummata expressaque caponum, carnium vitulinarum & veruecinarum: expressa iura earundem assatarum, succique concreti, vinum generosum aut etiam hippocraticum, vitelli ouorum. Licebit etiam odoramenta permiscere cibis, lipothymiæ reuocandæ

causa, vt confectionē alkermes, diamosch. dulce, ambram, moschum (neque enim metus est imminente partu vteri sursum ab odoribus retrahendi) aquæ quoque aureæ dictæ: vt imperialis, cælestis, & aqua vini, per se vtilissime vsurpentur. Præscribantur etiam intestinorum vacuationes per balanos acriores, vt irritetur excretrix vteri facultas. Consistet denique diæta ex motibus violentis, donec aperiatur sponte vterus: tunc enim quies tutior est vel in lecto vel in sella. Pharmaciam quoque instituat medicus primum quidem generalem, quæ partum iuuet à quacunque causa impeditum & difficilem per medicamenta interna externaque, tum manifestá, tum occulta proprietate, partum accelerantia: Huius generis sunt lapis aquilę alligatus femori, polypodium quercinum sub vtraque planta pedis collocatum, suffitus ex oculo piscis saliti, aut ex vngula equina aut asinina, cor è gallina adhuc viuente extractum, & dextræ coxæ alligatum. Itęm radix ciclamini, aristolochię, spolium serpentis, & corrigia ex pelle cerui parturienti instar cinguli applicata: anisum tostum odoratum, magnes manibus tractatus: Incantamenta etiam quędam obstetricibus: non solum medicamenta Plato permittit in Theeteto. Manifesta verò sunt aut externa aut interna, valde aperientia & tenuis substantię. Internorum exempla hęc sunt.

♃. cinnamomi electi & corticis cassiæ, fistul. an. ℈ iiij. croci ℈ j: fiat puluis, capiat ʒ j. cum vino albo aut aqua artemisiæ.

℞. cassiæ fistularis, radicis dictamni & cinnamomi an. ʒ j. fiat puluis, capiat vt supra: addito boracis ℈ j. fit validior puluis: sicuti per se potatus ad ℈ ß.

cum

cũm vino albo. In maiori difficultate conueniunt hæc. ℞. sabinę, assę fœtidę, ammoniaci an. ʒj. croci cinnamomi castorei an. ʒß. cũ aqua artem. fiant pil. capiat ʒj. vel, ℞. foliorũ rutę siccorũ ʒij. assę fœtidę & myrrhę an. ʒj. fiat puluis capiat ʒj. cum decocti sabinę ℥ ij. vel iij. Externa sunt aut admouenda aut immittenda: in horum numero sunt pessaria, quædam vehementiora, quædam leuiora. Violentioris hæc exẽpli causa erit formula, ℞. alum. myrrhę an. ʒ. j. ellebori nigri ℈ß. fiat puluis, & cũ vino pessariũ ex cotone & serico rubro. vel ℞. ellebor. nigri seu staphidi sagrię aristoloch. rotũdę, pulpę colocynthid. ammoniaci an. ʒj. fiat puluis & cũ melle pessarium. Leuiora sunt vt quod à Galeno describitur 6. κτ̃ τόπȣς ex melle myrrha & decocto lupinorum: tale quoq; hoc sit, ℞. croci & succi porri qr̃t. ß. fiat pasta. Item ℞. radicis raphani ℥ß. folior. mercurialis m. j. cassię ʒj. succi sabin. ʒj croci. ℈j. contundantur simul omnia, & cũ linteolo fiat pessarium. Tales deniq; asseruantur trochisci de myrrha, quorum ʒij dantur ex aqua artemisię. Suffitus quoq; excipiantur ex ligno aloes, cinnam. ladano styrace & ex trochiscis ex gallia & alipta muschata: admouentur lumbis, pectini, inguinibus & perineo fotus ex decocto foliorum artem. nepetæ, valerian. pulegij vtriusq;, graciolæ, satureiæ & similinm. Item ex eadem cocta tusaque materia, fiunt cataplasmata, sicuti etiam linimenta, quale est ex pœoniæ semine puluerato cum oleo chamæmelino. fortius est sequens.

℞. succi rutæ ℥ij. fellis tauri ℥j. medull. colocynth. ʒij. cinnam. ℈iiij. olei irini quant. s. misce, fiat linimentum. Huc spectãt clamor ingẽs, sternutatio Hippocrati aph. 35. libri 5. commota puluere

piperis albi aut ellebori albi in nares immisso, & vomitus penna in fauces immissa concitatus.

Curatio particularis.

CVratio particularis singulas difficilis partus causas internas vt matris vterique & fœtus propriis remediis exscindit. Matris igitur debilitatem vel ex natura vel ex ætate vel ex casu aliquo, roborat prædicto victu sæpe parceque adhibito: timiditatem confirmat exemplis mulierum quæ fortiter & salubriter eosdem labores exantlarunt. Sicciorem intemperiem vel insitam vel aduentitiam ex ætate, sicuti angustiam vteri ab eadem causa, fœtusque ligamentorum duritiem contumacem emollientibus emendat fotibus, & oleis ac vnguentis expositis in προφυλάξει. Huiusmodi etiam sunt blandæ pudendi, foris intusque obstetricum tractationes manibus vnctis vt ante dictum est. At angustiam eiusdem ortam ab abdominis obesitate corrigit, corporis figura dilatandis hisce partibus idonea: sicuti ex intestinorum compressione, & extractione fæcum per suppositoria acriora eandem ortam tollit. Angustię autem naturalis hæc incommoda declinantur, fugâ nuptiarum, aut conceptus declinatione: tum per victum sterilitati aptum: tum per emissionem seminis in diuerso tempore: tum, post coitum, per præcipitationem genituræ, ante septimum diem: aliis enim temporibus ab ea cauere debet medicus probus Hippocratis consilio, maximè per medicamenta vehementia: quæ matri sicuti & fœtui sunt funesta. Fœtum grandiorem post relaxationem partium vteri, dissolutionem ligamentorum fœtus, irritationem expultricis vteri facul-

ri facultatis, per remedia interna externaque paulo ante exposita, obstetricū manibus vnctis duci molliter oportet, quæsita prius corporis apta ad dilatādas partes figura. Quod si nihilominus resistet: etiā num viuus prænunciato mortis euentu fœtus fœtęque sinendus est, nisi sectione cæsarea extractionē eius ex vtero matris viuæ tentare lubeat. Huic tamē repugnare omnino videtur tū phlegmones magnæ periculum ex vulnere ingenti, venarum & arteriarum vteri plurimo sanguine turgētium: tū quòd cicatrix relicta, vulnere sanato nouæ prolis auctionem intercipit, dilatatione vteri prohibita: tum denique quia viriū matris infirmitas ex labore & conatu pariendi dolori nouo, & hæmorrhagiæ cessura est. Sin tamē mortuus sit, neq; prædictis remediis duci possit: ad ferrum & chirurgiam tandem decurrendum est, prius obuelato capite matris linteolis: ne tam horrendo huius carnificinę spectaculo exanimetur, authore Hipp. lib. de fœtus sectione, quam perdocuit accurate Paræus chirurgus libro de generatione hominis. Prius tamen & ante chirurgiam eductio ea tentanda est linteolis siue fasciis toti corpori circunductis, aut tenaculis obstetricum linteolo obductis. Hæc tamen chirurgia non suscipiatur debilibus matris viribus, deprehendendis ex pulsu paruo raroque, expiratione similiter parua raraque, facie cadauerosa, sudoribus frigidis, extremitatibus gelidis: sed tunc vnicum mortis prognosticum medico satis sit. Denique si plures sint fœtus duo, vel tres, vel quatuor, sigillatim extrahantur, nulla interposita mora: ne expultrix facultas matris vterique primo conatu fracta, omnino langueat post quietem in secundo

aut tertio. Præpostera etiam figura fœtus exituri obstetricis aut chirurgi manibus reformetur, vt ante expositum est.

Retentio lochiorum.

QVarta & vltima partus symptomatici species est, cum fit sine consuetis vacuationibus, cuiusmodi sunt secundarum, excrementorũ fœtus, & lochiorum. Secundæ tres sunt membranæ fœtum in vtero obuoluentes: prima & extima omnium amplissima totam vteri & cornuum eius superficiē totumque fœtum complectitur: membranis constat duabus, inter quas venæ arteriæque ab acetabulis vteri ortę ad fœtum nutriendum, deducuntur. Nascitur autem ex virili semine crasso & viscoso circa superficiem siccescente, à calore insito, tum seminis tum vteri: vt dictum est. Chorium vocatur vel per ὁ μικρὸν, quod arculi & coronæ instar totum fœtum circundet: aut quod in eo tanquam in choro quodam vasa sint disposita: vel per (ω) quod illa sedes sit fœtus, vel quod cũ fœtu χωρεῖ id est procedit, alio nomine vocatur δευτέριον id est secunda, vel quod à fœtu secunda formetur: vel quod natum infantem sequatur: vel denique tanquam fascis altera mulierem grauet, Gallis *arrierefaix*. Ita autē antonomasticè designatur peculiariter hęc membrana ob maiorem ipsius amplitudinem. Alioqui enim hoc nomē etiā cōmune est toti fœtus inuolucro, tribus mēbranis cōstāti, alio nomine ὑστέρα vocātur: quod tamē ad vterũ etiā pertinet. Sic apud latinos lochij mēbranę istę nominantur, quo etiā nomine vterus auditur. Secũda mēbrana è seroso fœminæ semine imbecillo paucoq; nata infantē fasciæ modo à mucronata cartilagine ad ilia tantũ cingit: tũ ab vno vteri

cornu

cornu ad alterũ porrigitur: tenuis enim ea est infirma angusta cauaque, ex duplici membrana cõtexta: hinc ἀλλαντοειδὴς dicta quod intestinis similis sit ex quibus farcimina fieri consueuerunt: non quod carnibus concisis plena sit, quin potius fere vacua: nisi cũ vrinâ fœtus repletur, ab οὐράχῳ delata. Tertia est fœtui proxima: quem totum inuoluit ἀμνίον dicta ob mollitiẽ, cùm sit tenuis, sed valde dẽsa fortisq; ne rumpatur fœtus pondere eiusq; motibus & aquarũ quas cõtinet copia, quasi sudorẽ mitẽ omnino & innoxiũ, ne violet fœtus cutẽ: cõcrescit autem fortasse aqua hæc è vaporibus frigidę membranæ contactu refrigeratis.

De partu naturali, & non naturali.

Est autẽ ordo hic in edẽdo partu naturalis: primũ infans inuertitur, crebrísque & magnis motibus interiores mẽbranas ἀμνίον, & allantoidem abrũpit: ac tãdem χόριον ipsum, quę excluso iam fœtu procidunt: aliquando tamen fœtus prodit amnio membrana inuolutus omine quidem, nón fœlicitatis alicuius, sed salubritatis futuræ: ea tamen aliquando partum remoratur, ideoque aperienda est prudenter ab obstetrice & sine vlla fœtus noxa. Non naturalis igitur partus cẽsendus est: quoties excluso fœtu mẽbranæ restãt. Symptoma est excretricis facultatis, cu ius symptomata comitantia sunt suffocatio hysterica, nausea, vomitio, singultus, lipothymia, syncope ex fœtidis vaporibus. Causæ sunt infirmitas matris excludẽdo fœtui lassatæ, vel viarum genitaliũ interceptio & angustia à tumore orto ob difficilẽ partũ, aut ex frigore imprudenter admisso: vel quia vtero adhuc inhęrẽt venarum & arteriarum nexibus: quod fere fit in abortiuo partu: vel denique quia in

vtero arido, nimísque sicco, post effusas omnes cum fœtu aquas, cunctantur.

Curatio.

Communes curationis scopi tres sunt, vt mater roboretur, vt viæ genitaliū laxētur & vincula fœtus dissoluātur: deniq; vt expultrix facultas sollicitetur. Robur ex victu exposito quærēdū est, laxitas partium, & dissolutio vinculorum fœtus cōparanda est è malacticis internis externísque, & præterea ex mixtis aperientibus ante expositis: Sollicitanda quoque expultrix est topicis immittendis, admouendis, sumendísque, tum etiā olfaciendis antea expositis. His omnib. sternutatio, vomit', singultus, vociferatio iūgūtur. At victis remediis his, obstetricū opera implorāda est vel chirurgorum: qui molli tractu vmbilicalium vasorum membranas diducant, aut si hoc modo non licet, manibus vnctis per pudendum & ceruicem, in locos muliebres illatis molliter easdem apprehendant: aut hac & illac blandè concutiant, si forte cotyledonibus adhuc hæreant: sed sine violentiâ, ne vase aliquo rupto hæmorrhagia funesta sequatur, quę phlegmonē abscessum & gnagrenam gignat: néve ligamēto vteri neruoso aliquo diuulso vteri procidentia aut conuulsio fiat. Monenda quoque obstetrix est, vel chirurgus: vt reuulsis secundis sanguineos tosumbos, diligenter abstergat, ne eorum putredinem suffocatio & syncope sequantur. Quod si ne hac quidem arte chirurgica fœtus ex vtero extorqueri possit: tum ad putrefacientes iniectiones decurrendum est: vt ex vnguento basiliconis cum oleo liliorum dissoluti: vt corruptæ secundæ frustatim per vuluam tandem excludantur.

De excrementis fœtus.

EXcrementa primæ coctionis nulla sunt, in fœtu, quia eius ventriculus os & intestina sunt otiosa, neque chylosin vllam moliuntur, cùm sanguine materno excrementis vacuo nutriatur. Secundæ coctionis excrementa duo sunt: vnum crassum (sanies cruenta) id est crassus & fæculentus sanguis, qui residuus est à coctione sanguinis materni, in hepate: & per venas mesaraicas in intestina, indéque in chorij membranæ spatium refunditur: alterum est tenue, id est vrina per porum vrinarium (οὐραχον vocant) seposita in cauitatem allantoidis membranæ, ne cutem fœtus & vteri tunicam rodendo violaret: & irritata facultate expultrice immaturum partum præcipitaret. Tertiæ coctionis excrementa duo etiam sunt: crassum, quod sordium nomine designatur: & tenue, sudor nempe ex vaporibus frigidę membranę contactu cõcretis. Vtrumque in amnio conclusum fœtui pro mollissima culcitra est. Est enim mitissimum, purgata scilicet omni bile tum per vrinas, tũ per propriam vesiculã tam in corpore matris, quã fœtus ipsius. Omnia hæc excrementa in vteri propria sede coaceruantur ad instantis vsque partus tempus: neque enim ante foras profluere dehiscente vteri orificio sine abortus discrimine possent: dum eruptione sua, genitales partes emolliendo, humectãdo & lubricando laxãt, partum procliuem efficiunt: siquidem paulo post fœtus emittatur, alias grauis partus esse solet, nisi partes illæ, naturæ imitatione, pinguibus oleis intus forisque madeant & perungantur.

De excrementis puerperarum.

EXcremẽta verè muliebria sunt, lochia purgamẽ-

ta dicta, quæ post partũ & secũdas fœtusq; excremẽta euacuãtur. Sũt autẽ vera καταμήνια, nisi quod post partũ, illa verò ante partũ prosiliant: materia enim eorũ est reliquũ sanguinis illius mẽstrui, qui nõ solũ initio cõcepti seminis & ante absolutã fœtus conformationẽ in corpore matris retentus est: sed qui toto gestationis tẽpore superfuit nutritioni fœtus eiusdẽ. Eorumvacuatio varia est, pro sanguinis mẽstrui abundãtia, sexúsq; fœtuum discrimine: nam in mulieribus fœminam enixis, ad duo & quadraginta dies pertingit perfectissima: vacat tamẽ periculo, si ad viginti quinq; dies prouecta sit. In puerperis ma rẽ enixis, dies triginta implet perfectissima: perfecta tamẽ est vigesimo die: fœminã enim marémq; dissimilib. istis dierũ spatiis cõformauit ob dissimilẽ vtriusq; ex semine tẽperiẽ, maris calidiorem sicciorémq;, fœminę frigidiorẽ & humidiorẽ. Ob hãc etiã temperiei dissimilitudinẽ fœmina minus in vtero, mas plus alimẽti cõficit. Variat etiã lochiorum abundãtia, ob ætatem puerperarũ. Iuuenes enim infra 22. annũ parcius minúsq; repurgantur, quod minus illis sanguinis supersit, vt quẽ in augmentũ propriorum corporũ absumãt. Seniores vero copiosè magis & diutius, vt pote quibus nulla sãguinis pars accretione corporis proprij cõsumpta est. Variat denique; ex natiua vel accidentali causa singularũ puerperarũ. Illa duplex est, vna ex genere, altera ex natura. Illa nascitur, si generis & familiæ illius cęterę mulieres ita purgari parce vel abundãter cõsueuerint. Hoc Hippocrates vocat vterinũ, siue ex vtero matris allatum, quasi hæreditarium, siue ex vteri vitiosa quadam cõformatione, proueniens: vterus enim siccior, frigidior, densior, & angustiores venas habens sanguinis parũ continet, redditq;: Vt secũdùm

naturam ſpectatur ſi à prima eruptione lochiorum, in primo partu ſuo vſque ad poſtremum vltimũq; partum, pariat ſemper multitudine vel paucitate eadem perſeuerante. Cauſa aduẽtitia eſt vel ęgritudo aliqua: qualis eſt expoſita cap. de ſuppreſſione & redundantia menſiũ: aut victus prægreſſus delicatior, vel ærumnoſus. Vacuationis quantitas initio quidẽ ſit heminæ Atticæ vnius, quæ pendet ℥viiij & ß. quæ purgationis quãtitas ſenſim minuatur, donec omnino deſinat. Sanguinis ſpecies in bene valente ſimilis ſit ſanguini victimæ, quæ non niſi eximia & ſaluberrima deligitur, hoc eſt ſit ſincerus & ruber, nec vlla in re vitioſus, non citò nimis, aut ſerò concreſcens: illud enim ſiccioris, hoc humidioris ſignũ eſt. At in intẽperata puerpera ſanguis parcior & vitioſus nec cito concreſcens exit. Porro huius vacuationis ſicuti & menſiũ ſymptomata ſũt ſuppreſſio, deprauatio, & redũdantia & diminutio. Suppreſſionis cauſę euidẽtes ſunt refrigeratio, ſubitus mœror, metus & ira. Internę ſũt vteri peruerſio, orificij interioris obturatio, vel à grumo ſanguinis cõcreti, vel ab inflãmatione, aut tumore aliquo. Redũdãtia autẽ fit in puerperis ruptis, & nimis dehiſcentibus acetabulis venarũ vteri: vel à laborioſo nimis partu, vel abortu. Illinc morbi acuti duplices: alij particulares, vt phlegmone totius vteri, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, &c. alij vniuerſales vt febris cõtinua. his aũt efficaciſſimè medetur promptiſſima & copioſiſſima phlebotõia in venis poplitis & malleoli, primis ſaltẽ puerperij dieb. nã mediis aut vltimis, quib. iã finita lochiorũ vacuatio eſt, phlebotomia parcior conuenit. In particularib. cõtra vt phrenitide, &c. venæ cubiti aperiẽdæ ſũt, (miſſa ſaphena) deriuationis ſimul

& reuulſionis gratia. Purgatio quoque omittenda non eſt, quæ cacochymiam educat putredinis materiam. Redundantiæ lochiorum eadem methodus eſt curatiua, atque menſium immoderatorum, ante expoſita capite proprio, atque per reuellentia primum remedia, qualia ſunt, deligationes & frictiones dolorificæ brachiorum, cucurbitulæ magnæ, cum flamma multa, ſiccæ ſub mammis appoſitæ: deinde per phlebotomiam ſi opus ſit in cubito: poſtremo per topica aſtringentia & refrigerantia, quibus adde victum ſimilem. Vide cap. de redundantia menſium.

De affectibus puerperarum.

PVerperas multi affectus exercent, ab vtero & in vtero. Hi ſunt, rhagades pudendi, exulceratio ceruicis, dilaniatio perinei, tormina, tumor, amplitudo, ſtrangulatus. Illi ſunt rugæ ventris vlcera, & particulares phlegmonæ abſceſſuſque, vt laterum, pulmonum, faucium, cerebri, febres acutę primarię, & mammarum tumores.

Diæta puerperarum.

HOrum omnium curationi præponenda eſt puerperarum diæta conueniens: cuius tres ſunt ſcopi: Inſtauratio virium, laſſitudinis leuatio, & præcautio torminum, febrium, lactis vberioris, & aliorum affectuum. Victus quidem tenuiſſimus eſſe debet ad ſeptimum vſque diem, ſed creber: tum ob virium, ex copioſa vacuatione magnoque dolore, debilitatem: tum ob periculum declinandum febris, lactis &c. In primis tamen ſit cibus valde alimentoſus, & euchymus: qui prompte vires fatiſcentes

tes colligat. Tale est expressum capi, iusculum & consummatum eiusdem cum croco & puluere ducis: talis gelatina & panis tostus vino aromatite tinctus. Tales vitelli ouorum duorum &c. Deinceps vino abstinendum est & alimentosis illis cibis quos mulierum ignara sedulitas ex caseo & concisis carnibus concinnare solet: idque ex consilio Hippocratis & Galeni 2. de diæta in acutis. Vtentur iusculis pullorum tantum, aut carnium veruecinarum, paneque in eis tincto. Lassitudo vteri, totius ventris, & lumborum aptissime lenitur, secundinis adhuc calentibus ab vtero, citissimè impositis hypogastrio, & circiter horam vnam ibidem relictis: deinde iisdem sublatis mox inducenda est lumbis, præsertim toti ventri, ad pubẽ vsque pellis veruecis aut arietis recens iugulati, quæ per quinque aut sex horas ibidem sinatur, eoque tempore puerpera indulgeat quieti & somno, clausis diligenter cubilis, & fenestris & ianuis, ne quis aer subeat: tum demum deterso sudore vel madore, & pelle retracta, rugarum ventris prohibitioni studeat medicus. Hic affectus præcauebitur tum fuga frigoris clauso diligenter conclaui, vt dictum est, & decussatis femoribus, ne frigidior aura prorepat in vuluã: vnde ipsa refrigescat & intumescat, & acetabula occludantur, lochiaque supprimantur: vnde phlegmonę, febres, tormina, aliaq. funesta symptomata oriũtur. Pręcauetur etiam quiete corporis & animi, ne motus violentus & intempestiuus vterũ vel præcipitet vel peruertat, laxioribus adhuc vinculis: aut ne metus mœrorque lochia cohibeat: aut gaudium effusũ exaggeret. Denique hypogastrij constrictione per fasciam quatuor digitos latam: quæ tum sanguinem

eiusquegrumos ex vteri sinu totaque eius substantia exprimat:tum ab eodem coangustato aerem frigidum arceat. Iniicienda autem est fascia confestim remota pelle veruecina.

Rugarum ventris puerperarum curatio.

RVgæ ventris puerperarum deleantur medicamentis malacticis & modicè astringentibus hypogastrio impositis, bis quotidie, post remotam pellem veruecinam: idque toto decubitus & puerperij tempore: Eorum exempla hæc sunt.

℞ spermatis ceti ℥ ij olei amygdal. dulcium & hyperic. an. ℥ j ß seui hircini ℥ j fiat vnguentum.

℞ olei hyperic. aneth. & chamæmel. ana ℥ j olei myrtini ℥ j olei mastich. ℥ j ß spermatis ceti & seui renum hirci ℥ ß axung. ℥ j croci ℈ j mosch. ℈ ß ceræ citrinæ quantum sufficit, fiat vnguentum. Præstantissimum est sequens.

℞ limacum rubr. ℔ j florum anthos ℥ viij concisa omnia coniiciantur in vas fictile plumbo oblitum: quod fideliter obturatum, demersumque in fimum equinum sinatur ibidem per quadraginta dies: deinde totum id exprimatur, expressoque liquore vngatur quotidie bis hypogastrium, vt dictum est, cum regione inguinum: post vnctionem tegenda est continenter regio eadem tela dicta (galderina) quę ligetur diligenter cum fasciis lineis. Telæ apparatus hic est.

℞ ceræ nouæ ℥ iiij spermatis ceti ℥ ij terebinth. Venetæ aqua citranguli lotæ ℥ j ß olei hyperic. & amygd. dulcium an. ℥ j olei mastich. & nardini ana ℥ ß axungię cerui ℥ j liquefiant omnia simul: deinde liquefactis atq; ab igne remotis statim immerge te-

lam

lã enanabinã, ad vẽtris magnitudinẽ quã circũferat puerpera toto (vt dictum est) decubitus tempore.

Dilacerationis perinei curatio.

DIlaceratur perineum aut grãdioris fœtus partu difficili, aut mortui extractione violenta, quæ podicis & vuluę foramina aliquando cõiungit. Curatur sutura & medicamentis agglutinantibus impositis, vt bolo, terra sigillata, sanguine draconis cum albumine oui, oleo rosaceo in formam vnguẽti super stupas cannabinas: ne quid tamen subeat ceruicem, ne vacuatio lochiorum impediatur. Curatio hæc pudendum coangustat inducta cicatrice & alterius partus facilitatem aufert.

Rhagadum pudendi curatio.

RHagades & fissuræ extremitatũ neruearum in labiis, papillis, ano & pudendo, sæpe oriuntur: à causa distendẽte & diuellẽte; vt in puerperis à partu difficili: vel à causa supra modũ exsiccante: veluti vento boreali, aut ęstiuo, vel ab expiratione viscerũ calidiorum: aut transfluxione humorum acrium, & salsorũ. Curationis scop⁹ triplex est, lenitio doloris, mollitio siccę intẽperiei, & agglutinatio labrorũ dissidentiũ. Formula talis est in primũ & secundũ diẽ.

℞ album. ouor. ij olei hyperic. & myrtini an. ℥ j ß misceãtur & cum linteolis & stupis applicẽtur rimis pudendi externis, intacta ceruice. Profuerit tamẽ decocto sequenti fouere. ℞ vini rubri ℔ j aquę ℔ ß rosar. rubr. & florũ hyperic. an. p. ij fiat decoctio & fotus bis in die, deinde ad quintum vsque diem decubit⁹, sequentibus fotibus & vnguentis erit locus.

℞ vini albi ℔ j. aquę ℔ ß rosar. rub. p. ij acinorũ vuæ, corticis malorum granatorum, myrrhæ & aluminis

an.ʒ ij.decoquantur,& fiat fotus.

℞. olei hyperic.℥ ij. ſpermatis ceti ℥ß. cum cera alba fiat vnguentum.

De puerperarum torminibus.

TOrminum in puerperis proxima cauſa eſt, ſolutio vnitatis venarum vteri à vehementi earum diſtenſione præ copia & craſſitie etiam menſtrualis materiæ, quæ toto geſtationis ſpatio collecta eſt,& ab vniuerſo corpore adiuuante expultrice facultate,in vterum inanem & vacuum à fœtu irruentis. Huius etiam pars calore partis ſoluitur in flatum diſtendentem. Frequens etiam eorundẽ cauſa eſt ſanguis in vteri cauitate retentus,liquidus cõcretuſue,iamque putreſcens & vaporoſus, quem laſſata vteri expultrix facultas ob priorum laborum vehementiã non aggreditur. Cauſæ hæ impugnantur ſanguinis concreti extractione per manus obſtetricis:Prior illa curatur internis medicamentis externiſque, calefacientibus quidem omnibus:ſed his laxantibus etiam & digerentibus: illis aperientibus, attenuantibus,& flatus conſumentibus. Illorũ exempla ſunt.℞.ſem.aniſi,ligni aloes,&cinnam.an. ʒij.nucis moſchat. cornu ceruini vſti an. ʒjß. nucleorum dactylor. vel amygdal. ʒj. fiat puluis,capiat ʒj. cum vino albo vel cum aqua artemiſ. ℞. rad. conſolidæ maioris ʒij.nucleorũ perſicor.& nucis moſchat.an. ʒj.carabeʒß.ambrę griſeę grana iiij.fiat puluis:detur vt ſupra. Externorum hypogaſtrio apponendorũ exempla ſunt,℞.vitell.ouor. ſub prunis coctorum n. xij.ſeminis lini &fœnugræc.an.ʒjß.florũ chamæmeli,meliloti &aneti an.ʒij. coquãtur in oleo chamæmelino,donec reducantur ad formã cataplaſmatis: quod

quod applicetur calidè ventri, semper reiterando antequam refrigescat. vel ℞. chamæmel. meliloti aneti & anthos an. p.j. sem. anisi lini fœnugr. cumini an. ℥ß. decoquantur in iusta portione vini & aquæ fiatq; cataplasma. Commoda quoq; hypogastrij totius per fascias deligatio torminibus medetur, dum ex vteri venis compressis lochia exprimit.

Curatio tumoris vteri.

TVmet puerperarum vterus flatuum copia, vel ibidem genitorum (ex restitantium lochiorũ in flatum versione à calore loci) vel à temeraria vteri refrigeratione auræq; admissione. Curatur emollitione & discussione per externa remedia, qualia sunt cataplasmata ante exposita, qualia oleũ rutaceum, laurinum, costinũ, philosophicum petroleum, mixta cum oleo liliorũ & chamæmelino: qualis denique sacculus lineus, auenæ, milij, salis, furfuris, & cumini in sartagine frixorum, paribus portionibus repletus, & calens superadmotus. Pulueres præscripti idonei quoq; sunt, sicuti & clysteres discutiẽtes vocati, aut etiam pessaria & iniectiones vterinæ.

Curatio motuum vteri.

MOuetur puerperarum vterus, sursum deorsũ (ascensus & descensus dicitur) & foras (præcipitatio dicitur) & ad latera, vnde peruersio eius & obliquitas nascitur. Motus huius causa naturalis est, non animalis: interdum quidem facultas attractrix, quæ rem gratam persequitur: interdum vt in puerperis expultrix, dũ delitescentẽ intus saniẽ, aut corruptum sanguinẽ fugitans huc illuc insanis motibus per ventrẽ torquetur. Altera causa incitans interna,

est sanies vel corruptela sanguinis retenti. Sic causa sine qua nō est laxitas appendicū vteri orta ex gestatione grādioris fœtus: vel copiosi sāguinis perfusione, vt pituitosi. Conuelluntur tamen etiam ab inflammatione iidem appendices cum dolore implacabili & furore vterino: huius casus vnicum & singulare remedium est galbanum hypogastrio impositum: in cuius medio moschi momentum vel galliæ admixtum sit: quod tantisper sinatur, donec vterus sese exonerarit. Hactenus de affectibus vteri à partu.

De affectibus mammarum.

EX affectibus ab vtero præter febres acutas & phlegmones diuersarum partium, quidam etiā mammas priuatim exercent: vt redundantia lactis, & eiusdem corruptio per caseationem, grumefactionem, suppurationem, putrefactionem, maligna vlcera, menstrui abundantia, ex qua phlegmone, abscessus, vlcus, scirrhus & cancer, quorum omniū curationi anatome mammarum præponenda est.

Sunt igitur mammæ corporis partes in vtroque pectoris latere ob vicini cordis calorem sitæ, glandulosæ & venosæ, semicirculares, vt sint sanguinis & lactis capaciores: lactis procreatices & conseruatrices, substantia quidem glandulosa, pro sexus atq; ætatis discrimine, admodum varia: viris quidē fere nulla & puellis pusillis: vtrisq; sanguine ad propriā nutritionem suppetente tantum: at iuuenculis & nubilibus compactior & duriuscula ex sanguine menstruo sursum regurgitante: vetulis flaccidæ, deficiente sanguine ob caloris inopiam. In mammarum medio papilla est, quasi capitulum quoddam: ex quo lac extrahitur: substantia penis simillima, foris scilicet cu-

cet cute admodum ſenſili quodammodo neruea, intus ſpōgioſa: vnde erigitur, inflatur, laxaturq;, accedente, vel recedente ſpiritu & ſanguine, vt per fricationem & mulctum. Cōtinet venarum ſurculos per glādulosam ſubſtantiam ſparſarum: è quibus lac effūditur. Cingitur ambiturq; circulo quodam nigricante (φῶς vocant græci) Quia autem mammæ lactis gignēdi & continendi inſtrumenta ſunt, cuius materiā à ſanguine menſtruo ſuſcipiunt, idcirco plures ramos à vena caua deſcendente accipiunt: tum internam brachij quæ ſub axilla fertur: tum externam tam quæ ſuper humeros repit, quam quæ ex iugulo ſummoque ſterno in pectus deſcendit: quarū aliæ in mammas abſumuntur: aliæ in muſculos rectos abdominis delapſæ ſurculis aliquot ſuis paulo ſupra vmbilicum occurrunt totidem ſurculis venarū hypogaſtrij, vt quibuſdā anatomicis videtur, ex eodē concurſu vtriuſque ſpeciei venarum, vtriuſq; partis ſympathiā ſtatuentibus, nec non materierū mutuā trāſmiſſionē: de qua antea plura diſſeruimus: Indeq; cōſenſus oritur mutuus mammarum & vteri, atque materiarum hinc, inde, reciproca trāſmiſſio. Lactis igitur generādi materia eſt ſanguis mēſtruus & redūdās: effectrix cauſa eſt natiua facultas aſſimilatrix glandularū, ſicut ex ſanguine eâdem vi teſtium, qui glandulæ ſunt, ſemen exalbeſcit elaboratum. Tēpus in puellis non grauidis eſt pubertatis ætas, ſed tamē verum lac non eſt: in grauidis quando moueri cœpit fœtus: id eſt tertio menſe vbi mas: quarto vbi fœmina geritur. Huius ſigna ſunt Hippocrati libro de natura pueri, mammarum & papillarum extuberantia: ſanguis enim nec à fœtu aſſumptus, ob multitudinem: nec vtero veniſque contentus,

magna ex parte regurgitat in mammas, tum necessario: vt in earum vacuitatem recipiatur: tum certa naturæ prouidentia, vt inde puer alatur. Ob istud igitur mammarum & vteri consortium, ex vtraque materia sanguinis menstrui & lactis, prędicti affectus puerperarum mammas inuadere solent. Redundantia lactis symptoma est secundi generis, nempe excrementi, tametsi vtilis, præter naturam in mammis retenti: quod fœtui matrique est noxium, illi quidem vernis conuulsis vel ob cruditatem crasso replente flatu, vel acri putrique lancinante: huic distentis, inflammatis, & exulceratis mammis. Huius redundantię proxima causa est sanguinis menstrui affluentia, sæpe quidem ex partu; aliquando etiam ex suppressione mensium: propter grauiditatem: aut aliam causam morbificam; in non grauidis fœminis: in his enim si non in habitum, sanguis exuberans regurgitet, aut alio foras per venas, vt per hæmorrhoidas & nares feratur, in vbera raptus, in speciem lactis vertitur: maxime si mulieres sint natura humida, calida, ætate florenti & victu indulgenti, neque tamen in non grauidis, grauidisque, sicuti nec, biduo aut triduo à partu, in puerperis lac verum est, & vtile fœtus alimentum: habet enim tunc concretionem quandam & spissitudinem spõgiosam: ob quam in recens natis, in speciem casei, facile densatur, vnde epilepsiæ, viscerum obstructiones, febres, & vomitiones. Vitium hoc lactis, vt ante dictum est, colostrum & colostram latini vocant (Græci proprio nomine carent) & pueros ab eius lactis suctu affectos, colostratos: qui nempe lac matris quæ nuper peperit: aut nutricis prægnantis suxerint. De hoc dicebat Plinius lib. 2. cap. 41. lac mater-

maternum biduo à partu gustasse mortiferum esse, fœtui scilicet. Hinc denique nutricibus interdicitur coitus, medicorum consensu: qui aliàs libidinem earum extingueret vtiliter.

Curatio.

HVius redundantiæ terapeia, partim *προφυλακτική*, partim curatiua est. Illa constat diæta primū tenui ad septimū à partu diem tēperata siue aromatibus, vino, ouis, carnibus, soloq; pane intincto in iure pullorum aut panatellis, amygdalatis, hordeatis, aqua pro potu, summa animi & corporis quiete. Atque hic sit victus puerperarum, at in grauidis & non grauidis constet aere vel frigido siccoque, vel potius calido & sicco, lactis substantiam digerēte, & æstate aut autumno, motu corporis vehementi, vigiliis, cibis frigidis siccisque, sicuti antea expositum est capite de duritie mammarum. In prægnātibus alia præseruationis ratio tota est reuulsoria & repercussoria. Reuellentia igitur remedia sunt præter frictiones duras, deligationes arctas, crurum femorumque, atque eorundē & pudendi fotus, per linteola calida sæpe repetita, cucurbitulæ siccæ internæ femorum regioni, & externæ pectinis ad finē rectorum musculorum appositę, & clysteres molles tergentesque & aperientes. Phlebotomiæ si lochia procedant locus non est: at iisdem parcius procedentibus illius vsus est in poplite & malleolo, in pręgnātibus verò in cubito, ne citetur abortus. Venæ inferiores aperiantur in effœtis & non grauidis tum ex cubito si plethora sit, tum ex inferioribus partibus reuellendi causa. Purgatio quoque lenior reuulsionis causa effœtis & prægnantibus conuenit

pro cacochymiæ specie admixto astringenti puluere vt rhabarbari & myrobalanorum : sed puerperis nocerent. Alterum προφυλάξεως caput est in remediorum repellentium vsu positum quæ eligantur leuiora non nimis frigida & adstringentia:tum ne lac sanguinemque antea collectum congelent: tum ne cordi & respirationi nimis refrigerando obsint : sed leuiora frigida aut validiora, aut paucis laxantibus & discutientibus mixta in principio, idque linimenti vel fotus vel cataplasmatis vel cerati specie.Formulæ tales sunt.

℞.olei rosae.& myrt.an.℥ iij.aceti rosacei ℥ misce & liniantur mammæ calidè in circuitu ter, quaterue quotidie, & continuo aspergantur puluere myrtillorum.vel,

℞.vnguent.rosac.& cerati santal.an.℥ j ß olei rosac.& chamæm.an.℥ ij.fiat vnguentum, applicetur vt supra toto primo die.vel,℞. vnguent. albi ℥ iiij. lauentur cum aceto acri. vel, ℞. argill. forti aceto mixtæ quart.ß id est ℥ iiij. vel, ℞. nidum hirundinis in aceto solutum instar vnguenti, vtere his omnibus ad finem diei, atque hæc in circuitu ad astrictionem venarum & interceptionem dilatationis sanguinis vsurpentur. Toti verò mammæ ceratum ex cera noua & digerente ob mixtum lac obducetur relicto foramine per quod papilla ad lac fūdēdum se exerat. Quod si fluxionis impetus tum repercussus videatur,admouebis ceratum sequens reliquo decubitus tempore mā marum magnitudini æquale.℞.mastich.℥ ß boli armen.terræ sigill. irid. flor.an.ʒ iij. nucis mosch.seminis erucæ & fœniculi an.ʒ ij.olei myrt. & amygdal. dulc.an. ℥ j.ß ceræ nouæ quantum sufficit,fiat ceratum.

Reme-

Remedia incrementi.

Contra si tumor calorque & dolor mãmarum augeatur: primùm calor extinguendus, vt appositis foliis lactucæ, nymphεæ, sæpiúsque mutatis, aut incoctis etiam cõtusisque, vel miscella prædicta aquar. rosarũ & aceti: Deinde laxãtium & digerentium dosis augenda, modúsque repellentium minuendus. atque hoc curationis veræ est initium. In incremento & statu hæc poterunt vsurpari.

℞. folior. hederæ terrestr. vincæ peruincæ, bursæ past. rosar. rubr. & florum chamæm. an. p. j. alumimis rochæ ℥ ß coquantur in oxycrato. Ex hoc decocto fiat fotus cum linteolis & spongiis ter quaterue interdiu, tepide per semihoram singulis vicibus. vel,

℞. aquę lilior. menth. & chelid. maior. an. quart. ß aquæ rosſ. & plantag. an. ℥ j. misce & foueatur pars supra. Similis est fæx vini aceto diluta instar vnguenti. Similis quoque est cancrorum fluuiatilium vstorum cinis cum aceto mixtus. Cataplasmata parantur ex decocti præcedentis residentia contusa. Eodem tempore vtetur etiam puerpera internis exsiccantibus & absorbentibus lac. vt,

℞. agni casti ʒ j. seminis cumini ʒ ß croci ℈ ß coquantur in brodio & capiat ℥ viij. mane & vesperi. Efficacior est hic puluis sequens. ℞. seminis fœnugræc. ℥ ß sem. petros. & viticis an. ℥ j. corall. rubr. & cornu ceruini vstorum ana ℥ ß sacchar. pondus duplum, fiat puluis, capiat cochlear vnum mane & vesperi cum pauco iusculo. Iam vero in declinatione, euanescente scilicet sensim tumore calore & dolore digerentibus solis sine repellentium mixtione locus esse debet. Exemplo sunt hæc:

℞.decocti foliorum betę,apij &menth. quāt.sufficit,fiat fotus.Ex eadē materia cōtusa fiat cataplasma. vel, ℞.decoct.foliorum berulę,cressonum,menthę in vrina & vino albo coctorū quāt. sufficit,fiat fotus. Ex residentia fiet cataplasma efficacissimum, vel

℞.folior.salu.apij menthæ cerefol.&chelid.an.m. j.cōcisa omnia minutim cōcorporētur in cataplas. quod apponatur ter aut quater quotidie calidè & priori reiecto.vel ℞.farinæ fabar. orisæ & lentium an. ℔ ß succi chelid. & menth. an. ℥ iij. oxymel. quant. sufficit,fiat cataplasma. Quod si horum remediorum vsu lactis redundantia dissipari nequeat idipsum suctu copiose extrahendum est, vel per instrumentum vitreum, vel potius per admotas papillis virgunculas aut mulieres cordatas, quæ leuiter & sine dolore exsugant. Suctus tamen ille nusquam nisi repletione mammarum immodica & mulieribus lactationis doloribus assuetis vsurpandus non est, quòd alias dolore aucto & sanguinis fluxione lactis copiam augeat: vt enim vasa spermatica coitu, sic mammarum venæ suctu dilatantur. Atque hæc therapeia protinus in fine partus post sex horas: sed remota prius pelle arietina est producenda, ad integram lactis dissipationem in puerperis puerum non alituris, id est ad finem vsque fluxionis lochiorum: sed in aliis lactaturis ad initium tantum declinationis, cum iam materiâ repressa in initio, & paulo post breuiter discussa, calor deferbuit & dolor leuatus est,per medicamenta modicè digerētia laxātiaque, quale mulierculæ nostræ conficiunt cataplasma.

℞. mellis partes quatuor, butyri recentis vel loti partes ij. succi menth.& betæ vel chelid.quant.suff. fiat

fiat cataplasma. Huic simile est ex melle & butyro solo. Sic & vnguentum resumptiuum: sic & folia betæ & acanthi ad ignem tabefacta & imposita.

De caseatione lactis.

MAmmarum tumor è lacte non dissipatus degenerat tumorum aliorum naturaliũ instar, in scirrhum aut abscessum aut corruptelam & gangrenam. hic scirrhosus mammarum tumor ex lacte aliis grumefactio, aliis caseatio vocatur, ob similitudinem sanguinis extra vasa à frigore, aut lactis à coagulo concreti. Causa materialis est lac prælertim crassum terrenumque, quale est ex reliquiis menstrui sanguinis à fœtu non absumpti, in prægnantibus aliquando, in puerperis semper, in quibus tribus aut quatuor primis à partu diebus cogitur. Causa efficiens tum calida tum frigida est. Cùm enim Aristoteli 4. meteor. liquidorũ concretio à frigore, sic solidorum à calore existat, lac vtriusque substantiæ serosæ & terrenæ particeps vtrique concretionis speciei & causæ est obnoxiũ. Tam intus quàm foris à frigore quidẽ cogitur apud Gal. 3. de facult. alimentorũ cap. de oxygalacte: à calore verò lib 5. de facult. simplic. medicam. cap. 13. vbi diuretica cum coagulo cõparat. Est autem coagulũ lac diutius retentũ in tertio vẽtre animalium ruminantium, ibíq; fermentatũ, vnde astringens est, propria substãtia; igneũ, incidens & acre ex alieno calore, sicuti & fermentũ ex pasta diutius cõseruata acre euadit ex putredine. Sic etiã in ventriculo hecticorum lacte nutritorũ duplicem subire corruptelam lac solet, vnam à calore vt indicat ructus nidorosus, alteram à frigore quod apparet ex ructu acido. V-

trãque medici declinãt mixta aqua aut saccharo rosaceo si calor, vel melle si frigus metuatur. Cõcrescit igitur etiã lac in mãmis ab vtraq; intemperie, calida scilicet & frigida, siue illa mãmarũ propria sit, siue ascititia vel ex aeris exuperãtia vel medicamentorũ appositorũ, repercutiẽtiũ aut minus digerentiũ vsu. nascitur autẽ hic tumor ex variis particulis durioribus. Calidã autẽ intemperiem demonstrant, tumor maior, dolor acrior, calor vrens papillas & partes vicinas, denique febris: frigidam testantur tumor grauans, minorque frigoris sensus in mammis.

Methodus curatiua.

CVrandi huius scirrhosi tumoris ex lacte concreto scopus vnus est cõmunissimus, vacuatio materię eius per resolutionẽ, terminationis tumorũ naturalium speciẽ optimã & facillimã. Indicationes curatiuę multiplices occurrũt: à materia quidẽ attenuãdi, detergẽdi, emolliẽdi: à causis verò efficientibus, calefaciendi & refrigerãdi: vtræq; indicationes materię, & causę efficiẽtis sunt permiscendæ. Cûm enim cõcreta sit lactis materia, quod vi caloris concreuit, illud frigidis: quod vi frigoris, illud calidis dissoluẽdũ est. Cõcretioni lactis à frigore cõueniũt calida quidem remedia intus forisque: sed leuissima, ne calidiora desiccando cõcreti lactis cõtumaciam augeant: aut irritata sanguinis fluxione materiam eiusdem multiplicent & inflamment. Internorum medicamentorum exempla hæc erunt.

℞.rad.eryng.& fœn.an.℥ ß cimarũ petrosel.fœn. cerefol.& hyssopi an.m.ß sem.ap ij ʒ j. cicerũ rubr. p.j.coquãtur, & in colat.℥ viij.diss.syrup.de quinq. radicib.& oxymel. simpl.an.℥ j fiat potio detur bis in die. Coagulum leporis aceto solutum aut vicum pauco cinnamomo ad ʒ j singulariter

ſanguinem & lac concretum diſſoluit ſi potetur ad ʒ j. Externa verò in hunc modum pręſcribi poterũt. ℞ radicis altheę, lilior. & raphani an. quart. j flor. chamæmeli, melilot. an. p. j ficuum paria viij ſemin. cumini & lini an. ℥ j ß ſem. apij ʒ iij coquãtur ſimul cum aqua, & hoc decoctum cum ſpongia tepidum vſurpetur mane & veſperi per horam integram. Itẽ ℞ olei lilior. chamęme. & anethini an. ℥ ij miſce fiat embrochatio poſt fotũ. Deniq; reſidentia decocti cõtuſa cretaq; miſcebitur cũ farinę fœnugręci ℥ iiij. croci ʒ ij myrrh. ℥ ß & ſapę q. ſ. vt cataplaſma fiat quo deinceps pars tegẽda eſt. Cõcretioni lactis à calore cõueniunt, ſi quidẽ acrior eſt calor: tũ linimentũ ex mucagine ſeminis pſyllij cum cera alba: tũ embrochatio ex aquę ℔ j vini albi ℥ iiij aceti ℥ ij. Mitigato calore vſurpentur ſequentia in primis oxyrrhodinũ ex olei roſarum & chamæmel. an. ℥ ij aceti roſacei ℥ j croci ʒ j myrrhæ ʒ ij. Itẽ puls ex farinæ fœnugr. ℔ j olei violac. ℥ iiij aceti roſ. ℥ ij. Fotus deniq; & cataplaſmata prædicta paulo ante ſi cum oxycrato parẽtur. Quod ſi tumor non digeratur, tunc degenerare ſolet in nouã affectus ſpeciẽ vt abſceſſũ, ſcirrhũ, gãgrenã & maligna vlcera: de his curãdis cõſulenda chirurgia eſt: ſolius abſceſſus curãdi indicationes hîc apponendæ ſunt. Eius autem ſigna ſunt incremẽtũ caloris, doloris, ruboris, tumoris, nã à putredine allicitur fluxio ſanguinis in ſuperficiem partis: medicamenta autem ſuppurantia ſunt calore mediocri & ſimili tẽperamento partis & ſubſtantia, emplaſtrica.

Hęc cõpoſita proſtãt in officinis, vnguẽtũ reſũptiuũ Agrippę, baſilicũ, emplaſtrũ diachylõ vtrumque, & de mucilaginibus. Simplicia ſunt, aqua tepida

deinde partib' quibusdã vt pudẽdo, vtero eiusq. ceruici, vẽtri, mãmis, faciei & manib. naturalẽ restituat venustatẽ. Corporis vniuersi emẽdãda vitia sunt, sordes relictæ à lochiorũ fluxu & remediorũ vsu vt fotuũ, cataplasmatũ, & linimẽtorũ: itẽ lassitudo artuũ viscerũq; ex part' laborib. Medicamẽtorũ genus duplex indicatur: abstergẽtiũ quidẽ à sordib'. à lassitudine anodynorũ id est laxãtiũ & modicè digerẽtium, quib. tamẽ, roboris viscerũ causa astringẽtiũ al'qd sẽper miscẽdum est. Quãtitas remedij ad molẽ tãta indicatur quanta toti corpori muliebri admoueri possit, nẽpe aqua tãta copia, in labro vel in dolio tã capaci vt in eam puerpera collo tenus mergi possit: sit autẽ aqua fluuiatilis vel per bidui quietem depurata, vel potius pluuialis. Qualitas pro virib. & tẽpore anni immutatur, vt hyeme calidius actu & potestate, æstate min' calidũ vsurpetur. Tẽp' vniuersale quãdo scilicet vtẽdum sit, indicatũ antea est in tertia hebdomade: particulare diei vniuscuiusq; vt matutinũ & vespertinũ indicatur à corporis cõditione, cuius neq; vẽter fæcib. neq; vẽtriculus cibis refertus sit, neque prima regio obsessa cruditatib. ante purgandis minoratiuo aliquo medicamento. Vtendi spatium biduum aut triduum potius esto, vt sensim insueto balneo puerpera assuescat, sensimque habitus laxetur, humores, vaporesque dissoluantur. Quiescat primo die tepidiùs breuiúsq;, vt per horulæ spatium singulis vicibus, secundo & tertio die paulò calidius & diutius: mora tamen præscribetur ex mulieris robore. Denique puerpera ab egressu balnei in lecto vicino & calefacto, atque in conclaui tranquillo, pluribus stragulis obtecta sudabit pro viribus: sudores quoque citabuntur huius vel

similis opiatæ vsu.

℞ conseruæ flor. borrag& anthos an. ℥ j conditur. cortic. citri ℥ ß cõfection. alkerm. ℈ iiij. mosch. opt. gran. iiij fiat opiata. capiat ʒ iij superbibendo parũ vini aqua gramin. diluti: deterso sudore vbi iam corpus deferbuit cibis salubribus alatur, compressis etiam omnibus animi & corporis vehementioribus motibus.

Balneorum æstiuorum primi diei exemplum hoc esto.

℞ aquæ fluuiatilis vel potius pluuialis quant. suff. quiescat per biduũ in labro vel doliocapaci, deinde in eius portione coquãtur ex lebete sequẽtia. ℞ rad. alth. bryon. & cucumer. agrest. an. ℔ ij vel iij folior. agrimõ. scabios. betæ, mercurial. artem. tanacet. matric. an. m. iiij flor. chamæ. melilot. & anethi an. p ij colatura misceatur toti aquęcum vini albi parte xij. inter coquendũ ferrum candens semel mergatur in decoctũ, & ab exitu ex balneo sudet in lecto primo die. Secũdo verò & tertio die calidorũ tergentiũ & astringentiũ materia augebitur, ideoq; addetur alumin. rochæ ℔ j dũ in balneõ manebit fricabitur totũ corpus sacculis duob. lineis repletis farinę fabar. & fœnug. an. ℔ ß farinę orobi & lupulorũ an. quart. j salis ℥ ij gran. tinctor. ℥ j nucis mosch. & garyoph. an. ʒ ij. Hyemalis balnei exẽplo erit illud, in quo vini quantitas & calidorum medicamentorum dupla portione augebitur, iisdem deinde sacculis totum corpus astergebitur.

Partium cosmetice.

PVdendi, & ceruicis vteri à partu laxitas ingrata infœcũdaq; sicuti vteri ipsius mollities cõmodè coercetur finitis quidẽ balneis per remedia astringentia, &

gẽtia & calefaciẽtia, qualia sunt fotus, suffitus & emplastra, ex quibus fotus & pudendo & ceruici, reliqua duo vtero efficaciùs opitulantur, idque per hoc tridui spatium mane & vesperi.

℞ rosar. rub. summitat. myrti & sumach, an. p. j alũ. roch. ℥ j mastich. nucis mosch. schœnanth. granor. alkerm. & cort. citri an. ʒ ij myrrh. ʒ iij cõtrita omnia & sacculo lineo capta ferueãt in vino rubro eoque expresso sacculo foueatur pudendũ bis quotidie per vnius horæ spatiũ mane & vesperi. aliud, ℞ fol. maioran. & salu. an. m. j. alum. ℥ ß gall. nucũ cupressi, malicor. & cort. citri an. ʒ ij calami aromat. & schœnãt. an. ʒ j nucis mosch. & macis an. ʒ ß contrita omnia coquantur vt supra & applicentur in sacculo prius feruefacta in vino rubro. Suffit' exẽplum hoc esto. ℞ ligni aloes crudi vel santal. citrin. ℥ ß nucis mosch. cort. citri, boli armen. sanguinis drac. cornu ceruini, gallar. balaust. & calam. arom. an. ʒ ij. myrrh. & ladani an. ℈ iiij mosc. ℈ ß fiat puluis crassior, & ex eo cum vino rubro trochisci ad suffitũ matricis per siphonem & sellam perforatam excipiendi componantur: foris autem imponetur emplastrum pro matrice.

De erugando ventre, & contrahendis densandisque mammis.

SOlẽt quoque à puerperio rugosus vẽter molles & pẽdulę mãmæ displicere, quib' vitiis succurritur per remedia astringẽtia & modicè calefaciẽtia ne subiecta viscera lędãtur idq; post balnea relicta. forma liq̄da & media ex vsu est. Fot' exẽplum hoc erit.

℞ gallar. & nucum cupress. an. ʒ ß lateris vsti quart. j alumin. roch. farin. gland. & fabarum

an.quart.ß.boli arm.℥j.fiat puluis infundendus per triduum in aquis ſtillatitiis prunorum ſyluestr.cormorum,meſpillor. quod ſi hæ aquæ deſint in aqua fabror.addendo aceti roſ.℔ ß.ouorũ album.xij.maſtich.&myrrh.an.℥j.ſanguin.drac.℥ß.fiat deſtillatio ex alambico plumbeo lento igni:hac aqua ſtillatitia inſolata prius per decem dies lauentur venter& mãmæ pannis inſiccatis donec exſiccentur.

Pultis exemplum.

♃.farin.fab.oryſæ glãdiũ &amygdal.dulc.an.℥ij. lateris puluerati quant.ſ. nucũ cupreſſi an.℥ ß. boli armen.granor.tinct.nucis moſch.& calam.aromat. an.ʒij.contrita leuiter omnia coquantur vt ſupra,& fiat puls addendo ſub finem aquæ citrang. & roſar. an.quart.j. applicetur bis in die poſt coctionem prædictam.

Faciei remedia.

QVod ſi facies lentigniosa,ſubobſcura &ſcabra fiat,hæc aqua lotione ſingulariter profutura eſt. ℞.caſei recentis ſine ſale ℔.j. carnes capi vnius iunioris detractis oſſib.& inteſtinis,minutũ inciſas, oua recentia cum ſuis teſtis confracta n.x. amygdal. amarar.℥iiij.farin.orob.& lupinorũ an.quart.ß.fiat deſtillatio.

Aqua alia dealbans & leniens magis.

♃. micæ panis vnius albi in ſucco limonum infuſi ℔ ß.mell.crudi quart.j.oua recentia cum ſuis teſtis n.vj.aquæ roſ.℔ ß.fiat deſtillatio, lauetur facies poſtquam deterſa fuerit lotione aquæ infuſionis micæ panis albi.

Alia aqua erugans,leniens & dealbans manus.

♃.aquæ ſtillat.flor.altheæ &malu.℔.ij.aquæ roſ. & ci-

& citrang. an. quart. j. misce & in iis infunde per tres dies prunorum syluestrium crudorum & minutim incisorum ℔. ß. destillentur vt supra.

De lacte.

Siquidem mater fœtum suum educatura est, illa augendo non imminuendo lacti studere debet. Lactis autẽ generatio vel confectio læditur 4. modis, abolitione, diminutione, redundantia, deprauatione. Abolitio & diminutio dicitur penuria lactis vel defectus: estque symptoma primi generis, cuius causæ aliàs internæ, aliàs externæ sunt. Hæ versantur in victu aut nimis tenui, aut nimis intemperato, aut nimis resoluente: illæ sunt morbi vel peculiares mãmarum vt paruitas, obstructio, & intẽperies frigida, vel communes toti corpori, vt sunt intẽperies siue nudæ sint, quales succedere solẽt febribus acutis vel diuturnis, & euacuationib. immoderatis aut spontaneis: vt sunt diarrhœa, dysenteria tenesmus, hęmorrhagia, per nares vterum hæmorrhoidas: siue humorales, biliosæ, pituitosæ, melancholicæ.

Victus.

Harum causarũ discrimine adhibito, victus vitia sola diæta emendantur, quare ea sit calida humida copiosáq; & minimùm resoluens: aer calidus, humidus, somnus & quies multa, vita hilaris & curarũ, veneris, coitus, & libidinis expers. Cibi sint panis triticeus albus, carnes animalium domesticorum recenter mactatorum, vt vitulorum, hœdorum, veruecum, agnorum, porcellorum, gallinaceorum omnis generis, vbera vaccina, eæque elixæ potius quam assatæ, lac caprillum bubulum elixatum cum

flore farinæ tritici, pisces absint nisi pauci, coctiles, & saliti. Omnia condimenta absint tum acria & piperata, tum acida, solus concedatur modici salis vsus irritandę appetentiæ causa, vt cibus, potus, sanguisq; ad mammas transuehatur: potio sit non aquæ simplicis neque vini meracioris præsertim generosi, sed oligophori, rubelli, vel albi, præsertim dulciusculi & modice lympathi: atque eiusmodi victus calidus humidusque proprie & per se lac auget: intemperatus autem per accidens hoc facit, quatenus remouet intemperiem nutricis lacti generãdo contrariam, vt putà frigidus biliosam, & calidus pituitosam vel melancholicam.

Causæ.

EX causis internis aliæ sunt communes toti corpori vt intemperies tum nudæ tum humorales, ex quibus nudæ curantur vnica indicatione contrarij victus, & pharmaciæ. Sic calida siccaque emẽdatur potione aquæ sinceræ, iusculis refrigerãtib. prædictarum carnium incoctis foliis lact. acetos. portul. endiu. betæ & fructus cucurbitæ, fructuum præcocium vsu multo somno & quiete, recenti caseo lacte caprillo vel bubulo, ex quibus fiant pultes cum farina hordei: frequentib. balneis aquæ tepidæ dulcis incoctis foliis herbarum frigidarum & humidarum vt 4. emollentium, betæ, mercurial. & vitis. Frigida humidaq. & pituitosa tollitur victu & medicamẽtis calidis in 1. aut 2. gradu, sine siccitate eximia: calidiora enim & sicciora siccãdo absumunt lactis materiã & aperiẽdo prouocãt vrinas vel menstruũ. Cõferũt ergo herbæ sequentes in brodiis coctæ, eruca, mentha, anethũ, apium, polium: sed virentes adhuc: siccæ enim

enim nimis ſiccando nocent vt dictũ eſt,ſicuti & calefaciendo niſi pauca quantitate multis laxantibus miſceatur ſanguinis ad mãmas tranſuehendi cauſa. paſtinacæ & fœniculi radix ſem.apij porri fœniculi anethi.Balnea quoque paulo calidiora ſed ſine ſudore tũ naturalia,tum artificialia,& decoctiones plantarum calidar.conuenient.Frigida quoq; & ſicca intemp.qualis relinquitur à febribus & euacuationib. immoderatis,corrigitur victu calefaciẽte humectãte plurimũ qualis ante deſcript⁹ eſt,& præterea fructib.ſiccis piſtachiorũ nucleorum pini, amygdalar. dulciũ dactylorũ,auellanarũ,vnde etiam lac ex eoq; pultes fiãt.Quodſi ad eas intẽperies ſimiles humores acceſſerint,tũ duplici indicatione curantur,vna primaq; purgandi humoris prius cocti,altera intẽperiei delendę.Cęterũ purgãtia ſint clemẽtia,non vehemẽtia,ob cauſã iã expoſitã,qualia ſunt χολαγωγὰ mãna,caſſia tamarindi.tales ſunt ſyrup. vol.ex plurib. infuſionib.de roſis pallidis diaprunũ ſimplex, tryphera perſica, & diaſebeſtẽ ſine diacadio.Syrupi coquẽtes ſũt de ſucco endiuię de cichorio cõpoſitus, & acetoſus ſimplex.Talia φλεγματαγωγὰ ſunt aloes agaric.hierapicra,diaphœnic.coquẽtes ſyrupi, mel roſat.colatũ,oxymel ſimplex, de artẽ. de betonica. talia ſunt deniq; μελαναγωγὰ ſimplicia ſenna, epithymus polypod.diacatholic.diaſenna , ſyrupus de ſucco buglof. de violis & de pomis odoratis. Ex peculiaribus mammarum morbis paruitas tum natiua tum aſcititia per medicamenta adſtringentia,à teneris annis incurabilis eſt. Obſtructio mãmarum cõmunis eſt totius corporis venis.Itaq; curãda eſt inſtar pituitoſæ intemperiei primum quidem per purgationem & coctionẽ pituitoſi humoris.Deinde

per alterantia remedia calida aperientia modicè: primum quidem interna quæ tum frigidam intemperiem corrigunt, tum reliquias obstruentium humorum discutiunt & sanguini ad mammas ascensuro vias venasque expediunt, qualia sunt iuscula è decocto capi & herbarum viridium, erucę, menthę berulę cressonis fœniculi: tales sunt pultes prędictæ addito puluere ducis. Postremo per topica modicè calefacientia & laxantia vt sunt crebræ frictiones, cum manu vel linteolis tepidis, cucurbitæ, infra supraque & ad latera vt ad axillas appositæ: tales quoque sunt fotus per spongiam vel splenia inducti ex decocto emollientium & calidarum plantarum. vt,

℞ folior. maluæ, altheæ orig. calam. puleg. & betonicæ an. m. j sem. lini fœnic. apij an. ℥ß florum chamæmel. & anthos an. p. j. coquantur in aqua dulci addendo vini albi partem sextam: finita coctione foueantur mammę tepidè tribus vel quatuor vicibus in die. Sinapismi & dropaces validissima remedia sunt, modo non hæreant diutius, sed ad ruborem tantum & tumorem exiguum partis, ne lactis substantia digeratur. Frigidæ intemperiei mammarum eadem curatio est per topica sola prædicta. Atque hæc sunt quæ manifestis qualitatibus lac restituũt nutricibus, Aliis occulta facultas est eiusdem lactis gignendi, qualis est lapis galatites pro amuleto ex collo super mammas pendens, idemque tritus & cum aqua ʒ j pondere sæpius potatus. Tales sunt lumbrici terrę vino albo loti siccati pulueratique & ʒ j vel ij pondere cum vino dulci propinati: vel non siccati septem vel viij contriti & cum ij aut iij ouorum vitellis cocti addito pauco semine anisi & fœniculi. Deniq; in elect. solidũ redigantur hoc pacto.

℞ nucleor.

℞.nucleor.pini & amygd.dulc.an.℥ iij.dact.mundatorũ par.iij.lumbricor.terræ lotor.par. iiij. sem. rapæ,eruc.&menth.an.ʒ j.ß cõtusa omnia excipiantur saccharo aqua meliss.dissoluto,fiāt tabel.ponderis ʒ ij.capiẽdæ singulis matutinis superbibẽdo parum vini dulcis diluti: vel excipiantur eadem melle & fiat opiata pariter vsurpanda per plures dies vt 10.aut 12.

De corruptela lactis.

TErtia species læsæ mammarum functionis deprauatio est,(redũdātia antea exposita est)noscenda ex substantia & qualitate lactis triplici,colore,odore,sapore.Saluberrimi autem lactis substātia mediocris est à temperato sanguine non diffluens, prompta,neque diutius cohærẽs: Color albissimus à glādularum in māmis sanguinem coquẽtium albedine.Sapor dulcissimus à sanguinis dulcedine tẽperati.Odor nõ ingratus,quare neque lac liuidum, melius albo., neque nutrices liuidas saniores albis verè Aristoteles prodidit.At vitiosi & insalubris lactis substantia & qualitas ab optimo sanguine aliena est:Substantia enim aut nimis liquida, si promptius ex vngue polito aut speculo diffluat,aut crassior si diutius guttis indiuulsis hæreat: Color eiusdem est vel pallescens vel liuescens vel varius. Explorandus autem color est lactis, lintei candidissimi in idipsum infusione & siccatione in vmbra:Sapor aut amaricans,aut insipidus,aut acescens:aut odor denique fœtidus si calens naribus apponatur. Aliæ quoque sunt vitiosi lactis notæ tum à nutrice eiusque natura,ætate,victu,consuetudine,moribus, habitu,colore,& à puero etiā ipso multoq; ei⁹ educatu,carnib.flaccidis, linteolor.madore aut siccita-


te, & ex pruritu & ardore femorũ imique vẽtris. Insalubris & vitiosi lactis materia propria est impurus sanguis menstruus, sicuti salubris vtilisque lactis sanguis purus & temperatus: neque enim lac ex sanguine pinguissimo & purissimo semper fit vt docet Hipp. lib. 1. de morbis mulierum. Sed aliquando etiam ex impuro, quare ex sanguine pituitoso lac est liquidum, minus album & acidum: ex bilioso tenue quoque, pallidum, & amaricans: ex melancholico crassissimũ liuidumque & acescẽs. Huius vitiosi sanguinis menstrui causa aliàs externa tantum est, victus insalubris, cacochymus & intemperans, à quo sanguis similis proferri solet, repugnãte etiam muliebri temperie. Hoc genere continentur cibi praui, putridæ carnes aut salitæ, piscesque, porrum, allium, cæpe, aromata, herbę prauę, quibus dum vescitur nutrix, infantem apud Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 5. prauis vlceribus replet. Tum etiam exercitationes immodicæ, inertia, vehemẽtiora animi symptomata, amor, libido, coitus. Aliàs internæ causæ sunt intemperies nutricis vniuersales, hepatis præsertim tum insitæ tum ascititię, & mammarum particulares vt ex inflammatione scirrho grumefactione: sic enim apud Hipp. lib. 4. de morbis mulierum lac impurũ fit ex mala corporis nutricis temperatura biliosa, pituitosa, melancholica, prauis cibis à quibus lapides in vesica pueri generantur.

Curatio.

Vitia lactis ex prauo victu, solo nutricis bene alioquin habitæ εὐσάρκως, & viuidi floridique coloris corriguntur victu, nempe cibis euchymis & salubribus, coctione eorundem bona, excrementor.

yen-

ventris tempestiua deiectione, vini pauciferi diluti potione, somni, vigiliæ, motus & quietis mediocritate: curarum, amoris & libidinis fuga. Quod si diutino nimis vsu victus praui cacochymia contracta sit, pauca quidem naturæ committenda est, copiosa expugnanda est clementioribus remediis. At vitia lactis ex intemperie vniuersali natiua vel aduentitia curantur tum victu contrario intemperierum speciei, tum purgatione cacochymiæ, biliosæ, pituitosæ, melancholicæ: denique intemperiei alteratione per medicamenta externa internaque. De lactis defectu paulo post in libello de puerorum educatione. Peculiares mammarum affectus phlegmonosi, œdematosi, scirrhosi curandi vt cap. proprio expositum est: vlcera cancrique ad chirurgos relegari debent.



IOANNIS HVCHERI BELLOVACI CONSILIARII MEDICIQVE REGII, ET MONSPELIENSIVM Medicorum Cancellarij, de Sterilitate vtriusque sexus.

Liber quartus & vltimus.

De occultis sterilitatis causis, seu de maleficiis.

DECVRSIS omnibus de Sterilitate virilis sexus naturalibus caussis, morbísque eiusdem authoribus expositis similaribus, organicis, & cõmunibus, vnica superest, occulta, & falsa, Fascinatio scilicet. Hanc autem definiunt noxam, vel lęsionē ab oculis maleficorum tum virorum, tum fœminarum (illi Magi, hę Lamiæ vocitãtur) cũ ira & inuidia in alios acrius cõspectos emissam. In hac descriptione voces illæ (noxa, lęsio, passioque) non morbum, aut symptoma, quæ vt incorporea sunt loco moueri non possunt, & ab ęgro in sanum corpus trãsferri, sed insalubrem caussam, & tabificã qualitatem denotant, tetro cuidã corpori, spurcove spiritui visorio inhęrentē, quã idcirco

idcircò ira affatim in oculos fascinantium impellit, & inuidia cum radio in sanos eminus cõspectos dirigit. Hinc apud Græcos βασκαίνειν pro inuidere & fascinare vsurpari solet.

Fascinationẽ autẽ nõ vanã vulgíq; fictã opinione, sed verã rem quãdã esse, pluribus cõprobãt rationibus, & testimoniis. Et ratio vna est, quòd plurima olim prodita sint fascinationis remedia, quę, si vera, certaque sint, nõ potest ars fascinatrix aut fascinatio esse falsa, cùm physicorum remediorũ cognitio solis experimẽtis cõparetur. Eiusmodi sunt apud Plin. lib. 28. coriũ frõtis hyęnę. apud eund. lib. 26. orchis satyrij species. apud eund. lib. 13. c. 1. ossicula quædam lunata, & dente polita. Apud Diosc. verbena, chamæleon albus, hypericum, & multa alia. Eiusmodi hodie habetur gagates puerulorum collo appensus.

Testimonia eiusdem fascinationis plurima sunt diuina, humanáque. Deus enim 22. Exod. maleficos occidi iubet generatim: quos speciatim Deuteronom. 18. compellat necromantes, sciomantes, pręstigiarores, magos, infames, & exorcistas. Paul. ad Galat. Quis vos fascinauit, inquit: &c. Ecclesiastes nil peius oculo esse pronuntiat.

Canonistæ eandem fascinatricem artem agnouerunt, vt iuxta cap. Si per sorciarios. causa 13. quæst. 22. Si per sorciarias, inquiũt, & maleficas artes Deo permittente, & diabolo concurrẽte concubitus nõ sequitur. Neque verò agnouerunt tantùm, sed in eiusmodi artifices mortis supplicio animaduerterũt, quicumque vel incantatione, vel inuocatione, vel coniuratione vtuntur. c. illos. caus. 26. & quæst. 20.

Pleni sunt clarissimorum iurisperitorũ libri fa-

ſcinationis ſignificatione: legitur enim Cod. titul. de Maleficis, &c. quorum artem ſcientiæ nomine Imperatores ibidem decorarunt; eóſque nō ob artem, ſed ob damna illata mulctandos ſentiunt in l. eor. C. tit. de Maleficis. cùm illam ruri ſæpe vtilem eſſe imbrium, ventorum, & grandinum auertendarum cauſſa, ne paterentur ſegetes compertum eſſet. Poſtremò non deſunt præclara auctorum de eadem faſcinatione ſuffragia. Virgilij verſiculus eſt,

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Plinius quoque quaſdam in Africa faſcinatrices familias refert, quarum laudatione intereant pecudes, tabeſcant arbores, & infantes ſenſim liqueſcant. Idem Pin. lib. 1. cap. 2. Solinus & Iſigon. in Triballis, Plin. Scythicis, & Parthicis populis quaſdam gentes affirmant, quæ attento aſpectu & iracundo alios aſpectos effaſcinant & interficiunt, quibus eſt in oculo duplex pupilla, quarum etiam corpora mergi nequeant. Sic Plutarchus galgulam ſiue icterum auem ab ictericio ægrotante bilem flauam ad ſeſe rapere, ægrumque liberare ait. Atq; hęc ſit faſcinationis confirmatio.

Faſcinationis partes tres ex triplici nocendi & faſcinandi modo diſtribuunt, Naturalem vnam, ſiue ſubſtantialem; alteram Accidentariam; tertiam Voluntariam. Ex illis vltimam, ſiue tertiam imaginatione, ſolaque voluntate & nocendi deſiderio conſtare volunt: ideóque certo homini priuatim nocere; cùm reliquæ ſpecies duæ tabifica qualitate obuios quoſlibet indiſcriminatim afficiant. Naturalem ſiue innatam ex vi quadam indiuiduali, cœleſti, & ſyderea (quæ infœlix, infauſta, & funeſta ſit) oriundam eſſe. Cùm

Cùm enim ars sit naturæ imitatrix, sitque ars quædam fascinatrix, naturam quoque quorumdam fascinatricem esse, & maleficam oportere. Hinc Ophyogenes in Hellesponto serpentum morsibus solo tactu mederi solitos esse: sic Psyllos solo odore eosdem necasse serpentes: hos pilorum fœminæ vstorum vapore fugari etiam compertum est. Deinde vires quibusdam quorumdam morborum medicatrices ingenitas esse, vt Gallorum regibus strumarum: Vespasiano Imperatori, cæcitatis, surditatis, clauditatis: reginæ Anglorum, epilepsiæ: articulo pedis dextri in Pyrrho, lieni tumido: capillitio Samsonis, contra hostes. Vim itaque fascinatricem quibusdam innatam esse, eamque spiritu visorio, eiusque pestifero radio in obuium quemq. sæuire, & debacchari statuunt.

Accidentariam pronuntiant ex solis vaporibus malignis existere, è corpore putredinem continente quoquouersum in quemlibet obuium (cùm voluntati nostræ non pareant) effluentibus. Humores enim sæpe corruptione venenatos euadere testari Galenum capite quinto libri sexti de loc. Itaque vetulas & effœtas iam fœminas sæpissimè fascinatrices videri è suppressi corruptique menstrui pernicie, qua etiam per hystericam passionem grauiter ipsæ tentantur, cùm hac noxa careant secundum naturam constitutæ, quod ipsarum nobiscũ innoxia consuetudo, infantiũ conceptus, educatio foris & intus, clarissimè patefacit. Accedit anicularũ istarum ex opinione contẽptus, maior iracundia, humorũ, animorũq. perturbatrix.

Tres autem istas fascinationum species communi omnes ratione, scilicet per aerem, fixum

trucemque intuitum lædere tradunt : per quem magna vis ſpiritus animalis aut ſolius, vt in naturali faſcinatione, aut tetris vaporibus inquinati, vt in accidentaria, ad oculos faſcinatorum deducitur, è quibus viciſſim in aſtantium conſpectos oculos clam ſubrepant. Oculos enim viuentium ob cutis nuditatem vaporibus & ſpiritibus tum emittendis, tum admittendis maxime peruios eſſe ſtatuunt:ſed contrarium in peſtilentium & venenatorum animalium cadaueribus accidere, vt minus viuis ſint infenſa, non ſolùm ob animi ſymptomatum, & humorum ſedationem,ſed ob caloris etiã, ſpirituum,vaporumque penuriam, multóque magis ob oculos adductis palpebris clauſos, totamque cutem conniuentem. At quæ ſpontanea eſt,nullis neque ſpiritibus neque vaporibus graſſatur,ſed vnico peſſimæ imaginationis faſcino.

Inſidioſam denique & peſtiferam eſſe omnem faſcinationis luem formoſiſſimis pueris, & puellis, lætis ſegetibus, frugibus, fructibus, arboribus, fruticibus,&plantis,brutis obeſis opimiſque,vt agnis, equis,gallinis,&c.accedente præſertim intuentium faſcinantium admiratione,& inuidioſa laudatione. Hinc enim religioſam conſuetudinem inter probos viros fluxiſſe bene illis precandi, quorum præſtantem formam, raramque fœlicitatem aliquam ſuſpiciunt, ne videlicet laudatos velle faſcinare videantur.

Itaque ex tribus præcauendi maleficorum faſcini vulgatis rationibus hanc vnam eſſe aiunt,bonam ſc. ominationem ſiue benedictionem ; quæ admirationi beneuolentiam, non odium & inuidiam eſſe

esse coniunctam significet. Alteram vocant ficam ex complicatis digitis, quæ laudantis fastidium non inuidiosam admirationem indicat. Tertiam denique eius qui aspicitur expuitionem: quæ suspecti fascini repulsionem significat.

Sed enim quod de fascinatione, eiusque partibus hactenus probatum est, probabilissimis aliorum improbatur argumentis. Primũ enim fascinationis propositorum remediorum nullam vim esse eiusmodi, sed totam aut naturalem, aut physicam esse demonstratur. Rutam enim ventris, vterique dolores compescere, dæmones fugare, insomniorum terriculamenta propulsare, idcircò ab Aristotele in Probl. & Hippocrate libro de virgin. morb. traditum est, quod redundantis seminis, & opprimentis cruditatis flatus sine vlla fascinatione absumat. Satyrium calfaciendo, humectando, & coitus stimulando insomnia dispellere. Hypericum, chamæleonem album, & verbenacam attenuando, calfaciendo, siccandoque insigniter, sicuti & pœoniam crudos crassosque flatus variorum capitis morborum authores, vt ἐφιάλται, vertiginis, epilepsiæ, catalepseos, dissipare: quorum omnium origo ab imperito vulgo fascinationi tribuebatur. Satis quoque constat superstitiosum esse ex fica, spuitione, & precatione quæsitum remedium: sublata enim imaginatione eius qui se lædi putat, nihil interest placeat ne, vel displiceat intuenti mago, ab eoq; vel ametur, vel odio habeatur. Deinde testimoniorum quoque productorum fides clarissimis rationibus, & expositionibus eleuatur.

Deus enim omnem nocendi facultatem quam

ſibi, ſuæque arti magi, & lamiæ arrogant, dæmonum totam propriam nouit; ſed tamen prauam eorum nocendi voluntatem, & idololatriam vindicat. Theologi quoque & Canoniſtæ cùm iſtius dæmonum fraudis, & noxæ ignari non eſſent: eorum tamen conſultores magos & inſtigatores, tanquam manifeſtæ impietatis, mortiſque reos eſſe voluerunt.

Imperatores autem & Iuriſconſulti omnes maleficorum facinora omnia faſcinatrici eorumdē arti tribuerunt, quorum authores fuiſſe dæmones ignorabant; cum ſit philoſophorum magis propria, quàm magiſtratuum, cauſſarum cuiuſque rei inueſtigatio. Virgilius quoque paſtores, non Ariſtotelem, aut Hippocratem vulgaris falſæque de faſcinatione ſententiæ authores exhibet. Porro Plinij, Solini, Gellij de Triballis, Scythicis, atque Ponticis quibuſdam faſcinatricibus familiis, earumque immerſabilibus corporibus, & duabus in vno oculo pupillis, atque laudatione tabifica; fabuloſiſſima conſtat eſſe commenta. Neque enim terrena grauiaque corpora aquoſis, leuibus & ſimplicibus ſuſtineri poſſe: neque duplicem magis pupillam, quàm vnicam eſſe veneficam credendum eſt: ſed huic fabulæ originem dedit, quod feroci aſpectu pueros familiæ illæ prope exanimarent. Sic Ariſmapos creditos eſſe monoculos, veriſimile eſt, eò quod cùm eſſent ſagittarij, alterum oculum collimando clauderent. Sic Theſſalos habitos eſſe cētauros ob equeſtrē eorum primam exercitationem. Sic Pſyllos morſibus ſerpentum mederi exiſtimatos eſſe ob conſuetum veneni iſtorum ſuctum. Dicemus eamdem

Plinij

Plinij vanitatem esse de palmularum lunatis ossiculis dente politis : nam superstitiosè hoc factitatum indicat ipse. Plutarchum quoque de galgulo non esse probandum, à quo bilem per habitum ægrotantis effusam ad se rapi, aut hepatis intemperiem & obstructionem explicari, non posse certum est.

Pauli ad Galatas orationem metaphoricam esse apparet. Quis vos fascinauit ne obsequamini veritati? quasi dicat, Quis vos decepit argumentando? Eâdem metaphorâ auaritia nugacitatis fascinatio à Iacobo vocata est. Eâdem metaphorâ ab Ecclesiaste inuidia & auaritia oculorum nomine suggillata fuit; quod rerum alienarum oculis expositarum cupiditas animos & corpora lædere videatur. Eâdem insanus amor fascinationis nomine accusatur, & ab oculis amatæ mulieris per oculos amantis in cordis sedem penitus inculcatur, vnde eius valetudini obest. Eadem Lacedæmonii, oratores, tanquam fascinatores, quique orationis præstigiis populo imponerent, è ciuitate sua ablegarunt, cum omni Rhetoricæ tanquam fascinatoriæ artis studio. Eodem sensu φιλαυτία fascinare creditur, quod hominibus sui amantissimis iudicium omne eripiat : sicuti de Anthemide, & Narcisso à poetis proditum est.

Eodem denique de fascinatione opinionis errore Romani è puerorum suorum collo Priapi effigiem appendebant prohibendi fascini caussa : quin Priapum ipsum fascinum vocarunt, quasi fascini depulsorem. Ideoque illum quoque

triumphalibus curribus alligabant ad retorquendum in authorem fascinum. Postremò ipsa quoque inferendæ fascinationis exposita ratio per acrem, trucem, & inuidiosum intuitum refellitur: neque enim ab oculis quantumuis à palpebra detectis affluentiùs quàm ab ore, naribus, totoque corporis transpirante habitu, pestiferi tetrique vapores in vicina corpora prorumpunt. Neque insuper spiritus ipse animalis & visiuus cum suo radio foras ad obiectos oculos spargitur, cùm visionem receptione, non emissione constare maior philosophorum pars statuat: sitque crystallinus humor veluti speculum quoddam animatum. Neque denique inuidia per se, sed ex accidenti noceat, corrumpendo scilicet proprios humores, eorumque vapores corruptos & malignos ad eruptionem concitando.

Subiectum autem propositum fascinationis ab iisdem irridetur, quippe norunt formosos pueros, puellasque opprimente plethora plerumque ægrotare; quam idcircò protinus soluendam esse monebat Hippocrates, & Celsus libro secundo: aut certè ob habitus mollitiem, & laxitatem contagione facilius labefactari, quæ à fascinatione differt. Cætera denique bruta, & plantas non à fascinatione lædi, sed omnem illis à cœlo, & pabulo perniciem accidere, nisi dæmonum intercesserit peruersitas.

Adhuc fascinatio vniuersim sublata est: iam singulæ eius partes, & species refutando tollantur. Prima quidem naturalis scilicet & substantialis, quæque vel ex temperamenti occulto quodam modo, & substantiæ inexplicabili proprietate

tate, vel ex infœlici alicuius ſyderis natalitij influxu ingenita ſit.

Primùm enim φιλάνθρωποι naturam in eum finem nequaquam homines finxiſſe vt mutuam ſibi perniciem alerent, necemque concinnarent. Neque animalium eiuſdem ſpeciei diſſimilitudinem tantam excitaſſe, vt ſibi inuicem ſint exitioſum venenum, quod à maxima tantùm naturæ, & temperamenti contrarietate, ſummóque totius ſubſtantiæ diſſidio ſuſcitari poteſt. Vt falſiſſimum omninò ſit, quoſdam patres familiarum ſuarum veros faſcinatores fuiſſe: quibus potius contagioſi fuerunt.

Sicuti & illud quod capillorum fœminæ vſtorum faſcinatorio odore ſerpentes necantur: craſſo enim potius eorum vapore, vt & cornuum, ſuffocantur ob meatuum ſpiritalium anguſtiam.

Multò minus credendum ex hominibus aliquem à ſeipſo propriè faſcinari: cum vna ſit vnius natura, & temperies, atque ſubſtantia: ſed vel ab illati faſcini metu & ſuſpicione, vel ab inueteratis animi, & tabificis vitiis odio, & inuidia, vel ab inſana quadam φιλαυτίᾳ valetudinem propriam tentari, afficique & debilitari ſtatuendum. Sic neque ex feris Baſiliſcum & Catoblepam ſe ipſos ſuo viſu necare.

Deinde etiam è toto ſyderum cœtu nullius vim tam peſtiferam eſſe, cùm omnia ea hominum cauſſa condita ſint: aut tam eruditam & coniuratam, vt vni tantùm homini, non omnibus ſub ſe naſcentibus diram faſcinationis luem inſpiret, cùm tamen perpaucos faſcinatores, vel potius nullos, antiqui-

tas notarit. Neque enim Philoſtrato in Apollonij vita credendum eſt, Sturnium quendam Epheſium faſcinatorem non aliter, quàm baſiliſcum omnes ſolo aſpectu interfeciſſe referenti: quod ſpurcæ eius, & contagioſæ naturæ potius, quàm faſcinatoriæ tribuendum eſt.

Quare inſitarum medendi facultatum propoſita exempla valeant: eaque fidei, & imaginationi ægrotantium, non medicatricibus hominum ingenitis viribus tribuantur: quæ dignitatis illorum, regnique & imperij aut raræ cuiuſdam ſapientiæ, potius quàm naturæ comites ſunt & aſſeclæ.

Altera ſpecies creditæ faſcinationis, quæ tetri cuiuſdam vaporis, & tabificæ qualitatis diffuſione conſtet, à contagione aliena non eſt, ægrique ipſi non faſcinatores, ſed infecti: ſicuti morbi, quorum vi expirationes illæ malignæ fiunt (qualis eſt febris peſtilens, ophthalmia, ſcabies, elephas, phthiſis, & Italica lues) contagioſi, non faſcinatorij, vocandi ſunt.

Nihil enim aliud contagio eſt: quam deleteriæ cuiuſdam qualitatis impreſſio, quæ à vapore & putri, & lento, calidoque ab ægrotantibus corporibus quoquouerſum in aerem ſparſo haurientibus obuiis corporibus ſimilem cladem inferat, dum expiratione, tranſpiratione, & aſpectu foras excluditur, includiturque.

Itáque ſtatuendum ſuppreſſi menſtrui, aut inteſtini veneni nullam faſcinationem eſſe, ſed verum contagium, cuius à faſcino diſcrimen eſt,

eſt, quòd iſtud aut ſpiritu, aut voluntate ſola certo homini, illud verò quibuſlibet obuiis cum vapore expirante, & ſine voluntate vlla ægrotantis communicetur.

Tertia denique faſcinationis ſpecies, quæ ſpontanea vocata eſt, hoc vno manifeſtæ falſitatis nomine condemnanda eſt, quòd nulla, neque tetri ſpiritus viſorij, malignique; neque vaporis noxij ex faſcinatorum oculis vibratione; ſed inuida tantùm, prauaque eorum nocendi cupiditate, conſtare dicatur, adeo vt quem velint hominem, brutúmve aut ſenſim tabefaciant, aut confeſtim interficiant: cùm tamen nullus affectus, aut qualitas ſine corpore, cui inhæret, ab vno in aliud corpus tranſire poſſit. Id autem ipſum, quo lædi aliquis à faſcinatore creditur qualitas ſit, & affectus quiſpiam oportet: Quare à faſcinante in faſcinandum corpus migrare ſine ſuo ſubiecto nulla ratione poſſit.

Hoc autem ipſum non poteſt eſſe aliud, quàm vapor, aut ſpiritus; quorum neutrum faſcinationis eſſe idoneum vectorem, vt antea diſputatum eſt, ſic nunc quoque oſtendatur.

Vapor enim, aut putris eſt, aut imputris: ille è corpore putredinem habente per aerem ſparſus ſanos obuios haurientes eum inficit (hæc infectio potius contagio eſt, non faſcinatio) imputris verò ex ſubſtantia partium humorúmque excitatus, cùm excrementitius ſit, & à naturæ muneribus alienus, nullíſque

imaginibus ornatus, quæ in cerebro solo fingi solent, nõ posset fascinantis imaginariam qualitatem secum efferre. Sic neque spiritus siue animal.s, siue vitalis fascinationis eiusdem idoneus vector habendus est, cùm ab anima intus contineatur vt suis functionibus seruiat; aut dissolutus pereat, vt in syncope. Quod si in aere etiam permaneret, cum ratione careat, in fascinandum certum hominem, brutumve à seipso dirigi nequeat; aut ab ipso fascinando attrahi, cùm alienum corpus non moueat, nesciatque vbi & quando in aere vagetur: aut, etiamsi sciat, eumdem tamen quem senserit saluti suæ inimicum, exturbet potius præ eximio seruandi sui studio, quàm vt in sui perniciem amplectatur. Multò minus ab anima ipsa foras dirigatur, cum à corpore cuius est forma nusquam discedat: neque discedentibus spiritibus vim suam inurat; aliàs aer cui spiritus misceretur esset animatus & viuens.

Quare vis fascinatoria cum neque sola sine subiecto suo, neque per vaporem & spiritum animalem communicari sanis possit, vt hactenus demonstratum est, concludendum erit nullam omnino fascinationem esse veram, & fascinantium hominum propriam: sed totam dæmoniam, eamque neque morbi physici differentiam, aut causam esse: neque denique rẽ vllã veram, & constantem, sed antiquam vanamque superstitiosi vulgi opinionem, quamlibet hominum brutorumque cladem, & segetum calamitatem inopinatam fascinatorum maleuolentię adscribentis.

Itaque neque morbos vllos verè fascinatorios esse, sed diabolicos omnes metaphysicos à dæmone per flagitio-

flagitiosorum hominum impia facinora, tanquam idonea instrumenta inferri solitos teste Thom. 3. ad Galat. & Basil. Magno in homil. de inuidia. Nam verè diuinos,& à summi optimi Dei voluntate profectos, caussas naturales habere constat regis Ioram exemplo lib. Paralip. c.21. qui quòd populum à lege Dei auertisset, ex improbabili diæta in insanabilem diarrhœam iubente Deo lapsus est.

Huiusce conclusionis veritatem & constantiam breui claraque fascinationis instrumentorum refutatione demōstremus. Cùm enim duplices sint fascinationis artifices,vel ministri potius dæmonum; Magi; & Lamiæ,siue Stryges,siue Sagæ,siue Veneficæ (tot enim nominibus Latinis sceleratæ fœminæ vocãtur) hæ quidem nulla neque arte,neque libris, neque verbis fascinando vtuntur:sed imaginatione sola lædunt, quos lædere se putant, propriaque vi sua ex pacto spontaneo cum dæmone contracto. Illi contra nullum sine arte,libris,verbisque conceptis,& exorcismis opus aggrediuntur: seseque non cacodæmoni parere, sed cacodæmonē sibi ipsis sacrorum verborum, aliorúmque instrumentorum viribus arbitrantur. Illa autem sunt verba,carmina, exorcismi, amuleta, periapta, philtra, ligaturæ, imagines, characteres,numeri, figuræ:quorum omnium æstimãdis deinceps viribus Platonicorum, & Peripateticorum & Theologorum placita conferentur. Nam Platonici nimis creduli fortasse & superstitiosi fascinatorios morbos receperũt,eorumq; inferendorũ instrumẽta, & sanãdorũ remedia probant,eaq; experimentis quotidianis vulgi comprobãt. Peripatetici Logiatri omnia ista tanquam ludi-

cra & inania improbant. Theologi dæmonum præstigias propriaque opera, non Magorum, aut Lamiarum arbitrantur.

De Lamiarum imaginatione, eiúsque viribus.

PRimùm igitur imaginationis virtute propriũ corpus alterari & fascinari posse demonstrant, idque ex vario spiritus & caloris natiui motu, quem animosa & naturalis facultas ab imaginatrice lacessita prouocat intrò foráſque: sursum, & deorsum. Sic videmus gaudio ex præsentis boni opinione habitum incalescere, laxari, erubescere: mœrore, & inuidia habitum perfrigerari, densarique, & præcordia inflammari. Sic diutinis attentisque matris prægnantis cogitationibus liberos similes permutari: indéque multò plura in hominum, quàm brutorum genere vultus discrimina ob maiorem ingenij humani celeritatem, & imaginationis varietatem apparere. Hinc fœtuum corpora appetiti vehementer à grauidis matribus negatique cibi specie mutari: sicuti pullos gallinaceos pannorum incubantibus gallinis obiectorum coloribus. Hinc mulierem Romanam olim ex albo patre nigerrimum puerum sustulisse ob serui æthiopis domesticam consuetudinem. Hinc Iacobi gregem obiectarum virgarum variegatos colores ouibus grauidis expressisse.

Hinc frigoris imaginatione nos ipsos perhorrescere: aliis lugentibus lugere, lætantibus exultare, meientibus meiere, oscitantibus oscitare. Hinc denique rei rubræ aspectu hæmorrhagiam commoueri, cibique acerbi memoria dentes obstupescere

ſtupeſcere. Hinc igitur imaginationis eximiam quandam eſſe vim in alterandis, & faſcinandis corporibus propriis conſtare putant. Addunt inſuper aliena corpora ab eadem imaginatione alterius permoueri, faſcinarique poſſe: dum ſpiritus amica vel inimica qualitate inſtructus & in aerem ſparſus ab obuio, vicinoque corpore rapitur: Vires autem imaginationis omnes fauſtas, infauſtaſque: à quibus odium, amor, morbus, & ſanitas conciliari ſolet, à ſyderum formis ſuſcipi, ſub quibus faſcinatores aut naſcantur, aut ad quas imaginationes ſuas vehementiſſimas referunt, vt voluptuoſas ad Venerem, iracundas ad Martem, inuidioſas ad Saturnum: eas enim ſyderum formis ornatas cœlitus relabi: quibus vel noceant, vel proſint: cogantque ſydera ipſa, tanquam cœlo auulſa, ſibiipſis, vt intelligentiis cœleſtibus, parere.

At verò faſcinationis ſpecies vtraque, tum propria, tum aliena, facillimè confutatur: propria quidem eò quòd non eſt naturalis, ſiue temperiem ſiue ſubſtantiæ modum ſpectes: tunc enim alteret, non læderet proprium corpus. Neque etiam voluntaria eſt, cùm omne animantium genus ad ſuæ ſalutis ſtudium à natura ipſa trahatur. Quare ſi quando proprium corpus imaginatio alteret, non id quidem per ſe, & proximè fit; ſed per accidens, & per obiectionem imaginum ſenſibilium boni, maliue ſpeciem habentium: vnde appetitus, calor, & ſpiritus ab animoſa, & naturali animæ facultatibus variè conturbatur: quæ cùm ſint eiuſdem animæ, & ſuppoſiti, id eſt animalis,

tanta est inter se earum sympathia, vt se mutuò ad proprias actiones permoueant. Quare si qua sit ab imaginatione propriorum corporum noxa, nequaquã fascinatio naturalis, & voluntaria, sed læsio accidentalis habẽda est ex iudicij prauitate, animique vitiorum & symptomatum vehementia, vt amoris, odij, inuidiæ, mœroris: à quibus caloris natiui substantia vel dissoluitur, vel inflammatur, vel extinguitur, quæ cùm sit functionum omnium animæ communissimum instrumentum: inde morbus & sanitas consequuntur.

Alienum quoque corpus ab imaginatione alterius alterari non posse explosis quorumdam Platonicorum sententiis contrariis, deinceps docebitur. Nam neque vt à caussa effectrice: neque vt ab idea & exemplari hoc fit: illa enim sit aut potentia ipsa, aut res imaginata, aut imaginandi actus oportet. At enim potentia nõ agit per se quicquam, nec mouet per se, & sine specie imaginabili, sicuti nec oculus clausus sine visili obiecto. Rursus non est species imaginata, cùm res vlla omninò non sit, sed rei potius signũ, simulachrũ, spectrumque, quod rem tantum externã, cuius signum & vmbra est, significare potest, siquidem nihil supra naturam suam & essentiam agere potest. Quòd si imaginabilis rei species realis, forma rei imaginatę fingatur, eam quoque à sensibus ipsis de subiecti potentia excitari, educíque contra veritatem fingendum erit. Neque enim formæ reales maximarum, infinitarum, & contrariarum rerum, aut per exiguam pupillam prouehi ad crystallinum humorem, in eoque simul considere possint, quòd eas cum suo subiecto extendi contrahíque Aristot.

disputet.

disputet. Ideóque species illæ imaginabiles, clarioribus philosophis rectè vocantur intentionales & notionales formæ, quòd ab illis ad rerum externarum & imaginatarum notitiam animus producatur. Nec enim credendum saxum, lignum, aurumve, aut realem eorum formam imaginantis cerebrum subire. quomodo enim idipsum protinus aureum, saxeum, aut ligneum fieri cogitabitur? aut medici caput ægritudines meditantis illicò ægrum, cùm præsertim à re incorporea, qualis est obiecti sensibilis imago, corpus solidum, & per se subsistens effingi absurdissimum auditu, dictúque sit.

Quare imaginabiles species, alieni corporis motrices non esse constat, cùm alterius animæ nullomodo offerri posse antea probatum sit, & paulo post breuiter probandum.

Actus autẽ imaginandi minus potest alienum corpus permutare: nam vnius agentis & patientis vna est actio numero, sicuti sensus & rei sensibilis sensio: ita imaginatricis facultatis, & imaginis. At imago imaginabilis refert tantùm rei naturam, cuius est: Quare & imaginandi actus. Cùm enim illa circa duo obiectorum genera versetur: vnum eorum quæ sunt singulorum sensuum propria, alterum communium, vt figuræ, magnitudinis, numeri, non decipitur ab vtrisque imaginatio, nisi aut sensus vitiati sint: aut medium sit ineptum. Hinc baculus rectus intra aquam cernitur obliquus, aut distantiora obiecta, minora. Hinc ob cœli distantiam videntur stellæ paruæ: & immota littora, mobilia.

Deinde omnis actio fit per contactum: at ima-

ginatio manet in imaginante, ſicut viſio in vidente: ergo extra imaginantem mutare corpus nullum poteſt. Aliàs auditio mea eſſet auditio alterius.

Huc accedit, quod vt res ſenſibilis non mutatur à ſenſu patiente potius & recipiente, quàm agente; ſic neque res imaginata ab imaginandi actu recipiente ſenſibilium ſimulachra & intellectui obiiciente mutari nullomodo poteſt. Aliàs res omnes eſſent tales quales cogitarentur; & ex ſola ſapientiæ cogitatione, ſine ſtudio, labore, multùm ſaperem.

Præterea omne agens contrarium eſt patienti, vel formaliter vt calidum frigido, & reliqua omnia quorum eſt mutua inter ſe actio, paſſioque: vel potentialiter, vt frigori lux, quæ calorem excitat. At neutra contrarietas inter ſpecies imaginabiles, & res imaginatas intercedit; non formalis, ſpecies enim ſunt ſimplices, res faſcinandæ ſunt compoſitæ, ideóque non in eadem communicant materia: non etiam potentialis, quia ſpecies imaginabiles à corpore imaginantis migrare in alium nullomodo poſſunt.

Rurſus maior vis eſt agentis in propinquum quàm in diſtans contrarium (aliàs infinitæ eſſent actiones) Ergò imaginantem potius, quàm diſtantem aliquem imaginatio faſcinaret.

Inſuper agens & patiens debent communicare in materia. Iam ſi ſpecies imaginabiles cum corpore faſcinando communicent, ab illo viciſſim faſcinabuntur; ſi vero non communicent, non agent in illud, neque faſcinabunt. Item omnis actio

actio est aut formalis, vt ignis calefactio: aut potentialis, vti seminis procreatio: aut in eminentia, vt solis in res omnes sublunares: atqui specierum imaginabilium nulla huiusmodi est actio, visque ad agendum in res externas: quapropter nec eas fascinant.

Denique certior est ars imaginatione vaga, & instabili: at ars agere non potest sine instrumentis, imò ne corpora quidem cœlestia sine motu & lumine. Ergo imaginatio sine instrumentis, quæ nulla omninò esse probauimus, corpus externum nullomodo permouebit. Aristot. sane libr. de motu animal. cap. 7. Sensus alterat (inquit) imaginatio, & intellectus. Verumtamen, quo ad sensus, alterant quidem corpora propria gustus, & tactus: à quibus reales species obiectorũ alitioni, & vitæ necessariæ excipiuntur: cui vterque sensus præcipuè, sicuti & olfactus inseruit. Visus autem & auditus, qui cognitioni soli seruiũt, intentionales tantùm rerum species recipiunt, quæ corpora non alterant. Imaginatio autem & intellectus per accidens alterare potest, quatenus species rerum tristium, vel iucundarum tractat, vnde appetitus, caloris & spiritus motus varij cõcitantur, cuius propria alteratio est. Quòd si imaginatio res alteraret, res ipsa esset intus, quam temere foris prosequatur aut fugiat imaginans homo: essetque omnis auarus Midas quidam totus aureus: ob vehementem auri sitim & imaginationem.

Falsæ sunt igitur alienorum corporum à lamiarum, magorumque imaginatione, quæ vulgò creduntur alterationes, & fascinationes: falsaque eo-

rumdem producta testimonia. Quorum primum est medicorum erga salutem ęgrotantium potentia: non enim ægris vehemens medicorum desiderium, sed eximia quædam potius opinio de eorumdem fide, industria, & beneuolentia ægris salutem conciliat, dum eorumdem remediis libentius vtuntur, & consiliis obsequuntur: vel certè excitatus optima spe calor natiuus humores noxios validius percoquit, expellitque.

Falsum quoq; est alterũ argumentũ de similitudine liberorum, in sexu & facie cũ imaginationibus matrum, siquidem illa quæ sexus est, è seminis temperie, quæ verò faciei, ex eiusdem proprietate ferè semper oritur. Inde fit vt cæcę fœminæ similes patribus quos nunquam conspexerunt. & pleræque bene oculatæ auis, atauis, & proauis liberos enitantur similes non vultu tantùm, sed moribus etiam, colore, odioque, & amore quorumdam ciborum, vt vini, casei, lactis. Quod si quando ab attenta longaque matris cogitatione alienus character fœtui inuritur; non tamen propterea extra matris corpus inustus videtur, cùm eodem spiritu fœta, fœtusque fruantur, & iisdem facultatibus sustineantur.

Simile est apud Gal. lib. de theriaca ad Pison. fœminæ Romanæ exemplum ex deformi patre formosissimum puerum ob diutinum picturæ pulchræ intuitum, enixę. Simile est in eadem gente fœminę alterius ex albo patre ęthiopẽ parientis. Simile est in Bibliis illud de grege Iacob ex albo, & viridi colore variegato, ob virgarum similiũ intuitum potionis & coitus tempore. Simile denique fuit apud Ægyptios de boue maculis albis candentibus insigni,

quem

quem illi (Apis nomine) tanquam propitium Deum colebant, Augustin. lib 18. de ciuit. Dei authore. Censet autem pius vir ille vaccæ coëunti, concipientique effigiem talem similis propagandæ prolis caussa, vt idololatriæ occasio esset, obtrudi à dæmone consueuisse.

Nimirum imaginatio, & procreatio variarum quidem animæ facultatum (sentientis & naturalis) partiumque diuersarum (cerebri & genitalium) sed tamen vnius animæ, eiusdemque subiecti functiones sunt; ideoque propriis actionibus & passionibus mutuas operas conferunt, suaque instrumenta ad agendum inuicem exsuscitant. Hinc alio oscitante, meiente, lugente, ridente, oscitamus, meiimus, lugemus, ridemus: sicuti bibente alio & comedente esurimus & sitimus. Hinc præstantis mulieris formæ cogitatione, tentigo, sicuti semine redundante libido accenditur.

Anima autem sensitiua corporis commercio nunquam carere, nihilque sine illius ope agere patiue potest (cùm anima rationalis sola multa comprehendat & iudicet singularia, & coniuncta) ideoque non anima bouis, sed bos ipse sentit. Porrò sentiens & cognoscens ipsa anima dum rerum omnium species vna cum corpore concipit, fit quodammodo omnia; sicuti corpus ipsum quodammodo simile ei quod cognoscitur, idque secundum partes etiam corporeas, non tamen corporaliter, & quâ materiales sunt (neque enim oues aspiciẽtes variegatas virgas variegatę cernentibus videbãtur) sed formaliter siue spiritualiter, vtque sunt instrumenta sensuum quibus cognoscit.

Itaque cùm animal actu cognoscens formaliter

ſit ſimile ei quod cognoſcitur : quod autem gignit ſibi ſimile reponat ; ſanè quod cogitat & generat ſimul,aliquid ei ſimile quod cogitatur gignere poteſt. Hæc autem impreſſio imaginationis in edendo fœtu multò magis ipſo coitus feruore, & libidinis æſtu , quam conformationis accidit, cùm generator ſibi ſimile generet , non qui fuit, aut futurus eſt,ſed qui nunc eſt. Neque enim in toto coitu ita impeditę ſunt facultates omnes, quin imaginatrix ſedulò aliquid apprehendat, ſed in ipſa tantùm ſeminis emiſſione languent: fit tamen vt ipſo conformationis tempore grauidæ matres rerum quas execratæ ſunt, formidarunt, aut vehementius appetiuerunt notis , fœtus ſuos inſigniant.

Quare abſurdum etiam eſt gallinarum exemplum pullos ſimiles coloribus obiectorum pannorum excludentium : illæ enim incubantes non formam ouis , ſed fœcunditatem largiuntur excitato calore natiuo : ideoque ex variarum volucrium ouis pullos varii generis excludunt. Eadem vis moderati caloris in fornace. Eadem ratione cuniculi & pulli colorem mutant, ſi capite fœminæ velato pannis coloratis ipſa à mare ineatur.

Eſt autem imaginationis vis maxima,cùm vterque parentum eidem cogitationi vacat: præſertim matutino tempore, cùm cibo & ſemine per cibum concocto corpus alacrius & robuſtius, & cerebrum abſumptis vaporibus vacuum eſt.

Matutinum enim tempus verno ; meridianum, æſtiuo : veſpertinum autumnali ; nocturnum hyemali ſimile.Hęc enim diei partitio &anni ex duplici ſolis motu eſt,ex proprio,&eo qui raptus dicitur.

Hactenus

Hactenus Lamiarum, Magorumque instrumentum vnum conuulsum omninò est, omnisque fascinatoria facultas facinorosæ eorum imaginationi Peripatetica disputatione nostra adempta est. Quam si veram esse fatemur, vt sine dubio vera est, falsæ quoque sint oportet humanorum corporum in brutorum, & plantarum corpora, vt Vlysiis sociorum in sues; Mœris in lupum; Apuleij in asinum; D. Augustini viatorum in asinos; Actæonis in ceruum: Ius in vaccam; Calystus in vrsam; Hecubæ in catulam; denique complures aliæ poetarum versibus celebratæ metamorphoses.

Nam si propriis officiis & muneribus animalium corpora, partesque singulæ conuenientem figuræ, magnitudinis, & temperiei apparatum sortitæ sunt; sine quo delirent, & insaniant, nihilque omnino, aut nisi peruersè agant; quomodo in lupino, canino, asinino, aliorumque brutorum corpore anima humana ratiocinetur? Neque enim animæ ipsius in belluinam mutatio magicis artibus & incantamentis affingenda est; Hæc Dei vnius singulari & absolutæ potentiæ, qua rerum naturas inuertit, non tamen ordinariæ propria est, vt cùm Nabuchodonosor regem in bouem: Loth vxorem in salis statuam commutauit.

Quare si quibus propriæ formæ mutatio vnquam persuasa sit, istorum mentis error fuit ab ægritudine aliqua melancholica perturbatæ; vt Lycanthroporum, & rabiosorum; ex quibus illi quòd se lupos putent, hominum consuetudinem fugiunt, syluas, & speluncas prosequuntur; obuios denique homines, & pecora dilacerant.

Tales sunt apud Septentrionales populos permulti: hi canum more mordent, latrantque, tametsi eorum species externæ à naturalibus,&pristinis non degenerarint.

Quòd si sanis etiam,neque desipientibus conuersio eiusmodi foris videatur,dæmonis istæ sunt præstigiæ,fraudes, & ludificatio lamiis, magisque singulariter expetita:vt sub alienis,catorum, canumque& aliorum brutorum formis possint impunè saluti humanæ insidiari.

Reliquæ metamorphoses,quæ leguntur,commẽta sunt aut fabulosissima,aut certè allegorica ad hominum insipientium & improborum belluinos mores carpendum. Fuit enim quoddam philosophandi genus cùm per fictas fabulas aliud significarent antiqui: quo vsi sunt Æsopus, Cyprius Lybicus,multique tum poëtæ,tum philosophi. Hęc tamen à posteris incautè,nimiumq; simpliciter accepta sunt,quasi sine vlla figura vulgarẽtur. Hinc creditum à multis est Castori eam insitam esse naturã, vt sibi testes præcidat, vt illis in sequentes venatores proiectis, incolumis euadat: & serpentibus vt aures sibi obturent,ne vocem incantatoris exaudiant:sed potiùsCastoris nomine homo prudens significatur,qui imminente naufragio, fortunarum suarum omnium iacturam facit spontaneam. Et serpentum nomine homines designantur intemperantes, qui salubria vitæ sanctioris consilia repudient.

Hinc denique fortasse etiam Pythagoreorum metempsychosis orta est, vt homines metu territi animarum suarum migrationis in vilissima quædam bruta, iustam, piamque & innocentem vitam

tam

tam colerent.

De fascinatrice magorum visione.

SEcundum Magorum instrumentum est visus: cùm enim oculi ministri sint animi: inuidi, & malefici radijs suis & spiritib. vitiosa qualitate imbutis obuia hominum, brutorum,& plantarũ corpora posse fascinare putantur. Talem scribunt visionem fuisse mulierum Ponticarum, quibus in altero oculo duplex pupilla fuit, aut figura equi impressa: quarum etiam corpora immersabilia fuisse proditum est. Hac oculorum vi à basilisco aspectos homines necari: à gallo gallinaceo leonem terreri, & ab ariete elephantem: à lupo rabiem contrahi: à testudine oua foueri & pullos excludi: à menstruosa muliere speculum inquinari: ab aue galgulo aurigimem sanari: ab ophthalmico sanũ infici: ab aspectu formosæ mulieris insanum amorem accendi credunt, vt Phyllidis erga Demophoontem filium Thesei: vt Iphidis erga Anaxaretam: Byblidos erga fratrem: vt Antiochi regij filij èrga nouercam Stratonicem.

Sed hæc omnia facile est refutare: & fascinationẽ visoriam & exempla proposita. Primùm enim visus non vt videndi facultas, neque vt visoriæ facultatis actio, neque denique vt obiectum i. color, fascinare quemquam potest. Colorem enim in se recipit: vel eius imaginem, à quo illustriori, nimisque fulgido læditur potius quàm lædat. Visio autem, actio est manens tantùm quamdiu fit: vbi desinit fieri desinit esse, neque in aliud corpus transit quod fascinet: facultas quoque visoria si

actiua fingatur, species visiles in seipsa reconditi, sin passiua, colores obiectos recipit, non alterat. Quare externum corpus non fascinat visio. Deinde visio nulla radiorum & spirituum emissione in rem videndam constat. Sic enim in tenebris, vt in luce visilia viderentur obiecta, sufficiente ad hoc oculi luce interiori: neque oculus membranis egeret ad spirituum exitum cohibendum, neque vicina magis quàm distantia cernerentur, aut celerius, quia vtrisque lux interna oculi æqualiter conueniret. Adde quod per ventos, & tempestates turbatis spiritibus visio turbaretur: Neque tantuli radij ingentem rerum molem complecti, neque repente in cœlum, & in res distantes æqualiter, vt in vicinas efferri possent. Sed insuper assidua illa radiorum & spirituum electione visio citissimè desineret, refrigeratis scilicet oculis, neque lux solis, neque candor niuis oculos occæcaret. Sed & reliqui sensus recipiendo propria obiecta, non emittendo radios aut spiritus fiunt. Denique si exeant ab oculis radij, aut spiritus, quo duce in rem videndam vehantur, quaque via colores visiles ad oculos reuehentur? Videntur quidem colores varij in tenebris ab imaginatione rerum diutius cõspectarum. Lignum putre, & boleti, & vermes quidam noctilucæ cernuntur quoque in tenebris densissimis ob lucem emicantem ex debili quodam calore in putril lignorum humiditate. Inest etiam in oculis lux proxima quæque collustrans, maximè si lucis & spiritus adsit plurimum: vt in animalculis prædictis quæ sua luce loca proxima illustrant, vt in obscurissimis tenebris cerni possint. Idem proditum

tum est de Mario, & Tiberio Cæsare: quorum oculi micantes noctu cernebantur cominus, & cernebant. Tales sunt aues quædam noctu videntes, vt noctuæ: tales sunt feles ob splendentem oculorum substantiam igneam, aqueamque qua proxima quæque vident, lucis oculorum adiumento, non tamen eminus.

Quare exempla visoriæ fascinationis abeant. Basiliscus non visu, sed maligno halitu necat. Gallus gallinaceus leonem, aries elephantem, antipathia terret. Lupus raucedinem vel ob timorem & vociferationem, vel ob putrem anhelitum inducit. Testudo oua vel obseruat ne abducantur, videndo: aut fouet halitu: sicuti serpentum oua solus terræ calor fouet & excludit.

Menstruata mulier specula inficit non spiritibus visoriis, sed vaporibus & halitu. Sic lippitudo vaporibus putribus inducitur. Amor conficit amantes & extenuat, non spiritibus receptis amatæ, sed effigie eius recepta: eiusque vehementi imaginatione. Aureolus non haurit icterũ. Quòd si maleficarum aspectu pueri lædantur, id vel à contagione vel à timore præ deformitate vetulæ: aut à dæmonia facultate est, qua segetes etiam, iumenta, plantæ lædi solent: sicuti S. Thom. 3. ad Galat. ex quibusdam fascinatoribus audisse se testatur, dæmones per oculos maleficorum lædere solitos. Cui sententiæ Basilius Magn. in homil. de Inuidia assentitur, ita vt morbi illi per visum illati, si non contagiosi: saltem vel dæmonij, vel diabolici habendi sint.

De lamiarum fascinante tactu.

VLtimum Lamiarum instrumentum tactus est, quo se nocere vitæ, & sanitati alienæ falsò putant, idque vel immediate, vel mediate, dum vapor vitiosus ex fascinatricis corpore in fascinati cor proxime exceptus, inde in habitum per arteriarum pulsationem transfertur: vel, dum ex aëre contiguo in quem teter vapor expiratus est, intrò rapitur inspirando, transpirandoque. Cæterum tactus fascinare non potest, neque vt facultas tactrix, quæ è cerebro nascitur, in quo nulla fascinandi vis, nisi forte à praua imaginatione spiritus tactorij falsò inquinari fingantur: aut etiam foras in externum corpus excludi: neque vt obiectum tactus, quod qualitates sunt primæ & secundæ, quæ si etiam cum voluptate excipiantur, habitumque diffundant, & laxent, vaporemque emittant, aut admittant, nullomodò tamen fascināt. Vapor enim ille, si imputris, & incorruptus est, à fascino abhorret: si putris, contagiosus est, non fascinatorius, & certis tantum animalium speciebus, ætatibus, partibus, & sexui noxius, vt de lippitudine, phthoë, & peste constat: cùm vis fascinatoria quæcumque tangit corruptibilia corrumpat. Neque etiam tactus fascinare poterit propter instrumētum tangendi: non. n. cutis temperatissima, non vlla pars similaris, non cor vitæ fons, non cerebrum, hoc faciat. Nec rursus transpiratio excrementorum, cùm infantes maximè excremētitij nutrices tamen suas non fascinant. Non adolescentes, & iuuenes excrementis vacui: non denique senes excrementosi. Homines igitur nulla corporis sui parte, aut æ-

aut ætate fascinare, sed sola aliquando contagione nocere possunt. Quare omnis quæ tactu lamiarum repentina noxa, aut mors superuenit, dæmonis est earum tactu ex pacto abutentis: aut saltem à venenis quibusdam, & medicamentis arte diabolica præparatis; quæ contactu non solùm immediato, sed mediato etiam & longiori grassari solent, Cuiusmodi solent condi sub limine, aut supra limen, aut in via, per quam progressuri sunt greges: aut spargi per agros & pascua; aut affricari sellis equorum & frænis: cibis etiam aliquando miscentur sensim nocitura.

Sic ergo exempla euaporationis, & noxarum inde contractarum exponenda sunt. Quod autem torpedinis contactus membra piscatoris per contum longiorem stupefaciat, verum id quidem est, sed physicum est, ob antipatheiam scilicet. Serpentis occisi virus apud Auicennam secundum lanceam militem eneruauit: id quoque physicum est, & venenum.

Quidam tactu maleficæ protinus resoluuntur: hoc metaphysicum, & diabolicum est; aut saltem veneficium diabolicum. Hyenæ contactu canes obmutescunt. Fortasse ex terrore, aut antipatheia: qualis etiam est leonis & galli; arietis & elephantis: Serpentes necari creduntur tactu folij quercini, & fraxini: physicum id est & venenum.

Serpentes sistuntur obiecta ibidis pluma: requiritur experimentum, poteſtque tamen esse physica antipatheia. Vipera percussa virgis faginis protinus torpet: fortasse spina fracta à virgis tenuibus, & corilorum virgultis. Capra depasta car-

duum capitatum totum gregem ſiſtit:hoc fortaſſe fabuloſum eſt,aut dicendũ vapore grato maſticati cardui gregem allici. Echeneis piſciculus remoratur nauem quamlibet grauem, & ventis impulſam: phyſicum id eſt. Magnetis tactu ferrum illitum torquetur ſemper ad polum: phyſicum id eſt, & per ſympatheiam. Plumæ aquilarum contactu reliquas auium plumas tabefaciunt, phyſicum eſt, & ex antipatheia. Ophyogenes in Helleſponto ſolo tactu morſibus ſerpentum medebantur: ſuctu enim extrahebant venenatam ſaliuam è vulnere. Pſylli, Marſique ſolo odore ſerpentes necabant: hoc ex veneno, quod in diuerſo genere animalium crebrum eſt, & ſic hominis ſaliua viperam necat. Pulſata citharæ quædam chorda eandem chordam alterius citharæ reſonare cogit: id fit ab eodem aeris contigui pulſu, & modò pariter tenſa atque proximè admota ſit. Sic pulſata chorda lupina rumpuntur agninæ: ſed ob antipatheiam, eſtque phyſicum. Ruta braſſicam necat: quia ſubducit alimentum validiori tractu & calore. Sic denique homicidæ contactu ſanguis manat è cadauere hominis recens occiſi: phyſicum fortaſſe hoc eſt, & ob antipatheiam: vel certè fit vi facultatis animæ ſenſitiuæ, & vitalís poſt diſceſſum animæ rationalis tantiſper reſiduæ, dum calor naturalis omninò exhalet: vel fortaſſe quòd homicida vellicando vulnus digito ſanguinem exprimat.

De falſis verborum viribus.

PRæcipuum & frequentiſſimũ Magicæ faſcinationis inſtrumentũ vox habetur & oratio, cuius

vim

vim tum ex caufis & origine, tum ex effectibus & monſtroſis operibus demonſtrant. Inquiunt enim vocem & orationem, vim ſuam accipere vel à corde, ex quo materia vocis, quæ exſufflatio eſt, vehemẽnſque & copioſa ſpiritus in vocalia organa, vt aſperam arteriam & laryngem, excluſio emiſſioque: vel à praua imaginatione, hoſtilique voluntate incantatoris, eo quod cùm habitus corporum, vehementiora animorum πάθη ſequantur, idcirco etiam rerum vehementius expetitarum cogitationi & appetitui reſpondent: inde eſt quòd ægri ex fide in medicum conualeſcunt. Addunt etiam vocem vim obtinere ex ipſo orationis contextu: vel denique ex aſtris ſub quibus aut voces pronunciantur, aut nati ſunt pronunciatores ipſi.

Itaque incantatores & malefici Magi verbis quibuſdam vel prophanis, vel barbaris nihilque omnino ſignificantibus, vel diuinis etiam, rerum vires permutari, augeri, infirmari, tandemque obliterari, nouis quibuſdam, & alienis conquiſitis, affirmant: vt puta aſtra cœlo detrahi, fulmina elici, meteora concitari, & profligari, nubes, ventos, pluuias, grandines, fulmina, tonitrua, vnde animalium, & frugum ſtrages miſerabilis, morbos denique & ſanitatem conciliari, aliaque admirationis pleniſſima opera præſtari: pueros, armenta, pecora, ſegetes tabeſcere, lapidari, ſternique: humanas formas in alienas brutorum, & plantarum mutari: corpora ſua, alienaque in diſtantiſſima loca repente exportari: mures, locuſtas, alioſque vermes ad fruges euocari, & ab iiſdẽ

abigi, ſerpentes cogi, fugari, enecari, ideoque ab illis aures obturari ne incantatoris voces audiant, alteram terræ preſſu, alteram caudæ immiſſione. Sic aiunt magum quemdam obmurmuratis in aurem bouis quibuſdam verbis, bouem ipſum ſubitò proſtrauiſſe: alios carbones ardentes impunè ingurgitaſſe: alios enſium mucrones nudis pedibus ſuperaſſe.

Sic Tuſciam Veſtalem verborum vi cribro aquam hauſiſſe & longius exportaſſe. Æmiliam quoque Veſtalem innocentiam ſuam cùm de extincto igne ſacro accuſaretur, lacinia veſtis ſuæ, quam in aram adiuratæ Veſtæ proiecerat, ſponte ſua exardeſcente probaſſe: Veſtales quoque alias fugitiuos pleroſque ſeruos in vrbe remoratas eſſe. Eadem denique vi verborum amorem, & odium inflammari volunt. Quid quod verborum eandem vim magi ipſi confirmant medicorum nobiliſſimorum autoritate, quos vt pharmacis, ita verbis non ſolùm pronuntiatis, ſed alligatis etiam & ſuſpenſis morbos debellare conſtat. Sicut legere eſt apud Plin. libr. 28. c. 2. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari. M. Varro podagris. Theophraſtus iſchiadicis. Eadem vi verborum manantem olim è vulnere Vlyſſis ſanguinem à filiis Autolyci ſuppreſſum fuiſſe legimus. Eadem vi vulnera prope omnia hodie quoque perſanari, & ſpicula ex oſſibus euelli abſentium & ignotiſſimorum hominum conſtat, & quoſdam, enſe quo vulnerarunt, eodem ægros ſanare, cúmque illum attollunt, & digitis fricant, dolorem leuari: ſicuti cùm deprimunt, exacerbari. Cardanus certas verborum formulas deſcribit Homericæ

ricæ curationis similes, quibus ter recitatis hæmorrhagia quælibet cohibeatur.

Sanguis mane in te, sicuti Christus fecit in se:
Sang. mane in tua vena, sicuti Christus in sua pœna:
Sang. mane fixus, sicuti Christus fuit crucifixus.

Aëtius lib. 8. c. 50. os faucibus infixum & pertinaciter hærens huius carminis vi educit.

Egredere os, si tamen os, aut festuca, aut quicquid tandem existis, quemadmodum Iesus Christus Lazarum è sepulchro eduxit, & Ionam ex ceto.

Trallian. lib. 9. c. 4. asserit Galenum seniorem Incantationum vires, quas iunior spreuisset, maximas tamen euidentissimis exemplis comprobasse. Idem quoque de seipso ibid. subiicit: Si Galeno & veterum medicorum plerisque probetur vsus characterum, annulorum, & verborum, quid vetat nos quoque quæ probauimus & vera comperimus, & ab amicis accepimus in vulgus efferre? Multa equidem habeo occulta remedia ad frangendum lapidem, sed nullum est par Annulo ex Cyprio ære. Cuius conficiendi modum eodem loco legas.

Q. Serenus vocem hanc barbaram (Abracadabra) in charta scriptam, linoque inclusam, & collo appensam hemitritæum curare ait.

Apud Plin. etiam pronunciata vna vocula (Duo) visi scorpionis impetus comprimitur, ne ictum vibrare possit.

M. quoque Seruil. senator Rom. lippitudinem diuturnam literis duabus (ρ) & (α) collo circumligatis cohibuit.

Quidni igitur naturales verborum vires curan-

dis quibusdam morbis salutares esse fateamur? Nam si verba quædam sint noxia & lethalia, quales parentum imprecationes sæpe fuisse compertum est, cur quædam etiam salutaria nõ esse putentur? Hinc enim sternutanti bene ominari solemus: & amicis ad Calend. Ianuar. fausta omnia vicissim precamur. Sed insuper istæ verborum vires ex eo confirmari videntur, quod Ecclesiæ auctoritas exorcistas iubet certis verborum formulis dæmonas è corporibus obsessis fugare. Nec mirum id quidem est si efficiendi vis aliqua verbis tributa esse videatur, cùm verba naturam sortita sint, rerum viribus affinem, præsertim Hebræa ab Adamo imposita. Iure itaque Magi, & Lamiæ, & Cabalistæ Iudæi, Incantatores malefici eximios & singulares verborum effectus promittere videntur.

Sed enim ratiunculas istas de facultate verborum, vique carminum, & incantationum effectiua verissimis argumentis improbari posse, ipsaque facultatis eiusdem proposita exempla confutari facile posse arbitror.

Primùm enim facultatem eiusmodi neque à syderibus delibatam: neque ab imaginatione quamlibet vehementi: neque ab imaginantis visceribus vt cerebro, & corde, totoue corpore deriuari posse clarissimè est antea demonstratum.

Deinde nullam facultatis huiusce caussam, neque naturalem & efficientem: neque formalem: neque finalem: neque instrumentariam esse constat. Vox scil. aut articulata est, vt hominis: aut inarticulata, vt bouis: illius finis triplex,

tum

tum mentis & consilij nostri explicatio, quod aliis notum esse volumus: impetratio boni alicuius: & prohibitio mali, idque vel ab hominis, vel numinis alicuius ope.

Porrò verborum facultas nulla est à natura, cùm naturalia ipsa non sint: Alioqui enim eadem essent apud omnes gentes: essentque omnes homines vel vnius tantùm sermonis innati: vel duplicis, insiti à natura, & adscititij à doctrina; & vsu: surdi etiam loquerentur: neque imponerentur rebus nomina pro hominum arbitrio, Neque idiomata mutari contingeret, vt quæ olim celebria fuerant nunc omninò vilescant, soliusque scripturæ beneficio significationem suam antiquam antiqua verba permulta retinerent: non essent rebus creatis quam primum à Deo imposita nomina. Insuper verborum partes, literę scilicet & syllabæ, essent quoque naturales, & quantitas contra omnem philosophiam actiuum principium statueretur, cùm sit oratio quantitas numerosa: actio etiam naturalis esset inter ea, quorum non est materia communis, vt verborum & corporum viuentium. Denique naturalis actio fieret sine contactu agentis, aut qualitatis eiusdem, aut virtutis cum passo, cùm verba res disiunctas non tangant. Iam vero nec à formâ sua actiuam vim consequuntur ipsa verba. Illa enim est articulatio, quæ nihil pręstat, nisi quod conceptus nostros exprimit, quemadmodum digitorum gesticulatio & aliquando oculorum. Atque vt ex hac nemo intelligat cur illa huius vel illius rei nota sit, nisi inter quos de nota cuiusque rei conuenit,

ita nemo quomodocunque loquatur, nisi ab ipsius sermonis perito intelligetur. Ideoque neque Gallus Hispanum, aut hic Germanum, sicuti neque Græcus Latinum, aut alium intelligat sine doctrina vsuque sermonis eiusdem.

Tametsi igitur loqui homini sit naturale, vt ipsa linguæ conformatio indicat, ipsa tamen idiomata hominum arbitrio & consensione constant & significant, cùm loqui nihil aliud sit, quàm certis linguæ motibus mentem detegere. Seruantur a.res ab iisdem causis, à quibus procreatæ sunt: Verborum ergo significationes non ex natura, sed ex voluntate vtentium aut sordescunt, aut negliguntur, aut excoluntur, nullumque verbis ipsis cum rebus significatis est naturæ commercium & similitudo, cùm illa tantùm sint aër quodammodo à lingua diuerberatus: ideóque hæc verba has res, illa illas ex hominum arbitrio solo insinuant.

Denique si verba vim haberent aliam, quam significatiuam, omnis omnium hominum sermo semper verus esset, semperque rebus significatis responderet, omninoque res quælibet propter affirmationem vel negationem nostram aut falsa aut vera esset.

Porro actiuam vim verbis impertiri propria eorum materia non potest, quæ spiritus est è corde in asperam arteriam & laryngem copiosè & vehementer excussus: variant enim tantùm ob sanguinis, spirituum & symptomatum animi, & instrumentorum vocalium varietatem, vnde eumdem sermonem omnium hominum esse contingeret; tantumque in leuitate, asperitate, grauitate,

grauitate, tenuitate, & similibus discrimen esset. Ipsa denique instrumenta verbis, agendi vim nullam conferunt: si enim totus thorax, tum maxime pulmo, aspera arteria, larynx: noxiam quandam vim expirant, vt in phthisicis, ea contagiosa, non fascinatoria est. Quare incantatio omnis aut falsa est, dum ea quæ non fiunt, fieri tamen delusa plebecula sibi persuadet: vel impia penitus & dæmoniaca, cùm authore dæmone stupenda eduntur opera, nullaque omnino incãtationi, miraculi aut fascinationis per se facultas tribuenda est, vt serpentes, lupos, ratos tardandi, euocandi, fugandi: morbum, sanitatem, abortum prouocandi: coniugij iura prohibendi: tauri, aut equi ad certam arborem, vt ficum, domandi; sed dæmoniaca facultas eiusmodi habenda est. Itaque hanc de vi verborum credulitatem irridet Ouid.

Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues:
Nec redit in fontes vnda supina suos.

Athenienses quoque mulierculam ex verbis medentem edicto lapidarunt, omnem medendi artem in plantis, & metallicis constituentes. Irridentur quoque à Gal. lib. 6. de simpl. medic. facultatib. & à Theophrast. l. 9. de hist. plant. & à Pericle, à Caracalla Imperatore febrium curatores ex verbis condemnantur.

Medici quoque docti incantationem morborum curationibus sæpe profuisse senserunt, non tamen ob propriam eorum efficaciam, sed ægrorum potius stultam credulitatem, & confidentiam, qua natiuus eorum calor, i. natura morborum medicatrix roboratur.

Quod si absentibus etiam verba prodesse compertum sit, id verò ex dæmoniaca fraude & facultate est, dæmonibus hoc verborum prætextu maleficos magos fallentibus, quibuscum vel apertum, vel tacitum pactum habent. Eiusmodi fuit ranarum, & serpentum per magos Pharaonis productio à dæmonis præstigiis, non verborum aut carminum efficacia inductarum.

Itaque incantationes omnes prohibentur tum à Deo ipso Leuit. capite vigesimo, & Deuteronom. capite vigesimo, octauo & Esaiæ capite quadragesimo septimo: & ab aliis quoque sacris authoribus, vt D. Augustin. l. 7. in Euangel. Ioannis.

Quod autem exorcistarum concepta verba quædam dæmones fugare videantur; non ob eorum naturam propriumque sonum, aut descriptionem, sed ex Dei nutu verborum significationem adiuuantis. Sic venerabile nomen (Iesu) non ob materiam, sed ob significationem suam saluatoris, ad omnia pia, iustaque opera efficacissimum est.

Quod si imprecationes parentum propriis liberis nocuisse contigit; aut ex liberorum ipsorum terrore, aut ex diuino nutu noxa orta est.

Si horis matutinis diurnam, Cal. Ian. annuam salutem amicis deprecamur: si denique iisdem sternutantibus, ægrotantibus, & quoduis negotium aggredientibus bene ominari consueuimus; non sane à verbis nostris, sed ab vno Deo ominis exitum secundum expectamus.

Si piorum hominum iustis ad Deum precibus vermes, locustæ, tempestates, & pestes propulsari, arcerique videantur: numinis rogati, non verbi humani, ista vis est.

Fulmina,

Fulmina, fulgura, tonitrua, venti, turbines, pluuiæ, niues, grandines, omniaque meteora, naturæ sunt opera. Quòd si quando, naturæ quasi erepto suo iure, magico quodam carmine obmurmurato flagitiosorum hominum votis quasi respondeant, nonne dæmonibus potius, quàm magicæ incantationi id ipsum tribuamus? At ab illis meteororum materia arbitratu suo versari solet. Sic Haquinus rex Noruegiæ Danorum exercitum grandine & imbre oppressit. Sic rex Suetiæ Aeoli cuiusdam instar ventorum flatus regebat. Sic quidam ex eadem gente magi mercatoribus ventos vendebant apud Holaum Magnum.

Num arbitremur homines dæmonum potius astu, quàm verborum vi in alienas brutorum species mutari? Falsæ tamen sunt illæ: verè enim Aristoteles in Metaphys. non à simplicib⁹ formis physicas, sed à mixtis in materia excitari posse disputat.

Itaque neque verba, neque sydera, neque dæmones ipsi corporum physicas formas, nisi ficte & verisimiliter transmutent, vt est paulò antea à nobis disputatum. Cùm enim rerum naturalium vires, effectus, & causas exquisitè calleant, promptissime easdem colligunt ex omnibus orbis partibus, & ad fictitias formas quaslibet accommodant. Sic per Pythonissam necromanticam Samuelem exhibuerunt prophetam: sic socios Diomedis, in aues; Vlyssis, in sues: Arcades in lupos, mutarunt. Vera tamen est aliquando physicæ formæ in alienam mutatio, ita iubente Deo, vt vxoris Loth in statuam salis. An rursus suspicemur, Magorum, Strygumque corpora tam

longè, támque celeriter vi verborum, non dæmonum, transferri? Cùm enim corporeę substãtiæ simplicibus & incorporeis naturis pareant (teste Augustin. 3. de Trinit.) sintque dæmonum, vt Angelorum simplices naturæ, cur impuros magos sagasque in motu locali (permittẽte Deo) sibi parere, vt eorum corpora quocumque velit portet, exportet, traducat, versetque? At hoc ipsum de Simone Mago, Circe, Medea, Canidia, Tyridate olim proditũ est. Sed & nostris quoque temporibus in plurimis impietatis magicæ cultoribus comprobatum fuit.

Verba ergo, & Carmina in tollendis per aërem corporibus vsurpari solita, symbola sunt pacti inter Magos & dæmonas quibus sollicitantur (illi tamen etiam turbatis dormientium mentibus impurissimis quidquid vigilantes optarint quorumdam vnguentorum, suffituum, & herbarum viribus se per somnum præstitisse facillime persuadent) Nam neque verba etiam diuina, neque prophana quæcumque ore sacrilego obmurmurare possint, vlla miraculorum facultate pollent. Peccantque impiæ eorum preces tum in materia, cùm res iniusta naturæque iuribus contraria, & Deo odiosa petatur: tum in forma, cùm pluris verba, quàm rerum intelligentiam æstiment. Tales sunt preces, & verba & barbara colligendis herbis insusurrata: quarum tamen vim à prima rerum creatione Deus nunquam mutauit. Talia sunt & Euangelia ipsa collo obligata ad ægritudinum curationem, aut præcautionem.

De amuletis & periaptis.

AMuleta & Periapta remediorum species est aduer-

aduerſus faſcinum propriè,& veneficium ex Sortilegiis vſurpari ſolita. Sed ad Medicinam etiam morboſq; curandos,& precauendos pertinet. Amuleta vocata ſunt à vi amoliendorum & depellendorum venenorum. Periapta ab vſu, quod partibus quibuſdam corporis , vt collo, carpiſque alligari ſoleant. Sunt a. duplicia, phyſica , & metaphyſica: hæc inanib. quibuſdam verbis prophanis, ſacriſve, aut diabolicis etiam nominibus conſtant, intermixto etiam ad tegendam dæmonis fraudem, venerabili nomine Ieſu, Auguſtin. teſt. in euang. Ioan. tract. 7.

Eſt enim genus hoc magorum & maleficorum hominum impium, & ſacrilegum : ideóque bonis omnibus medicis authore Gal. reſpuendum : à quo præcipitur libro ſexto & decimo de ſimplic. medic. facultat. ſic medicamentis eſſe confidendum vt eorum ſubſtantia , non incantatorum verba iuuare credantur. A Theophraſto etiam de hiſt. plantarum abſurda putantur quæcumque alligata corporibus , ædibuſque , ſingulariter opitulari iactantur. Sic ab Antonio Caracalla Imperatore authores periaptotum ad febres intermittentes reprimendas , condemnati ſunt. Sic à Pericle Athenienſe iidem contempti , quem à morbo graui vbi conualuiſſet ſtultitiæ ſuæ apud amicos palam puduiſſe refert Plutarch. quod ſæuientibus morbi ſymptomatis ſibi ab agyrtis,& circulatoribus appendi remedia , alligarique paſſus eſſet.

Itaque ex circumforaneis qui verſutiſſimi ſunt, Amuleta ſua magica à contumacibus morbis, & acutiſſimis febribus remouent : eaque mitioribus

& breuioribus, vt & intermittentibus, idque imminente solutione admouent. Quòd si adhibitis amuletis, omissisq; artis auxiliis morbi quidam percurentur, non ea quidem curatio amuletorũ est, sed aut robustæ naturæ leuiorem morbum discutientis, aut ægrorum confidentiæ : aut certe cacodæmonis.

Hinc Theologorum decretis repudiari & interdici pijs omnibus iure solent: præsertim cùm verbis omnibus siue prolatis siue descriptis efficiendi vim aliam, præter significationem rerum quarum sunt symbola, nullam Deus concesserit.

Alterum genus amuletorum & periaptorum naturale est, constatque physicis remediis, eorundemque manifestis, vel occultis facultatibus. Cùm enim physicæ formæ sint duplices, anima, & natura, propriis facultatibus instructæ, vtraque species in animatis præclara est: sicuti in inanimatis altera, natura scilicet. Animæ facultates sunt procreatrix, auctrix, motrix, sensitiua, & motiua: quæ indefinitæ sunt & sæpe contrariæ. Naturalium facultatum ex origine genus bipertitum est. Vnum est manifestarum, alterum occultarum: illæ ex temperamento, primarumque qualitatum elementarium mixtione emergunt: quæ quod sensu internoscantur earum alterationes, possintque earum effectus explicari ex qualitate vincente, manifestæ idcirco vocitantur. Occultæ ex mixti forma prodeunt & tanquam riuuli ex fonte emanant, quæ forma rursus ex propriarum cuiusque elementi formarum vnione pullulat: ideoque occultæ facultates

nuncu-

nuncupantur, quarum causa incognita, inexplicabilis, indemonstrabilis, nulloque sensu perceptibilis sit, ob ignotam formæ essentiam: tantùmque de illis sciri potest τὸ ὅτι, aut ab experientia, sed non διότι. Aliàs totius substantiæ qualitates, vel proprietates nuncupantur, quia pendent à forma, quæ mixti totam substantiam complet, integrat, & perficit.

Quemadmodum igitur temperamentorum, sic formarum etiam inter se sua similitudo, & dissimilitudo est: quæ Sympatheiæ, & Antipatheiæ vocantur in omni rerum genere, siue eodem siue diuerso illustres & perspicuæ.

Sic in plantarum genere sua est inter se antipatheia vitis, & brassicæ: quercus, & oleæ: hederæ, & aliarum arborum, quas complexu suo necat.

Eadem est antipatheia inter venena, quæ sese inuicem obtundunt, & aliquando expellunt sudore, vomitu, deiectione, sicuti per sympatheiam quandam sese inuicem attrahunt, vt testudo & salamandra, sublimatum & crystallum, &c. Sic in animalium genere, galli & leonis: elephantis, & arietis, atque suis: icneumonis & crocodyli: elephantis rursus & rhinocerotis: cameli & equi: aquilæ, & draconis: cornicum & noctuarum celebratur antipatheia. Neque ea in solis viuentibus, sed in mortuis quoque viget.

Sic enim tympanum ex pelle arietina pulsatum raucescit, altero ex pelle lupina resonante. Sic cythara chorda lupina arietinam diffringit. Sic plumas

reliquarum auium, permixtæ aquilinæ tabefaciunt. Sic denique cadauer hominis occisi præsente homicida cruentari aliquando solet.

In diuerso genere antipatheia etiam est, hominis & veneni: aut cibi etiã vtilioris alicuius, vt pomi, casei, vini, &c. Reliqua sympatheiæ, & antipatheiæ exempla apud historicos disces.

Sunt ergo rerum prope omnium, & medicamentorũ insitæ facultates duplices, tum naturales & manifestæ ex temperamento, & vincente in eodem vel qualitate vna, vel duabus oriundæ, tum physicæ & occultæ ex forma & substantia mixti. Ex naturalibus illis, & manifestis facultatibus concinnata amuleta, & periapta propriæ substantiæ, vaporisque effluuio inspirato, transpiratoq; interiorem morborum causam oppugnare, morbosque ipsos expugnare possunt. Sic melanthii semẽ catarrhũ: radix & semen pœonię albę epilepsiam: stercus lupi colicos dolores, tollere perhibetur.

Similia sunt ad febres intermittentes pleraque periapta carpis admouenda, quæ vel per se & refrigerando: vel per accidens & attrahendo digerendoque putridos vapores ne accessionem pariant. Illius generis illud est apud Hollerium ex soncho, plantag. & sambuc. aceto subactis. Aliud est ex fuligine furni, & foliis saluiæ cõfusis mixtisque cum oui album. & appositis. Simile quoque est ex eadem fuligine cum allíis, cepis, albumine & germine oui, acetoque subactis.

Sed illa tamen amuleta & periapta ita demum propriis viribus & manifestis pollere putanda sunt, vt ab iis omnis superstitio, susurri, & aniles preces remoueantur, dum præparantur, colliguntur,

guntur,& vsurpantur.

Alterum genus amuletorum & periaptorũ physicis medicamẽtis constat:quę antipatheia,occultáque proprietate tum contra fascinum, & veneficium ex sortilegio, tum contra morbos pugnant. Occultam.a.proprietatem Gal.recipit tum lib.5.de loc.aff.contra Pelopem præceptorem, tum lib. 11. de fac. simpl. vbi ait, Cinerem quidem cancri esse exiccatorium, sed eum tamen substantiæ ratione mirabiliter eos qui à cane rabido morsi sunt iuuare. Idem in lib.2.de nat. hum.In expirationibus, inquit quæ proprietate substantiæ potius quàm qualitate corpora offendunt, rectè Hippocr. curationẽ instituit per mutationẽ loci,& exiguæ spirationis vsũ. Porrò proprietatẽ li.5.de simpl.facult. explicat facultatẽ nõ cõmunẽ aliis reb⁹: sed propriã alicui substantiæ, per quã aliquid peculiariter agat.

Proprietates autẽ totius substãtię dicũtur,quasi nõ formæ soliùs, & temperamenti, quæ forma mixti est: sed materiæ etiam quã mixto peculiariter temperies excitauit.Hinc dicuntur insitæ,& intimæ.Vt enim elemẽtorum facultates à primo cõditore cõditæ sunt:sic à temperamento mixtis facultates accedunt,non solum manifestæ, sed obscuræ etiam, ex materiæ implexu cum ipsa temperie.

Quare nulli morbi solius formæ statuendi sunt, cum sola neque agere, neque ægrotare possit, sitque incorporea : sed substantiæ totius,id est, formæ & materiæ occulti morbi sunt, ex mixtionis ignorata ratione:cuius tamen principium fuit ipsa temperies.Idcóq; morborũ istorũ curatio cõtrarietate constat,& qualitatis tametsi sensibilis alteratione.

Ridicula autem est refutatio curationis per anti-

Vu

patheiam medicamentorum. Primum enim etiamsi multorum antipatheia obscura est, est tamen quorumdam certa: reliquorum multiplici, & accurata experiētia perceptibilis. Deinde ad curationem nō est opus motione locali, aut morbi, aut causæ internæ in superficiem corporis: satis enim ad salutē est si loco suo obtundatur & corrigatur vtrumque. Postremò curatio intemperierū constat quidē alteratione per qualitates cōtrarias & sēsibiles: sed curatio per antipatheiā cōstat qualitatib⁹ etiā, sed obscuris, ignotísq; ob mixtionis elementorum incertā rationē. Sunt ergo amuleta & periapta physica efficacia: sed ea non tam lectione, aut ratione quā experiētia probanda esse Gal. indicat c.5. l.2. de cōposit. secund. loc. vbi Archigenis amuleta ad cephalalgiā instituta aspernatur, tanquā sibi non satis perspecta eorum proprietate, solaque remedia eiusdem recipit, quæ manifesta qualitate eidem prosint. Experientia itaque illa frequens & multiplex sit & eruditi hominis, nec fallacibus vulgi experimentis traducatur.

De philtris.

FAscinandi, nocendique cupiditas duobus potiss. animi symptomatis cōmouetur, amore, & odio: vtrūque ab appetitu animali animæ sensitiuę oritur: ali⁹ enim naturalis, alius rationalis animę appetitus est, dū illa boni, maliue alicuius antea percepti (ignotum enim & inuisum aliquid vix quisquā aut oderit, aut amet) opinione ducitur, quod vel fugiat, vel persequatur.

Est autem amoris species, vna beneuolentiæ proxima (amicitia dicitur) cùm aliquem propriæ virtutis

tis & fœlicitatis causa amamus: Altera libidini magis affinis est, cùm aliquem nostræ voluptatis caussa, aut cõmoditatis diligimus. Ex hac specie amoris, si fruamur amato, gaudium, & lætitiam: si careamus, desideriũ nascitur. Huius amoris finis est coniunctio, duorumque in vnum (nisi alterius eorũ interitus obstet) conuersio, cuius desperatio perditos amatores ad fascinum & pharmacũ amatoriũ trãsfert. Idem quoque inuidorum accommodatissimũ instrumentum est, quo inimicos suos perniciosis ægritudinibus & calamitatibus domesticis clam nemine intelligente & facile opprimant, sicuti deinceps docebitur. Nunc de amore vitioso transigamus.

Porrò vtrumque illud animi symptoma (amor, & odium) non alienis tantùm, sed suis etiam authoribus pestiferum fascinum est. Vterque.n. ille vlciscendi, hic fruendi immodico desiderio flagrans sensim confici & cõtabescere, tandemque mortem oppetere aliquando violentam solent.

Hoc mortis genere Phyllidis, Iphidis, Byblidis, Sapphus puellæ, Timagoræ, multorumque aliorum funera ab historicis, & poetis celebrantur.

Est enim vehemens ille amor (ἔρως dicitur) nihil aliud, quàm atrabilaria quædam animi desipientis ęgritudo, pulchritudinis alicuius imagine, & iniqua æstimatione perciti, & perturbati.

Tametsi autẽ amor ab initio sit voluntarius, omninóque ex arbitrio amantium fluens, multa tamen tum in natura, tum in arte, tum in Magia quæsita sunt auxilia quæ philtra amatoria vocantur, quibus vi conciliatur. Enimuero natiua corporis venustas, munditiẽs, nitor, cultus, adolescentia, quan-

tam vim habeat conciliandi amoris, nemo nisi humanitatis & amoris expers dubitet. Philippus Macedon. rex cùm Olympię accusaretur quòd molliter nimis Indam quandam amaret, producta in publicum, detectaque palam Indæ pulchritudine, en philtrum inquit. Multò maiorem naturarum sympatheia, ingeniorum morumque similitudo amoris vim ostendit, dum ignotos, aut immeritos, aut deformes etiam amamus. Bene enim poeta:

Non amo te Sabidi: nec possum dicere quare.
Hoc tantùm possum dicere, non amo te.

Maximam verò faeundia, quæ deformitatem etiam amabilem efficit.

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.

Omnes porro etiam cordatissimos homines, & Herculem ipsum amoris imperium mancipat. Ideóque Vlysses Sirenum cantus ne exaudiret aures suas cera obturauit. Diuinissimam denique vim aurea munera amoris alliciendi consequuta sunt, vt casta verè sit matrona quàm nullus auro sollicitauit.

-Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Itaque Iupiter ipse imbris aurei ficta specie in gremium Danaes deuolutus est.

Artificiosa philtra à ratione vt plurimum sunt aliena. Alia.n.multiplicata seminis substantia, & acrimonia: incensisque visceribus, renibus, vesica, & genitalibus libidinē quidem incendere possunt (vt cãtharides, satyrij, eryngis pastinac. radices, multaque alia) mutuum tamē duorum certumque amorē proritare nō possūt. Quædā & sōnū & ebrietatē adsciscūt, vt vino somnoq; sopitę mulierculæ ab amatorib' facilius iniri possint, voluptate cōgressus certe mini-

minima, cùm alterius cõgredietiũ volũtas nulla sit.

Magica amoris incitamenta & philtra quædam sunt vanissima maximéque ridicula: Quædam venenata etiam, animique & corporis sanitati aduersissima. Illius generis sunt abrasiones pedũ, vnguiũ, pilorũ ex partib. omnib., mẽstruorũ, saliuę, sudoris, vrinæ, fæcũ: quæ omnia nequeunt concoqui, & assimilari possint: neque si coquãtur à vescentibus amorẽ eorũ magis incitare in eam cuius excremẽta sunt quàm suillæ, aut bubulæ carnes erga boues, aut porcos ipsos possint. Eiusdẽ magicæ vanitatis sunt pili rostri hyænæ ad mulieris labra admoti: ossiculum lateris sinistri rubetæ: & pilus quidam euulsus è viui lupi cauda: & hippomanes. In plantis quoque amatoriæ quædam numerantur, vt frutex quidam charitoblepharon dictus, staphylinus Plinij, herba centum-capita vocata, airoiis herba, catanance Thessala: phyteuma: sagittæ è corpore eductæ vt terram non attingãt, & cubantibus subiectæ. Quæ omnia si amantium vota aliquando explere videantur, non eorum tamen physica aliqua facultas, sed tota dæmonum propria est.

Huius generis philtrorum quędam venenata sunt, quæ non amorem magis quàm odium proritant, morbósque potius quàm sanitatem animi corporísque excitant. Neque enim animos mutare, & ad amandum stimulare, nisi temperie vehementer mutata possunt. Itaq; eiusmodi epotis philtris venenatis dementati quidam fuisse leguntur, vt Caligula à Cæsonia vxore: quidam etiam necati, vt Lucretius poeta, & Lucullus Romanor. dux clarissimus. Quare sapienter amandi magister Ouid.

Ergò quisquis opem nostra sibi poscit ab arte,

Deme veneficijs carminibúsque fidem.

Cæterum insani amoris remedia alia sunt physica & euidentia, quæcumque sanguinis & seminis vel substantiam depopulantur, vel caliditatem hebetāt: vt inedia, parcior ciborū potionúmq; vsus, aer frigidior, aut calidior, labor, vigiliæ, phlebotomia, purgatio: & libido cum quolibet scorto exsaturata: tum etiā graues curæ: absentia, & intermissa consuetudo aspectuū & colloquiorū. Sic enim Lucret.

Sed fugitare decet simulachra & pabula amoris:
Abstrerrere sibi, atque alio conuertere mentem:
Et iacere humorem collectum in corpora quæque.

Alia sunt Magica philtrorum amuleta. Athenis olim antequā nupta ædes mariti ingrederetur, oleo & adipe suillo postes inungebantur: vel felle canis nigri domus tota perfumabatur: vel genitale animalis alicuius sub limine defodiebatur. Sic enim primorum puellæ amorum memoriam deleri creditum est, ne in maritum languidior esset eius affectus, indeque iurgij, & sterilitatis occasio emergeret. Sic puluere asperso è mulæ volutabro amoris ardorem extingui scribit Plin. Sic officulo è sinistro latere ranæ rubetæ amorem inhiberi. Sic denique chamæleontis iocinore philtra amatoria dissolui Democritus prodidit: sicuti ab epoto sanguine iugulati gladiatoris, Faustinæ amor suadentibus Chaldæis Magis solutus est. Horum autem omnium Magicorum amuletorū cùm nulla omnino sit manifesta, & naturalis facultas, metaphysicam eam esse, & dæmonum propriam oportet, à quibus amor mirificè incenditur, vel succis, cum semine, & partibus genitalibus supramodum inflammatis, vel excellentis cuiusdam pulchritudinis aucta & con-

confirmata amantium opinione, cùm imaginatricem hominum facultatem quibuslibet spectris, rerúq; fictis simulachris pingere,& lacessere possint.

Eadem vi,astuque dæmones odijs implacabilibus coniugia perturbare solent , coniugesque ipsos ad peregrinos amores prouocare, dum vel humorum, seminumque temperiem in altero refrigerat, in altero vrit & peruertit.Inde enim morum dissimilitudo,dissidii,iurgiiq; domestici parẽs: vel corporis,animiq; vitiorũ opinionẽ auget:vel denique alterius coniugum voluptates venereas inflammat, & restinguit. Potest enim sanctissima matrimonij iura , & legitimos coniugum ipsorum congressus multipliciter cacodæmon cohibere : dum vel coniugum beneuolentiam excitatis odiis dirimit, vt dictum est: vel coitus facultatem marito adimit,vt genitalisvirilis rigorem laxando, vt spiritus & seminis affluentis vias intercludendo ne foras in vterum(bene etiam tenso inguine) profluat: vel denique vterum excrementorum illuuie inquinando. Hæc omnia cacodæmonis portentosa opera nemo irriserit qui 7. Saræ viros non sola coëundi potestate, sed vita etiam priuauit: aut qui maritosquosdam coniugum suarumamplexibus ineptos,alienarũ aptissimos esse viderit:multasquoque fœminas maritorum suorum securas audiuerit, quæ aliorum virorum sint cupidissimæ, aut maritorum suorum absentium amantissimæ, quos præsentes odio plusquam Vatiniano exhorrescant.

Sed ex omnibus coniugiorum & coitus impedimentis vnum est non minus vetus (de quo Augustinus conqueritur) quàm frequens , Ligatura

hodie dicta ex virilis genitalis mollitie per ligaturam, & quorundam verborum formulam inducta, dum matrimonij symbolum diuinum à sacrificulo pronuntiatur. Hanc ligaturam Virgil. insinuat:

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modò, & Veneris dic vincula necto.

Hoc autẽ sortilegium ridiculo plane remedio sol ui scribit Villanouanus, si vir pronubum annulum permingat. Reliquorum sortilegiorum, quib. non solam coitus impotentiã, sed quaslibet etiã obscuriores ægritudines dæmones inferre solent, remedia deinceps exponentur.

De Numeris.

SOlent malefici homines & fœminæ magicis operibus suis facultatem eximiam tribuere à certis & definitis numeris, à quibus rerum physicas vires mutari, augeri, minuique opinantur. Huic opinioni allusit poeta hoc versiculo,

Necte tribus nodis &c.

Hęc autem magica numerorum obseruatio à Pythagora, & Platone ad vulgus Magorum fluxit: à quibus duobus cœlos, animã, rerumque vniuersitatem numerorum viribus excitatam primùm, conseruari etiamnum, & propagari traditum, hisque rationibus ferè & exemplis comprobatum est.

Primùm enim philosophum physicum à mathematico hoc interesse, quod ille res corporeas concretasque, hic easdem concretionis omnis expertes, nudas, simplices, magisque finales (quales sunt numeri & lineæ) tractet: à formis autem efficientiam rerum omnem manare: quare & à numeris efficaciam maximam oriri in rebus permutandis, aut conser-

conseruandis. Deinde quorũ sunt simpliciores minusque mixtæ naturæ, vt Angelorum & Intelligentiarum, eorumdem facultates omnes præstantiores, actionesque validiores esse: ideoque numerorum multò maiorem, quàm rerum physicarum & concretarum efficaciam haberi oportere.

Hinc igitur orbem totum certis numeris olim cõflatum nunc quoque conseruari; vt elementis 4. planetis 7. signis Zodiaci 12. partus humanos mensibus duobus vitales esse 7. & 9: caducos 8. Crises 7, 14, 20. die esse salutares; aliis aut imperfectas aut lethales. Totius vitæ annum criticum esse 63 Climatericum dictum ex 7. & 9. numeri multiplicatione, quem cùm incolumis superasset Augustus, fœlicitati suæ apud amicos gratulatus legitur.

Hinc musicos quoque concentus & è numeris inuentos esse; à quibus hominum mentes in diuersissimos gaudij, mœroris, tranquillitatis, & iracundiæ affectus iactari, versarique solent. Hinc enim infantium in cunis vagitus nutricum cantu reprimitur. Phalangij venenatus morsus musica symphonia curatur. Hinc quoque cantu Lydio, Phrygioque adolescentes interdixisse Platonem proditum est, quod ab illo luctus, ab hoc libido, & proteruia commoueretur. Ægistum quoque non prius Clytemnestra esse potitum quàm trucidato musico pudicitiæ eius custode, dum egregiarum fœminarũ laudes coram ea decantaret. Hinc variantes sonos animæ nostræ gratos esse: eosdem vniformes, ingratos: (quod per eos nihil noui discat anima, inquit Aristoteles) raucos, discordes, & obstreperos ingratissimos; à quibus horrorem dentium incuti, icta

grauiter auris membranula, neruuloque ad radicem dentium contracto, contingit.

Quid quod bruta etiã numerosis sonis gestire & exultare videantur? Nonne apum palantia errantiaque examina sonoris numeris coguntur? Nonne auium garritus ab iisdem excitantur? An non denique mulorum labores tintinnabulorum de collo suo pendentium sonitu ita leuantur vt sarcinulas suas alacrius ferant?

Hæc igitur magica numerorum defensio est Pythagora & Platone authoribus instituta. Cuius tamen futilitatem perbreui responsione nostra constanter refelli posse confidimus, vt nihil à numeris pestiferum, aut salutare communi vitæ conferri posse clarissimè intelligatur.

Primum enim Mathematica illa rerum abstractio intellectu & arte constat. Naturæ autem agendi physica vis tota est, non artis. Deinde cùm abstractio illa mathematica intellectu & arte non natura excitetur; neque numeri sanè, neque res vllæ tam simplices & sinceræ, quã sunt Angeli, & Intelligentiæ, concipi fingique animo possunt.

Iã verò elementa, planetę, astra nõ à numero quo definita sunt, sed à motu & lumine suo efficiendi vim suam sortita sunt. Partus septimestres, & nonimestres sunt quidem vitales, octimestres caduci: hęc seminum proprietas est calidiorum, vel frigidiorum.

Sic in segetum genere quoddam triticum trimestri spatio maturatur, aliud octimestri.

De climaterico anno ita statuendum: plures ægritudines, mortesque aliis ætatis humanæ spatiis, annisque, quam hoc climaterico contingere,

tingere, quoties scilicet excrementorum insuperabili mole natura opprimitur. Numerosi denique musici concentus animos humanos dissimiliter iactant, non sanè quâ numeri sunt, sed quâ per eos sonorum & symphoniæ rationes modique omnes inueniuntur, eò quod vnicuique, authore Aristotele, soleat quod ordinatum distinctumque est vehementer placere.

Constat igitur numerorum vim agendi nullam esse physicam: sed totam (si qua fortasse est) metaphysicam & diabolicam esse existimandam: nisi si qua eiusmodi est diuinis oraculis præscripta.

De imaginibus, figuris, characteribus, & annulis.

ALia maleficorum instrumenta sunt imagines, figuræ, & characteres, quibus fascinatoriã vim cœlitus euocatam inanium quorundam verborum, vt ante ostendimus, & carminum ope conciliare sese confidunt. Ergo septem animi symptomatis planetas totidem à quibus ipsa regantur adfingunt Astrologi, magique: vt amori & libidini Venerem (sicuti antea quoque enarrauimus:) odio, inuidiæ, & auaritiæ Saturnum: crudelitati, vindictæ, & iracundiæ, Martem: iustitiæ, beneuolentiæ, & hilaritati Iouem: ambitioni Solem; fraudi furtoque Mercurium: inconstantiæ & leuitati Lunam.

Eosdem quoque planetas septem hominum ætatibus præesse volunt. Infantiæ Lunã: pueritiæ, Mercurium: adolescentiæ, Venerem: iuuentuti, Solem: constanti ætati, Martem: primæ senectuti, Iouem:

mediæ,& vltimæ,Saturnum.

Sic denique 12. Zodiaci ſigna totidem corporum partibus imperitare & dominari tradunt: Capiti Arietem:collo,Taurum:bracchiisGeminos:pectori Cancrum:ſcapulis& lateribus Leonem:inteſtinis Virginem:dorſo & natibusLunam:genitalib.Scorpionem:femoribus Centaurum:genubusCapricornum:tibiarum ſuris Ganimedem : pedibus denique Piſces.

Hæc cœleſtis imperij ſyderumque & planetarum fortunatorum & infortunatorum in animos & corpora humana Aſtrologorum,Magorumque diuiſio eſt. Quorum omnium vires,ſi Deus faxit,in imagines, & characteres arbitratu ſuo pellicere ſeſe poſſe ſperant.

Ergò faſcinaturi aliquem magi infauſtum ſydus obſeruant ætati,partique faſcinandæ maximè infeſtum. Atque tum effictæ expreſſæque in cera imagini acum , pugionem, aliudue telum infigunt obmurmuratis quibuſdam anilibus verbis. Verè enim ingenioſus Poëta de Medea decantauit.

Deuouet abſentes,ſimulachraque cerea finxit,
Et,miſerùm,tenues in iecur vrget acus.
Sagaque Phœnicea defixit nomina cera.

Eiuſque vulneris noxam eadem corporis hominum,brutorumue parte excipi opinantur. Neque id temerè vt his ratiunculis ſibi perſuadent.Primùm enim (inquiunt illi) quidquid in aliquo rerum genere eſt principium,cæteris vim ſuam impertitur: Cœleſtium a.ſyderum & planetarum figuræ, magnitudine & tempore facile primæ ſunt, & figurarum omnium principes, quibus idcircò vim ſuam

ſuam communicant.

Deinde vt natura principium eſt internum rerum naturalium, ſic artifex artificialium: artifex verò ab arte & voluntate, hæcque rurſus à cœleſti cauſſa mouetur. Quare in imagines artificiales & characteres occulta quædam vis & diuina deuolui poteſt. Præterea formæ mathematicæ (cuiuſmodi ſunt imagines, & characteres) quod ſint omnibus loci, temporis, & materiæ circunſtantiis vacuæ, ad metaphyſicas proximè accedunt: ideóque phyſicis efficaciores multò & actuoſiores ſunt. Huc accedit quod ſimilia omnia magis conueniunt in proprietatibus: magis autē ſimilia ſunt quæ figura & qualitate conueniunt, quæ ſi à natura deſit, arte ſuppleri poteſt. Itaq; plurimùm referre dicunt, quo cœli poſitu ſementis, meſſis, trituratio, lignorum cæſio, aliaque opera ruſtica ſuſcipiantur. Conſtantem denique cōmunemq; eſſe omnium Aſtrologorum de hac cœleſtium virium in artificiales figuras, imagines, & characteres inſtillatione ſententiam. Magi igitur illi, ſimili ſyderum obſeruatione annulos certis characteribus & figuris impreſſis conficiunt, quorum eximia ſit in vtramq; iuuandi nocendique, amandi & fugiendi facultas.

Ad hanc ergo facultatem eliciendam, cùm Luna in medio cœli conſtituta eſt, & dominator planeta, cuius vim & influxum exoptant, tunc ex metallo aliquo huic Planetę dicato annulum conflari iubent, eique characteresquoſdam imprimi: vel in eiuſdem cauitatem lapidem certis characteribus inſignitum defigi, cui ſubiecta ſit herba, huic quoque planetæ conueniens. Tum demum obmurmuratis quibuſdam verbis rapta huiuſce planetæ facultate annu-

lum suum muniri contendunt. Sic à Iosepho narratum Salomonem annulos amoris & obliuionis confecisse, eorumque ministerio miracula pleraque edidisse, & præter illos Hebræum quemdam nomine Eleazarum annuli applicatione dæmonem extraxisse è naribus cuiusdam obsessi: fuisse verò eius annuli signaculo, quæ à Salomone reperta sit subditam radicem. Sic annulorum beneficio Apollonium Tyaneum supra 103. annum saluberrimè & perpetuo iuuentutis flore & robore vixisse.

Sic Gygen Lydorum regem annuli virtute, in cuius cauitate lapis draconis effigie inclusus esset, inuisibilem euasisse legimus, ita vt rege occiso regnum & reginam facile inuaserit.

Sic Trallianus affirmat lib. decimo capite primo annulum cui Herculis imago leonem suffocantis affixa sit, colicis doloribus mederi.

Sic denique Eudemum philosophum annulos fabricari solitum esse tradunt aduersus fascinum, serpentum morsus, morbos, & dæmones.

Hæc est Astrologorum magorumque deillic iendis viribus in imagines, figuras, characteres & annulos doctrina, quibuscumque possunt rationibus & exemplis comprobata. Nostrum autem consilium animusque est huiusce argumẽtationis fidem quàm dubia, lubrica, incertaque sit, breuiter claréque aperire.

Nam principiũ nullum (sic enim singulæ eorum rationes ordine excutiendæ sunt) nisi effectiuũ sit, verique generis ratione præditum, pluribus vim suam impertiri potest: figura autem cœlestis principium effectiuum non est: Neque cùm cœlum ipsũ sit naturale, artificialem figuram mutare, aut noua aliqua

aliqua virtute donare potest. Figura quidem rotundæ motum iuuat, lata inhibet: vt hinc tabula aquis innatet, cùm acicula promptius in eas mergatur: At primo & per se, & naturaliter non agit.

Deinde sunt quidem voluntas & natura actionum nostrarum principia duo: ex quibus illa ab hac trahi solet: Attamen à syderibus natura vt illi putant, non mouetur: vt ab hac impellatur volūtas & ars ad imagines fabricandum, ad quas syderum facultas allabatur. Neque enim vlla est agentis naturalis in obiectū artificiale facultas. Neq; stellæ hominem possunt ad aliquod priuatum opus, vt puta mictionē, oscitationē, visionē &c. prouocare, cùm sint causa vniuersalis, & cōmunis omniū sublunariū corporum: vt est cor in homine, cuius facultate vitali reliquæ partes pariter fruuntur.

Porro mathematicæ figuræ incorporeæ quidem sunt: sed earum abstractio intellectu constat & arte: artis autem in naturam, & contrà nullum ius est. Iam verò si animorum propensio ad certas artes est in pueris, ea ferè ab eorum natura est. Quòd si etiam ab influxu cœlesti fingatur: ea omnis ad virtutē esset, & nulla plane ad vitia, cùm sit cœlum deorum sedes Aristoteli 1. de Cœlo, & rerum omnium diuinissimum, eidem 12. Metaph.

Quod si inferiora regantur à superiorib. quatenus elemētares qualitates miscent & temperant, eadem etiam conseruabuntur à stellis: potius quàm vt corrumpantur, siquidem beneficas illas omnes esse apud pios constat.

Figuræ denique artificiales non respondent cœlestibus quæ ferè ignotæ sunt, nisi fortasse totius cœli rotunda. Neque, si respondeant, ab illis

proprietatem vllam similitudinis ratione mutuantur. Sic enim orichalcum auro, stagnum argẽto æqui polleret.

Neque Intelligentiæ & sydera audiunt magicas imprecationes, vt ad fictitias similesque eorũ imagines è cœlestibus tanquam auiculæ stultæ aduolent.

Agricolarum opera rustica vno vtilius, quàm alio tempore obeuntur: ob aeris diuersam temperiem, quam ex solis lunęque mutatione pręsertim agnoscunt, non ex vlla cœli figura. Ideoque ad ędificationem ligna ferè cædunt Februario mense sub lunæ silentium, quod tunc ligna exucca magis sint, & à putredine aliena.

Adhuc Magicorum argumentorum refutatio fuit, quæ deinceps aliis ratiunculis augenda, & roboranda est: tum à cœli natura; tum ab artificialibus figuris, imaginibus, & characteribus &c. tum denique ab arte ipsa depromptis.

Primũ igitur Cœlũ est causa vniuersalis; vt paulò ante dictũ est; quare vires actionesq; rerũ particulares instillare non potest. Secundò cœlum non dat rebus materiam & formam: ergo neque proprietates. Tertiò actio passioque est inter res eiusdem generis, & in eadem considentes materia: naturalia autem & artificialia toto genere dissident: Cœlum igitur cùm sit physicum agens, figuras artificiales indere nequeat: si earum tantum materiam, primis qualitatibus quas excitare solet afficere possit. Hinc constat neque à planetis animi symptomata concitari: neque à signis Zodiaci certas corporis partes gubernari: Communium enim causarum cœlestium communes quoque sunt effectus. Ordo, figura, & compositio non sunt principia effectiua Aristotele authore:

authore;ideóque non agunt, neque rebus naturalibus quicquam addunt aut adimunt, sed earum tantùm materię superficię tenus imprimuntur. Quinto artificialia à naturalibus non mouentur, cùm naturæ qua carent motibus, non sint obnoxia: sed ab artificibus tantùm mouentur: vt scamni figura. Sextò ars non tollit qualitates naturales: ergo actionem naturalem non iuuat, aut peruertit, neque vlla materiæ impedimenta tollit, quæ naturali, & spiritali vi cœlesti nulla abesse possunt. Septimò & vltimo de arte, sculptura & pictura, hoc ipsum constat, materiæ tantùm ab ea effingi, efformari, & figurari superficiem, in qua tamen vires cœlestes non inhæreāt, vt quæ abditissimas etiā partes penetrent.

Hactenus magorum argumenta de imaginū, characterum, & annulorum fascinatoriis virib. refutauimus: sola superest exemplorum expositio.

Medeæ igitur & si qua talis aliorum sæuiendi ratio legitur, ea quidem noxa non sculpturæ, picturæue propria: sed tota dæmonum piis sanctisque viris semper habita est, qui his figurarum &c. signis, tanquam certis pactis ad nocēdum inuitantur à magis.

Salomon vt scribit Iosephus vtramque magiæ partē calluit, tum impiam (Goëtia dicitur) quæ malorum dæmonum euocatione constat. (Hanc enim cognitam facilius erat ex piorum cœtu profligare quàm incognitam) tum perpiam (Theurgiā vocant) etiā calluit, & verborum sacrosanctorum recitatione, Deiq; inuocatione exercuit, vt hominibus prodesset.

Eleazari exemplum dæmonem ex obsesso homine per nares educentis non ad annulum eius, sed ad pietatem potius Deique inuocationem referen-

dū. Aut si forte ille impius fuerit, ad dæmonis fraudem sese coactum cedere hoc annulo fingentis, vt magicam hominis istius impietatem confirmaret. Gygis historia aut falsa est, aut dæmoniaca, illusis dæmonum fraude aspicientium oculis. Tralliani remedium ex ægri confidentia est: aut dæmonis calliditate dolorem lenientis vel stupefaciēdo sensum, vel temperando causam doloris, vel eandem dissipando. Imperatori Constantino pietas, veraque in Deum fides, & deprecatio victoriam peperit. Eudemi artificium annulorum à Dæmonum commentis fluxit per seipsos molientiū, quod annulis superstitiosè tributum esse volebant.

Quamobrem neque rationibus, neque exemplis imaginum, figurarum, characterum, & annulorum facultas vlla fascinatoria, aliterue effectoria stabiliri potest. Sed si qua eiusmodi sit aliquando perspecta, tota est ad dæmonum nequitiam referenda.

De morbis Dæmoniis seu Diuinis.

SEd enim morbos Dęmonios, vel vt alij loquūtur, diuinos, clarissimis coniecturis suspicari & internoscere datur. Primùm quidem ex ægrorum ipsorū diuinationibus, dum quæ ventura sunt præsagire, quæ præterierunt meminisse: quæque distantissimis locis pridem recensve gesta sunt, aut etiamnum geruntur, omnia tanquam præsentia sint & ob oculos posita præsentiscere, alienóq; sermone, quē antea nunquā calluerint, didicerint, audiuerint, enarrare perspicuè deprehendūtur. Neq; enim ista rerū præsensio humano intellectui propriè & per se affingi potest: à quo nihil nisi quod à sensibus prius perce-

perceptum & renunciatum sit: nihilque omnino sine phantasmatum sensibilium intuitu percipi vnquam possit. Rerum autem venturarum, aut in distantissimis locis præsentium: vt & peregrini ignotique idiomatis nulla sine præuio, aut comite sensu mentibus humanis nota inhærere, nullaque præteritarũ recordatio imaginationis munere carere, sicuti neque hæc sine sensuũ ministeriis vigere potest. Nam animam per se rerum cognitionem capere quis Peripateticus fateatur, cùm ipsa sit humani corporis non assecla tantùm (quales cœlorum Intelligentiæ finguntur) vt quæ ante suum cũ isto cõmercium plurima didicerit, noueritque, eadẽ postea dũ corpori adhæserit recordari omnia possit: sed potius sit corporis verus primusque actus & ἐντελέχεια, parsque essentialis, cuius corporis ope, sensuumq; externorum subsidiis rerum notitiam consequitur? Sunt enim actiones compositorum, non componentium: aliàs ex duobus actu existentibus tertium existere oporteat.

At dæmones res quidem præteritas, & præsentes quamlibet dissitas ob præcipitẽ substantiæ suę simplicissimæ celeritatem intelligunt, nunciantque: futuras perspectis solerter hominum temperamentis: & naturarũ inclinationibus cõprehensis, atque adeò notatis acutissimè casibus omnibus, à quibus moueri mens humana possit, prudentissimè coniectant.

Est quidem bonorum angelorum, vt fuit olim quoque prophetarum, non minor quàm cacodæmonum sagacitas & solertia: vt ab illis res omnes præuideri & renunciari possint. Sed hoc discrimine, quod illorum diuinatio semper vera sit, quódque diuinationi eorum gloria Dei hominũq. salus

ſemper propoſita ſit: horum ſæpe falſa, cumque Dei contumelia, & hominum iniuria coniuncta ſit.

Deinde alia quoque ſunt præter diuinationem eorumdem morborum illuſtriſſima indicia, vt cùm ægri antea per ſanitatem omnino rudes, rerumque & literarum omnium imperitiſſimi, nunc per ægritudinem repente ſcribendi, legendi, ſaltandi, numerandi, medendi, aliaſque artes profiteantur, ſi barbaras & inconditas voces effutiant, aut ſi clamores belluinos, vlulatus lupinos, & latratus caninos edant. Et quia ſæpe muti ſunt dæmones, & ſurdi, ſi ægri vires pluſquam humanas tollendis oneribus, ſuiſque vel alienis corporibus longius exportandis, impendant, ſi inteſtinos cruciatus perferant, vagoſque & temerarios motus obeant: ſi ſibi, aliiſque mortem, aliaque detrimenta moliantur: ſi denique ſacroſanctum Dei, & Ieſu Chriſti nomen, piorumque hominum exhorreſcant: inuitique & execrando audiant:

Hæc inquam omnia ſunt inteſtini hoſtis, intuſque corpus obſidentis dæmonis opera: cuius partes omnes arbitrio ſuo ad quaſcumque actiones, geſtiones & elocutiones verſat, rapit, torquetque. Itaque morborum dæmonicorum genus duplex omninò eſt, vnum metaphyſicorum, tãtumque dæmonicorum: alterum partim phyſicorum, partim dæmonicorum.

Genus vtrũque Hipp. naturæ nimis fortaſſe addictus è rerum natura proſcripſit lib. de ſacr. morbo, & de virginum morbis, totumque phyſicorum generi annumerauit. Quod autem diuinum quippiam morbis quibuſdam vt apoplexiæ, epilepſiæ ineſſe dicitur, partim eorum magnitudini, & raritati:

ti: partim Medicorum ambitioni & auaritiæ aſcripſit,qui vt ignorantiã ſuã apud vulgus celarent,ſaluo interim, & integro ſuo queſtu,morbos eiuſmodi à diis iratis immiſſos eſſe:eoſq; remediis nõ phyſicis, quibus eos vincere non poterãt, quia cauſas ignorabãt,ſed metaphyſicis,vt expiationibus,numinumque obſecrationibus egere peruulgarent. Hippocrati Galenus aſtipulatur comm.in 2. progn.l.1. multiſque hãc Hippocratis ſententiã fuiſſe tuetur, nullos morbos eſſe diuinos. Ideòque quidquid diuini in morbis latere poſſit, à medico animaduertendum ex Hippocratis conſilio idipſum ad aeris inſolentem conditionem refert,morboſque epidemios inde natos,quos generatim Hipp.lib.3.Aphoriſm. ſpeciatim lib.epid.proſequutus eſt.

Cæterùm morborum dæmonicorum genus vtrumque veriſſimis rationibus & exemplis cõprobari poteſt.Primũ enim partim phyſicum eſt ex internis humorũ vitiis,plethora & cacochymia,à dæmone tanquàm procatarctica cauſa ſuſcitatis, dum eos vel improbabili victu cuius author ipſe eſt: aut intẽperatis viſceribus,copiosè cumulari contingit, quos dæmõ perturbet,permiſceat,& corrũpat. Huiuſce generis præclariſſima extant exempla tum apud Luc.c.8.cuiuſdam Lycãthropiæ dæmoniacæ,& c.13. inueteratæ epilepſiæ: tum apud Marcum cuiuſdam conuulſionis diuturnæ.

Neque verò in philoſophia nouum,& inauditum iure videatur, tetros & præſertim melancholicos humores(his enim inprimis gaudet dæmon vt mẽti,rationi,& conſtãtiæ aduerſiſſimis)ab ipſo cõmoueri:ſuiſq; ſedibus euulſos in nobiliſſima viſcera cõcitari poſſe,cerebrum,cor,hepar,ventriculum &c.

vnde funestissimam symptomatũ iliadem exacerbari contingat, vt spontaneas leipothymias, syncopas, palpitationes cordis, epilepsias, apoplexias, conuulsiones, paralyses, maniam, melancholiam, incubum, alióſque calamitosissimos affectus, quorum originem ne Aristoteles quidem à dæmonibus remouerit, cùm motrices corporum causas omnes ad incorporeas vsque & indiuiduas produxerit.

Alterum genus ægritudinum est quascumque solus dæmon nulloque interueniente humorum vitio, tanquam coniuncta causa infligit. Quid enim, an non aqueum oculorum humorem turbare, ne visiles colorum imagines ad crystallinum transmittat (occæcato homine) versutus artifex potest? Non crystallino nubes, fictasue rerum figuras obtendere, quibus æger terreatur? An non ab innato aurium aere (si quis sit) neruoque auditorio externi aeris impressionem cohibere, sonorumque appulsum intercipere possit, sine quorum pulsatione aures obsurdescant? Non neruos, venas, arteriasque genitales comprimere; spiritumque & semen supprimere possit, ne partes obscœnæ aut rigeant, aut rigentes etiam & tensæ semen per coitum profundant? Vnde igitur nuptiales illæ ligaturæ nisi à dæmonibus inuentæ & inuectæ sunt, coniugiorum imprimis, fœcunditatis, castitatis, & maritalis beneuolentiæ acerrimis hostibus? Verè enim simplicibus & incorporeis substantiis sublunaria corpora parere est antea propositum.

Constat etiam ex lib. 2. Paraleip. c. 21. Morbos quosdam verè diuinos esse & à Deo opt. max. immis-

missos, impiam hominum & sceleratam vitam vlciscentis. Talis fuit funesta illa diarrhœa de qua nos quoque antea, qua regem Ioram ob idololatriam, fratrumque cædem diutius afflixit. Sed Deus tametsi causis omnibus prior sit, naturales tamen non tollit, vt diætam prauam, & cacochymiam à Iorām rege. Ab his autem diuinis morbis omnia opera trans naturam exposita absunt. Porrò ex morbis dæmoniis, illi qui sunt physici, & materiales, physicis quoque remediis curantur noxiam humorum materiam detrahentibus, viscerumque intemperiem demolientibus, diæta scilicet & pharmacia congruenti & opportuna. Immateriales autem & verè dæmonij, quique à solo dæmone excitantur aluntur que: hi quidem metaphysicis remediis percurantur: neque enim physicis dæmones eorumdē causæ coniunctæ & authores profligari posse videntur: Nam si illi incorporei, elementaris materiæ primarumque qualitatum mixtionis expertes sint, nullam profectò à qualitatibus manifestis, occultisue vim aut molestiam perpeti possint. Contrariorum enim, quorum mutatio omnis propria est, eadē sedes est, & subiectū. Sin corporeū ęquā, aëreū, aqueū, igneū, & terreū in illis sit (qua de re paulò post accuratius) dolore tamen etiam, aut voluptate affici mutariue à causis externis physicis dæmones nequeant, nisi ipsi quoq; mutabiles sint, & caduci. Neutrū enim symptomatū istorū sensibus vacare (tactu præsertim) potest, quorū instrumēta cum propriis obiectis communi materia naturaq; participant, vt ipsa sint sensibilium instar corruptibilia, mutationique, iniurię, & interitui obnoxia. Neque vllo modo probabile est, à rebus naturalibus & sensibilibus vt dæmones prorsus spirituales

& incorporei lacessantur, suisque sedibus explodantur. Est enim diuersa valde animarum, dæmonumque in corpore conditio. Illæ tanquam formæ corporum quibus coniunctæ sunt, decentem primarum qualitatum apparatum,&idoneam structuram,figuramque requirunt, quam si quæ vehementius impetant & labefactent causæ externæ,ipsæ suo veluti domicilio cedere corpore informato coguntur. Dæmones autem tanquàm motores quidam & rectores corporibus quoquomodo habentibus insident,neq; perturbata illorum constitutione excedere inuiti & emigrare coguntur.

At verò tria sunt sacrarum literarum testimonia, quib. Physicorum remediorum facultas dæmonib⁹ aduersa demonstrari videtur.Primum est quod psaltes Dauid ab obsesso Saule rege citharæ suæ sono gratissimo dæmonem exclusisse 1.Sa.cap.18.legitur. Alterum est quod Tobias minor hepatis, cordisq; pisciculi cuiusdam(οὐρανόσκοπον quidam interpretantur)suffitu monente Raphaële sese & Saram coniugem suam iis dæmonibus liberasse,à quibus 7.mariti prius trucidati fuerant,cap.7.&8.narratur.Tertium apud Iosephum de Antiq.lib. 8. extat de Elezaro quodam Hebræo,qui coram Vespasiano,totoque eius exercitu dæmonem è narib.cuiusdam dæmoniaci extraxit, quibus annulum subiecta eius signaculo radice quadã à Salomone reperta obiecerat.Sed tamen istorum testimoniorum fidem vera facilisque interpretatio abrogat.Non enim citharæ Dauidicæ harmonia cacodæmonis sæuitiam,tanquã obsequio deliniuit; sed Saulis dolorem à dæmone illatum voluptate aliqua repressit, & ad tempus demulsit.

Neque

Neque etiã Tobiæ suffitus dæmonum discessus fugęq; ex coniugis thalamo causa: sed signũ tantũ fuit, vt scilicet eo accẽso discessisse Tobias agnosceret.

Neque deniq; Eleazari amuletum, radixue Salomonis dæmonum fugam ex dæmoniaco maturauit: sed diuina huiusce institutio hoc effecit.

Aliorum quoq; amuletorum physicorum à prophanis authoribus vulgatorum nulla in eiiciendis dæmonibus vis est: vt rutæ, & hypericonis: quibus authore Aristotele crassos turbidosque flatus discutiendi à temperie eorum calida siccaque, tenuique substantia, non autem dæmones explodendi, facultas insita est. Suffitus quoque ingratos, vt gagatis, stercorumque, accessiones epilepticas concitare, agitatis in cerebto humoribus & in flatum calore suo versis: non tamen dæmonem despectum irritari, & fugitare censendum est.

Quod si nullum sit dæmoniorum morborum satis efficax remediũ physicum, metaphysicis confidẽdum omninò est, quorum insignem in hoc curationis genere facultatẽ omnis ætas semper experta est. Quid enim non Balachæ Mesopotamiæ regis nobilissimus quidam Magus apud Philonem Iudæum, & Iosephum de Antiq. ad Iudæorum perniciem adscitus respondit, fascinatorias & magicas artes huic genti quod Deo ob diuinæ suæ legis exquisitam obseruationẽ charior esset, nullomodo esse nocituras? Nonne D. Cyprianus cùm insignis Magus esset iuuenis, & à dæmone accepisset, Iustinam puellã quã deperibat, non posse magicis fascinis ad amorẽ flecti quod Christum D. singulari pietate coleret: magiæ confestim renunciauit, referente Gregorio Nazianzeno, seseq; Christianismo penit⁹ deuouit, dica-

uitque?Nonne denique apud Tobiam minorem libidinosis cōiugibus insultaturos esse dæmones: piis contra parituros esse non nocituros intelligitur?

Sunt autem metaphysica ista remedia è vera pietate & religione deriuanda:sicuti ex eiusdem contēptu & obliuione dæmonum violentia orta est,illis Deo impiorum hominum vexationem permittēte. Cōstat verò pietas illa religiosissimo Dei vnius cultu,& obsecratione,diuinæque legis assidua meditatione,frequentissima sacræ Eucharistiæ celebratione,vitæ denique sanctitate: & ingluuiei,crapulæ,otij,prauæ consuetudinis,sermonis obscœni & lasciuæ lectionis, voluptatum denique omnium turpissimarū declinatione.His enim expiationibus,iisque precibus placatus solus Deus dæmonum fracta vi hominum votis respondere solet.

Est denique aliud metaphysicum,sed omninò impium & scelestum remedium: vt cum Magorum & Lamiarum diris execrationibus dæmō ex pacto suo cedit.Hac ratione Magi,Lamiæque etiā quotidie illatum à seipsis fascinum expungere & discutere videntur.Aut à dęmone alio eiicitur imbecillior.Hac ratione vsus est Apollonius Thyaneus scribente Eusebio.Hac eadem vsi quoq; apud Leonē Africanum quidā magi,à quib. post circulos quosdā ductos,effictosque in fronte dæmoniaci characteres, interrogatus prius dæmō exigi solitus est.Hanc deniq; impiam artem perfidi Iudæi Christo exprobrarūt.Est enim dæmonū inæqualis potestas,dignitas,&ordo, estq;potentiorum in imbecilliores imperium non violentum, horumque spontanea obsequentia.

Est porrò & aliud remediorum metaphysicorum genus ritu ecclesiastico,& pontificiis decretis vsurpari

pari solitum ab exorcistis: qui post similes prædictis expiationes in nomine Christi dæmonum expulsioni incumbunt.

An dæmones immortales & incorporei.

IAm verò si remediis physicis cogi dæmones, fugari & alterari nequeant, eosdem corporea omni mole & cōcretione elementari carere oporteat, indeque immortales esse. Qua de re tamen inter philosophiæ proceres non satis conuenit.

Aristoteles quidē nihil in rerū vniuersitate pręter primā causā constās esse & diuturnū opinatur. Quodcūq; enim mouet, idipsū vicissim moueri statuit ad primā vsq; illā causam, quę mouere quidē, sed moueri non potest. Addit deinde, quicquid mouetur hoc ipsū esse corporeū, alterabile, & diuisibile. Quare si causa omnis præter primā moueatur: sitq; quęcūq; mouetur corporea, dæmones certè corporeos esse authore Aristotele statuendum erit.

Itaque Platonis schola recentior totam dæmonum familiam in 4. veluti tribus distinxit, terreorum, aqueorū, aëreorum, igneorumque, pro quadruplici elemētorū numero, quib⁹ cū maior naturę affinitas, & corporeę suæ naturę similitudo intercedat.

Verumenimuero à summis illis philosophiæ dictatoribus non temere defecisse ex nostris plerique videntur. Nam si dęmonū corpora quædā ex mixtis 4. elementis conglutinata sint, eadem ab omnibus causis physicis contrariis (ob communem materiam) alterabilia esse, & corruptibilia oporteat. Sin ex singulis potius elementis conflata fingantur, vt aërea tantum, aquea, terrea, aut ignea sint, ea quoque à cęteris elementis, rerumque affinibus naturis (sicuti hęc vicissim mutantur à seipsis)

mutari certe necesse sit. Quod si dæmones non alia infra Lunæ orbem elementa, quàm vulgata hæc nostra quatuor incolunt, iisque fruuntur & victitant: cùm corruptibilia sint omnia, similes illis dæmonum naturas, à quibus incoluntur, corruptibiles pariter, & caducas esse contingit.

Ridicula igitur contradictione Platonici implicantur: nam si dæmones corporeos, indeque alterationis, doloris, & voluptatis participes iudicent: mortales quoque iudicare eos debent, quod à dæmonum natura alienum est.

Sin immortales, & inalterabiles censeant: omnis quoque voluptatis, doloris, & alterationis expertes censere oportuit: horum enim symptomatum vtrorumque sensus quidam est, ille iucũdus, hic molestus. Sensus verò omnis sensibilium alteratione perficitur. Atque sic Platoni responsum sit.

Aristoteli autẽ quod non omnis motus sit successiuus & continuatus, vt corporum, sed instantaneus formarum instar, vt postea. Dæmones a. tametsi substãtiæ sint incorporeę, omnisq; magnitudinis, dimẽsionis, & figuræ expertes (cui soli locus conuenit) illi tamen omni loco, tanquã nusquã sint, excludendi nõ sunt. Genera quidem rerum à singularibus specieb. separata, neque per se subsistunt, neque quicquã agunt. At dæmonũ substantiæ quædã sunt singulares, & singularibus addictæ subiectis: vnde agere, patique aliquid suo more possunt. Facultas quidem eorũ Dei instar infinita non est, vt vbique & semper agãt moueantque: sed ita finita est vt alicubi tantũ, & alicubi agant. Atque hic exercendæ facultatis ipsorũ locus est, non corporis, quod eis nullum est, vt nec vlla dimensio aut figura: vnde quoque nullæ sunt dæmo-

dæmonum ex magnitudine & figuræ loci propriæ differẽtię,vt æqualis,inęqualis:quadratus,rotundus longus: vt maior, minorue dæmonum locus dicatur,cùm ipsi sint incorporei, neque extendi,aut contrahi possint:sed accidentariæ tãtum sunt ex magnitudine corporis circa quod negotiantur,& difficultatẽ operationis suę,cum finita eorũ virtus in quãtocumque corpore mouendo satis esse nequeat.

Itaque in loco minimo,nõ tamen indiuiduali cõsistunt:neque vnus tantùm, aut duo:sed plurimi in eodem loco diuersari simul possunt:cùm eorũ cœtui neque repletio loci à magnitudine corporea,neque actionum cuiusque varietas obsit, cùm tamen numerus eorũ sit permagnus,nec possit quisquã in pluribus locis esse eodẽ tempore. Neque etiã plures dæmones faciliùs procerum corpus,quã pusillũ obsidere possint: aliàs ex dæmonibus quosdã palmares,alios vlnares, aut cubitales fingi necesse sit, quorum tamen nulla magnitudo est,dimensio, aut circumscriptio. Quare dęmones sola proprię virtutis,& officij exercitatio, non corporis magnitudo, in loco verè constituit: vt in eo sint in quo operantur. Loci a. differentias, vt maioris,minorisque,corporum quæ ipsi mouent magnitudo, operumque difficultas,non corporea essentia distinguit.

Quòd si incorporei sint dæmones,veréque loci incapaces, quomodo tandem illi mouere,moueriq. excurrere, quiescere,putantur? aut qua ratione qui in loco non sunt,mouere tamen mouerique, nisi per locum videantur? Motus quidem quæ propria corporum physicorum est affectio,à dæmonibus omninò incorporeis iure alienus esse videatur.

Sed dæmones tamen cùm nequevbique,neque nullibi,neque ibidem semper sint:immobiles sane non esse constat. Motus ergo dæmonum,corporumque diuersa ratione obiri solet: ille quidem triplici discrimine secatur, vt prima eius species successiua,& continuata loci mutatione constet, qui proprie motus dicitur. Secunda per accidens motus est,cùm alterius rei motũ sequitur,vt nauta nauis,in qua est, quamque impellit. Tertia species motus mutatio quędã,quæ alio atque alio loco aliter fit;tumque res in priori loco desinit esse per primum sui non esse, tum in posteriori esse incipit per primum esse:quæ species motus formis omnib. quæ in instanti informare incipiunt communis est.

Primam motus speciem dæmones,vt pote incorporei,non subeunt. Secundam speciem tum demum experiuntur dæmones,dum hominum officia,actionesque imitaturi ex aere,aut igne,alioue elemento corpora sibi effingunt: aut animalium etiã cadauera assumunt,quæ nutu suo moueant,simulq; cum illis quibus inhęrent moueantur. Atque hic quoq; motus,tametsi accidentarius sit, successiuus tamen & temporalis intelligitur, tametsi momentaneus: quod omnes medij in via aëris partes agitẽt & trãsmittant:vt cùm Raphaël ad Tobiam, Gabriel ad Mariam properauit. Sic candela admota extremo fini totam stupam celerrimè percurrit, peruritque. Tertiam denique motus speciem dæmones suscipiunt,dum ex vno loco in alium sine tempore,& cum mutatione non quanta transiliunt. Si enim corpus per vacuũ(authore Aristotele)in instanti ferri possit, quia omnis morę, tarditatisq; motus corporis causa à resistẽtia medij oritur:cur substãtię dęmonũ

,incor-

incorporeę fine tempore per plenum nō ferantur?

Conftat igitur dęmones, tametsi incorporeos, in aliquo tamen esse loco: non tamen simul in plurib. ex eoq; in alium in instanti transilire, atq; in eodem vel cōsistere, vel inde exire posse; nisi Dei iussu aliter cogantur: sicut dęmon quidam religatus in solitudinibus Ægypti à Raphaële apud Tobiam legitur.

Cæterum morbos omnes tam physicos, quàm metaphysicos inferunt dęmones vel sponte sua, nullaque humana interueniente industria, non tamen iniussu Dei hominum iniustitiam, vt Saulis regis, dęmonū opera & cruciatu vlciscentis: aut patientiam, vt Iobi, exercentis: vel magorum, aut lamiarum prouocatione, quasi diriseorū execrationibus, carminibus, imaginib. &c. coacti, aut deliniti dęmones miraculorū effectricem vim iisdem impertiantur, quorum ipsi tamen soli dęmones sunt authores. Neq;.n. tam facinorosi homines tot trans naturam mirifica opera, quib. gloriari solent, aut vi diuina, quam non implorant: aut propriis naturę suę viribus: aut vllis deniq; instrumentis, quorū vires maiores non sunt quàm ipsorum artificum, obire possunt.

Sunt igitur ista magica instrumenta, sicuti Lamiarum pleraque alia initi cum dęmonibus pacti expressi, tacitiue symbola; quibus ad vota maleficorū explenda sollicitantur. Est enim Augustino pactum hominum cum dęmonibus duplex: vnum expressum: alterum tacitum. Prius illud manifestis verbis, & mutuis hominum maleficorum, dęmonumque stipulationibus constat: eiusque ferè formula est, quod malefici Deum,

Deique cultum,& veram pietatem expreſſis clariſq; verbis abiurant;totoſque dæmonibus,&eorum cultui ſeſe vouent, deduntque; dæmones illis viciſſim omnium conſiliorum, votorumq; ſuorum optatos exitus pollicentur. Poſterius obſcurum eſt,vt cùm aliquis,nullo etiã cum dæmonib' icto fœdere,nulloq; e Dei odio, & impietati addictus in inanibus tamen & inefficacibus per ſe inſtrumentis cogitationum ſuarum ſpem collocat. Sic enim cum dæmone inſtrumentorum iſtorum inuentore inſcius paciſcitur.

Iſto igitur tam horrendo pacto adducti dæmones vel magos ipſos ſemper comitantur minuta aliqua ſpecie,cryſtallis,ſpeculis,annulis ſua ſponte in cluſi(hos πάρεδρους Græci vocãt,i.acceſſores & conſiliarios)vel diris imprecationibus euocati conſpicua quadam imagine ſeſe oſtentare ſolent, magorũ que rogantium quæſtiones voce, pictura , alioue modo ſoluere.

Hinc magicæ diuinationis cõplures differẽtię notantur. Vna Lecanomantia,cùm tenui,exilique voce erumpente ex aqua in peluim diffuſa,cui laminæ aureæ,vel argenteæ , vel lapides quidam pretioſi certis characteribus inſculptis immerſi eſſent,accitus dæmon quæſitis reſpondet.

Altera Gaſtromantia cum dæmon puero impubere , aut muliere prægnante obſeruante rogatus, à Mago iuſſus,flagitatus reſponſa ſua expedit certis imaginibus in aqua limpidiſſima expreſſis ; & per media vitrea vaſa rotunda aſpectabilibus, & cereis accenſis albis.

Tertia eſt Catoptromantia cùm in terſis,nitidis, & perſpicuis ſpeculis quæſitarum rerum euentus fictis

ctis imaginibus dæmon renunciat. Hac frequenter vsus est Iulianus Imperator.

Quarta est Crystallomantia cùm dæmon in crystallis affabrè expolitis impendentes rerum casus aptis quibusdam figuris expressos præmonstrat.

Quinta Dactylomantia cùm in annulis rerum expetitarum à dæmone depicta signa obseruantur: qui sub certo cœli positu conflati sint. Talem referunt historiæ Gygis annulum fuisse, quo in palmam conuerso alios videbat nec ipse videbatur.

Sexta Onymantia oleo & fuligine vnguibus pueri impuberis illitis, solique obuersis constans, quarum lineæ quædam rerum expetitarum imagines referebant.

Septima denique Hydromantia duobus potiss. modis exercebatur: tum annulo in cyathum aqua plenum manu libratum qui filo suspensus esset: tum coniectis in aquam tribus lapillis, indeque gyris aquæ diligenter notatis.

Taciti pacti rei sunt Magi, Astrologi, Augures, Haruspices, Præstigiatores, & diuinatorũ omne genus: Non tamen quod alienis commodis, salutique insidientur (cum potius prodesse quam plurimis futurorum prædictione gestiant) sed quod impiam, vetitamque à Deo diuinandi artem profiteantur: quam neque discere, neque exercere sine tacito cum dæmonibus fœdere possint, cùm ab illis coactis consiliorum votorumque suorum faustos exitus expectent. Illi enim coacti astrictique Magorum seruitio videri volunt, ne fraudis, doliq; suspecta sit voluntaria cum illis cõsuetudo, & familiaritas sua. Ergo illud hominum genus totum Deo non tantum exosum est, & execrabile: sed eorum etiam consul-

tores, quique occultarum rerũ siue præteritarũ siue præsentium, siue impendentium notitiam ab illis sciscitantur. vide caput 28. Deuteronomij, & 20. Leuitici.

Expressi pacti consciæ sunt Lamiæ & maleficæ omnes fœminæ quæ cum cacodæmone scientes, vigilantes, valentesque ea lege paciscũtur, vt bellum Deo indicẽt, veramque pietatem & religionem abiurent: dæmoni cõtra cultum fidemque iurent: eamque tum admisso, inustoque eius charactere in abditam quandam suorum corporum particulam: tum sacrificiis eiusdem, conuiuiis, choreis & libidinosis scortationibus frequenter celebrandis confirment.

Neque verò Lamiarum pactum hoc cum dæmonibus tanquã delirantium, & somniantium falsum semper, & imaginarium habendum est: cùm idipsum sponte sua, beneque valentes, vigilantes, audientes, & videntes plerumque ineant: initumque constanter obseruent. Neque etiam naturarum disparitas inter paciscentes pacti huius vim eneruare potest, cùm inter Deum & homines sanctissimũ fœdus valeat: neque diuersa paciscentium voluntas, cùm expressis & perspicuis verbis constet: non denique dolus, & fraus dæmonis, quem hominis prudentis piique est omni ratione cauere.

Fabulosa quidem pleraque sunt quæ supra naturam iactant opera insipientes aniculæ: iisque vel dormientibus, vel melancholicis, & delirantibus persuasa à dæmone: cuiusmodi sunt, Sublimes ex baculis tanquam equis pernicissimis ferri: In bruta mutari: Aerem à seipsis turbari: Tempestates, fulgura, fulmina cieri: morbos immitti: Homines, brutaque solo nutu, tactu, visu necari: segetes

tes sterni, agros vastari: multaque alia humanis viribus omnino maiora miracula, de quibus ait Poëta:

Illæ carminibus promittunt soluere mentes,
Quas cupiant: aliis diras immittere curas:
Sistere aquam fluuiis: & vertere sydera cœlo.

Permulta tamen etiam vera sunt, magnisque hominum detrimentis, brutorumque cladibus cõprobata, beneualentibus interim & vigilãtibus, nulloque modo desipiẽtibus Lamiis: nisi eò fortasse quod à seipsis illa præstari putãt, quorum cacodæmõ solus ita iubente, aut permittente Deo, author est. Ideóque maleficia sua sceleratæ fœminæ pœnarum metu cautissimè tegere, & constantissime pernegare solent. Norunt enim se impiè acturas antequam agant, & dum agunt, aut postquam egerint, summum Deum capitaliter lacessere, vt dæmoni peruersissimo obsequantur.

Exploranda itaque accuratissimè magistratui fœminarum fascini alicuius rearum sanitas est, & constitutio corporis, animique, ne fatuis, deliris, melãcholicis, & somnio aliquo delusis aniculis temerè capitalem pœnam irrogent, quæ euchymo potius victu, & idoneis purgationibus mentis integritati restituendæ sint: Impia autem earundem beneualentium facinora, & maleficia manifesta impunè in repub. non ferãt. Horum enim tametsi solus dæmõ author sit, carũ tamen culpa excusanda non est, nec dissimulanda, à quibus dæmonum nequitia accendi, & stimulari solet. Quod Dei veri præceptum est cap. 18. Deuteronom. & 20. Leuitic.

Quid igitur? si iusta Magorum supplicia à Deo ipso decreta sunt: cur Lamiarum iniusta habeantur?

aut si illa concessa, cur hæc prohibita censeantur? Cur ferro, igni, cruce tam dira impietas non expiabitur?

Magi à Dæmone suis carminibus aliterue coacto responsa exprimunt: rerumque perficiendarum subsidia ab inuito extorquent (vt sibi quidem videntur:) Lamiæ à Dæmone volente, suisque libidinosis illecebris delinito eadem accipiunt. Magi longiori studio, librisque pluribus cogendorum & euocandorum Dæmonum artem perdiscunt: Lamiæ vnico præceptore, & nunquam deserente dæmone instituuntur.

Magi præstigias ambitionis causa, vtque cæteris hominibus antecellere videantur: Lamiæ fascinum in hominum, brutorumque necem, aut ad plantas & segetes vastandas moliuntur. Magi denique dæmones abhorrent, & execrantur, iisque tantùm vt vilissimis mancipiis vtuntur: Lamię eosdem singulariter amant, colunt, & venerantur.

Quid, quod fœdissimos, & spurcissimos eorum amplexus, conuiuia, choreas, colloquia auidissimè consectantur miseræ concubinæ? Est igitur authore, & iudice Deo iustissimo insanarum Lamiarum impietas deprehensa, acerbissimis, & capitalissimis suppliciis à Magistratu vindicanda.

Choreis sanè, lasciuis saltationibus, & obscœnis sermonibus cùm suis clientibus siue cultoribus sub ficta humana specie, & conspicua dæmones vti possunt. Epulis & compotationibus nisi præstigiosè non possunt.

De coitu Dæmonum cum Lamiis.

ARdua magis est de coitu dæmonum cum fœminis humanis disceptatio: quem tamẽ vetustas

ſtas vt hominum, & cum deabus fœminis certiſſimum eſſe duxit, ex eoque congreſſu egregios viros prope omnes genitos eſſe prodidit, quos ab eiuſmodi amore Heroas vocitauit, quaſi Semideos ex Deo, & fœmina, vel ex Dea, & homine natos. Vt Herculem à Ioue, Romulum à Marte, Alexandrum ab Hammone, Achillem à Thetide, Aeneam à Venere. Hinc quoque tam multa deorum, dearumque apud Poëtas (fortaſſe non mendaces) adulteria vera, certiſque euentibus comprobata narrantur.

Quid, quod eundem dæmonum & fœminarum congreſſum fuiſſe fœcundum: ex eoque gigantes robuſtiſſimos, maximeque impios homines propagatos eſſe ſacris libris vt Geneſ. c. 6. legimus? Sic enim filios Dei, à quibus hominum filias eximiæ pulchritudinis ſuæ cauſa amatas fuiſſe creditur, eo loco Dæmones Theologi plerique interpretantur, vt Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Sulpitius Seuerus & alij. Nonne Auguſt. lib. 15. de Ciu. Dei, Siluanos & Faunos, quos Galli Duſios vocāt, amoribus mulierum capi, iiſque potiri tam certum eſſe affirmat, vt hoc negare impudentiæ proximum illi videatur? Auguſtino quamplures alij Theologi ſubſcribunt Ioſeph. Lactant. Iſidorus, Giraldus, Franciſcus Mirandulan. Ex quibus conſtat, Dæmonum libidinem non in maleficas tantum, & impias, ſed probas etiam piaſque fœminas effuſam aliquando eſſe.

Sed enim congreſſum eiuſmodi philoſophicæ leges manifeſtæ falſitatis condemnare videntur.

Primùm enim ſtatuunt, nullas naturas, niſi

corporeas venereæ voluptatis, coitusque esse cupidas, & egentes: Dæmones autē corporū, sensuumq; & sensibilium alterationum omnium, vt voluptatis & doloris expertes esse, sicuti ex nostra disceptatione recenti constat.

Deinde in naturas omninò incorporeas, quales sunt dæmonum, neque amorem, aut odium, neque vllam animosæ facultatis perturbationem cadere. At sine amore muliebri, veneris & coitus cupiditatem extingui. Præterea sine cibo, & potu nullum esse semen: nullamque sine semine libidinem: dæmones neque esurire, aut sitire, neque esitare, aut potare quicquam, in confesso est. Huc accedit quod sine successionis & propagationis necessitate nullū est coitus venerei desiderium: dæmonū sempiternæ & immortales naturæ sobolis propagatione non indigent. Denique sine partibus genitalibus nullū aliud est coitus instrumentum.

Quid igitur in tanta fluctuantium opinionum varietate statuendum est? aut quid de tam dubio, incertoque concubitu sentiendum? Equidem dæmones incorporeos esse, nullaque venerea voluptate frui posse opinor: amorem autem formosarum fœminarum, & deformium fastidium non ad dæmonum naturam: sed ad eorúmdem nequitiam referendam esse: vt ista ementiti adulterij consuetudine, & oblectatione libidinosas simplicesque fœminas à fide cultuque Dei, & vera pietate abducat improbas, probasque. Ita fit vt multis mulieribus præsertim maleficis dæmones nonnulli familiariter vtantur, alij fœminarum instar viris subiiciantur. Sunt enim alij incubi, alij succubi inde vocati: deorumque, & dearum inde ducta opinio. Porro mi-

scentur

ſcentur dæmones mulieribus viriſque vel corporibus ex aere circunfuſo cõfictis:vel cadaueribus humanis aſſumptis: vel certè coeuntium virorum aut fœminarũ ſpecie oculis obiecta, partibus interim genitalibus titillatione adhibita, aut ſeminis profuſione advenerem accenſis:vel denique eximię voluptatis cogitatione mente perturbata. Denique exiſtimo ſemen iſtud, partim dæmonis concubinarum eſſe, quodcumque per æſtum libidinis, & congreſſus incendium emiſerint: partim virile calidiſſimum, craſſiſſimum, & copioſiſſimum (quamquàm frigidiſſimum plerumque ſentiunt Lamiæ) per nocturnas petulantiſſimorum adoleſcentum pollutiones tanta ſedulitate à dæmone exceptum, tantaque celeritate, tamque idoneo fotu adhibito in locellos muliebres immiſſum, vt fœcunditati eius, calorique, aëris obuij, & frigidioris noxa nullomodo obſit.

Ita tandem longiori digreſſione Magorum, & maleficarum mulierum nomen non eſſe inane docuimus: multoſque morbos ab illis inferri, & coitus impotentiam, atque ſterilitatem, vtrique quidem ſexui, ſed virili frequentius conciliari demonſtrauimus, vnde ortum ius, ob frigidos, & maleficiatos coniuges, dirimendi diſſoluendique coniugij. Poſtremò ſalutaria magicorum morborum, & maleficiorum tam phyſica, quàm metaphyſica remedia appoſuimus.

Sed enim tertia ſterilitatis cauſa prætermittenda non eſt, obſcura valde vereque diuina, & à iuſtiſſimo numine vel piorum hominum fidem probante, vel impiorum nequitiam vlciſcente profecta, vt ea nullis aliis præterquam diuinis auxiliis piiſque

Sed dæmones tamen cùm nequevbique,neque nullibi,neque ibidem semper sint:immobiles sane non esse constat. Motus ergo dæmonum,corporumque diuersa ratione obiri solet: ille quidem triplici discrimine secatur, vt prima eius species successiua,& continuata loci mutatione constet, qui proprie motus dicitur. Secunda per accidens motus est,cùm alterius rei motū sequitur,vt nauta nauis,in qua est, quamque impellit. Tertia species motus mutatio quędā,quæ alio atque alio loco aliter fit;tumque res in priori loco desinit esse per primum sui non esse, tum in posteriori esse incipit per primum esse:quæ species motus formis omnib. quæ in instanti informare incipiunt communis est.

Primam motus speciem dæmones,vt pote incorporei,non subeunt. Secundam speciem tum demum experiuntur dæmones,dum hominum officia,actionesque imitaturi ex aere,aut igne,alioue elemento corpora sibi effingunt: aut animalium etiã cadauera assumunt,quæ nutu suo moueant,simulq; cum illis quibus inhęrent moueantur. Atque hic quoq; motus,tametsi accidentarius sit, successiuus tamen & temporalis intelligitur, tametsi momentaneus: quod omnes medij in via aëris partes agitēt & trāsmittant:vt cùm Raphaël ad Tobiam, Gabriel ad Mariam properauit. Sic candela admota extremo fini totam stupam celerrimè percurrit, peruritque. Tertiam denique motus speciem dæmones suscipiunt,dum ex vno loco in alium sine tempore,& cum mutatione non quanta transiliunt. Si enim corpus per vacuū(autlore Aristotele)in instanti ferri possit, quia omnis morę, tarditatisq; motus corporis causa à resistētia medij oritur:cur substātię dęmonū incor-

incorporeę fine tempore per plenum nō ferantur?

Constat igitur dęmones, tametsi incorporeos, in aliquo tamen esse loco: non tamen simul in plurib. ex eoq; in alium in instanti transilire, atq; in eodem vel cōsistere, vel inde exire posse; nisi Dei iussu aliter cogantur: sicut dęmon quidam religatus in solitudinibus Ægypti à Raphaële apud Tobiam legitur.

Cæterum morbos omnes tam physicos, quàm metaphysicos inferunt dęmones vel sponte sua, nullaque humana interueniente industria, non tamen iniussu Dei hominum iniustitiam, vt Saulis regis, dęmonū opera & cruciatu vlciscentis: aut patientiam, vt Iobi, exercentis: vel magorum, aut lamiarum prouocatione, quasi diriseorū execrationibus, carminibus, imaginib. &c. coacti, aut deliniti dęmones miraculorū effectricem vim iisdem impertiantur, quorum ipsi tamen soli dęmones sunt authores. Neq;.n. tam facinorosi homines tot trans naturam mirifica opera, quib. gloriari solent, aut vi diuina, quam non implorant: aut propriis naturę suę viribus: aut vllis deniq; instrumentis, quorū vires maiores non sunt quàm ipsorum artificum, obire possunt.

Sunt igitur ista magica instrumenta, sicuti Lamiarum pleraque alia initi cum dęmonibus pacti expressi, tacitiue symbola; quibus ad vota maleficorū explenda sollicitantur. Est enim Augustino pactum hominum cum dęmonibus duplex: vnum expressum: alterum tacitum. Prius illud manifestis verbis, & mutuis hominum maleficorum, dęmonumque stipulationibus constat: eiusque ferè formula est, quod malefici Deum,

Deique cultum,& veram pietatem expressis clarisq; verbis abiurant;totosque dæmonibus,&eorum cultui sese vouent, deduntque; dæmones illis vicissim omnium consiliorum, votorumq; suorum optatos exitus pollicentur. Posterius obscurum est,vt cùm aliquis,nullo etiā cum dæmonib' icto fœdere,nulloq .e Dei odio, & impietati addictus in inanibus tamen & inefficacibus per se instrumentis cogitationum suarum spem collocat. Sic enim cum dæmone instrumentorum istorum inuentore inscius paciscitur.

Isto igitur tam horrendo pacto adducti dæmones vel magos ipsos semper comitantur minuta aliqua specie,crystallis,speculis,annulis sua sponte inclusi(hos παρέδρους Græci vocāt,i.accessores & consiliarios)vel diris imprecationibus euocati conspicua quadam imagine sese ostentare solent, magorū que rogantium quæstiones voce, pictura , aliove modo soluere.

Hinc magicæ diuinationis cōplures differētię notantur. Vna Lecanomantia,cùm tenui,exilique voce erumpente ex aqua in peluim diffusa,cui laminæ aureæ,vel argenteæ , vel lapides quidam pretiosi certis characteribus insculptis immersi essent,accitus dæmon quæsitis respondet.

Altera Gastromantia cum dæmon puero impubere , aut muliere prægnante obseruante rogatus, à Mago iussus,flagitatus responsa sua expedit certis imaginibus in aqua limpidissima expressis ; & per media vitrea vasa rotunda aspectabilibus, & cereis accensis albis.

Tertia est Catoptromantia cùm in tersis,nitidis, & perspicuis speculis quæsitarum rerum euentus fi-

ctis

ctis imaginibus dæmon renunciat. Hac frequenter vsus est Iulianus Imperator.

Quarta est Crystallomantia cùm dæmon in crystallis affabrè expolitis impendentes rerum casus aptis quibusdam figuris expressos præmonstrat.

Quinta Dactylomantia cùm in annulis rerum expetitarum à dæmone depicta signa obseruantur: qui sub certo cœli positu conflati sint. Talem referunt historiæ Gygis annulum fuisse, quo in palmam conuerso alios videbat nec ipse videbatur.

Sexta Onymantia oleo & fuligine vnguibus pueri impuberis illitis, sólique obuersis constans, quarum lineæ quædam rerum expetitarum imagines referebant.

Septima denique Hydromantia duobus potiss. modis exercebatur: tum annulo in cyathum aqua plenum manu libratum qui filo suspensus esset: tum coniectis in aquam tribus lapillis, indeque gyris aquæ diligenter notatis.

Taciti pacti rei sunt Magi, Astrologi, Augures, Haruspices, Præstigiatores, & diuinatorũ omne genus: Non tamen quod alienis commodis, salutique insidientur (cum potius prodesse quam plurimis futurorum prædictione gestiant) sed quod impiam, vetitamque à Deo diuinandi artem profiteantur: quam neque discere, neque exercere sine tacito cum dæmonibus fœdere possint, cùm ab illis coactis consiliorum votorumque suorum faustos exitus expectent. Illi enim coacti astrictique Magorum seruitio videri volunt, ne fraudis, doliq; suspecta sit voluntaria cum illis cõsuetudo, & familiaritas sua. Ergo illud hominum genus totum Deo non tantum exosum est, & execrabile: sed eorum etiam consul-

tores, quique occultarum rerũ siue prçteritarũ siue præsentium, siue impendentium notitiam ab illis sciscitantur. vide caput 28. Deuteronomij, & 20. Leuitici.

Expressi pacti consciæ sunt Lamiæ & maleficæ omnes fœminæ quæ cum cacodæmone scientes, vigilantes, valentesque ea lege paciscũtur, vt bellum Deo indicãt, veramque pietatem & religionem abiurent: dæmoni cõtra cultum fidemque iurent: eamque tum admisso, inustoque eius charactere in abditam quandam suorum corporum particulam: tum sacrificiis eiusdem, conuiuiis, choreis & libidinosis scortationibus frequenter celebrandis confirment.

Neque verò Lamiarum pactum hoc cum dæmonibus tanquã delirantium, & somniantium falsum semper, & imaginarium habendum est: cùm idipsum sponte sua, beneque valentes, vigilantes, audientes, & videntes plerumque ineant: initumque constanter obseruent. Neque etiam naturarum disparitas inter paciscentes pacti huius vim eneruare potest, cùm inter Deum & homines sanctissimũ fœdus valeat: neque diuersa paciscentium voluntas, cùm expressis & perspicuis verbis constet: non denique dolus, & fraus dæmonis, quem hominis prudentis piique est omni ratione cauere.

Fabulosa quidem pleraque sunt quæ supra naturam iactant opera insipientes aniculæ: iisque vel dormientibus, vel melancholicis, & delirantibus persuasa à dæmone: cuiusmodi sunt, Sublimes ex baculis tanquam equis pernicissimis ferri: In bruta mutari: Aërem à seipsis turbari: Tempestates, fulgura, fulmina cieri: morbos immitti: Homines, brutaque solo nutu, tactu, visu necari: segetes

tes sterni, agros vastari: multaque alia humanis viribus omnino maiora miracula, de quibus ait Poëta:

Illæ carminibus promittunt soluere mentes,
Quas cupiant: aliis diras immittere curas:
Sistere aquam fluuiis: & vertere sydera cœlo.

Permulta tamen etiam vera sunt, magnisque hominum detrimentis, brutorumque cladibus cōprobata, beneualentibus interim & vigilātibus, nulloque modo desipiētibus Lamiis: nisi eò fortasse quod à seipsis illa præstari putāt, quorum cacodæmō solus ita iubente, aut permittente Deo, author est. Ideóque maleficia sua sceleratæ fœminæ pœnarum metu cautissimè tegere, & constantissime pernegare solent. Norunt enim se impiè acturas antequam agant, & dum agunt, aut postquam egerint, summum Deum capitaliter lacessere, vt dæmoni peruersissimo obsequantur.

Exploranda itaque accuratissimè magistratui fœminarum fascini alicuius rearum sanitas est, & constitutio corporis, animique, ne fatuis, deliris, melācholicis, & somnio aliquo delusis aniculis temerè capitalem pœnam irrogent, quæ euchymo potius victu, & idoneis purgationibus mentis integritati restituendæ sint; Impia autem earundem beneualentium facinora, & maleficia manifesta impunè in repub. non ferāt. Horum enim tametsi solus dæmō author sit, earū tamen culpa excusanda non est, nec dissimulanda, à quibus dæmonum nequitia accendi, & stimulari solet. Quod Dei veri præceptum est cap. 18. Deuteronom. & 20. Leuitic.

Quid igitur? si iusta Magorum supplicia à Deo ipso decreta sunt: cur Lamiarum iniusta habeantur?

aut si illa concessa, cur hæc prohibita censeantur? Cur ferro, igni, cruce tam dira impietas non expiabitur?

Magi à Dæmone suis carminibus aliterue coacto responsa exprimunt: rerumque perficiendarum subsidia ab inuito extorquent (vt sibi quidem videntur:) Lamiæ à Dæmone volente, suisque libidinosis illecebris delinito eadem accipiunt. Magi longiori studio, librisque pluribus cogendorum & euocandorum Dæmonum artem perdiscunt: Lamiæ vnico præceptore, & nunquam deserente dæmone instituuntur.

Magi præstigias ambitionis causa, vtque cæteris hominibus antecellere videantur: Lamiæ fascinum in hominum, brutorumque necem, aut ad plantas & segetes vastandas moliuntur. Magi denique dæmones abhorrent, & execrantur, iisque tantùm vt vilissimis mancipiis vtuntur: Lamię eosdem singulariter amant, colunt, & venerantur.

Quid, quod fœdissimos, & spurcissimos eorum amplexus, conuiuia, choreas, colloquia auidissimè consectantur miseræ concubinæ? Est igitur authore, & iudice Deo iustissimo insanarum Lamiarum impietas deprehensa, acerbissimis, & capitalissimis suppliciis à Magistratu vindicanda.

Choreis sanè, lasciuis saltationibus, & obscœnis sermonibus cum suis clientibus siue cultoribus sub ficta humana specie, & conspicua dæmones vti possunt. Epulis & compotationibus nisi præstigiosè non possunt.

De coitu Dæmonum cum Lamiis.

Ardua magis est de coitu dæmonum cum fœminis humanis disceptatio: quem tamẽ vetustas

ſtas vt hominum, & cum deabus fœminis certiſſimum eſſe duxit, ex eoque congreſſu egregios viros prope omnes genitos eſſe prodidit, quos ab eiuſmodi amore Heroas vocitauit, quaſi Semideos ex Deo, & fœmina, vel ex Dea, & homine natos. Vt Herculem à Ioue, Romulum à Marte, Alexandrum ab Hammone, Achillem à Thetide, Aeneam à Venere. Hinc quoque tam multa deorum, dearumque apud Poëtas (fortaſſe non mendaces) adulteria vera, certiſque euentibus comprobata narrantur.

Quid, quod eundem dæmonum & fœminarum congreſſum fuiſſe fœcundum: ex eoque gigantes robuſtiſſimos, maximeque impios homines propagatos eſſe ſacris libris vt Geneſ. c. 6. legimus? Sic enim filios Dei, à quibus hominum filias eximiæ pulchritudinis ſuæ cauſa amatas fuiſſe creditur, eo loco Dæmones Theologi plerique interpretantur, vt Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Sulpitius Seuerus & alij. Nonne Auguſt. lib. 15. de Ciu. Dei, Siluanos & Faunos, quos Galli Duſios vocãt, amoribus mulierum capi, iiſque potiri tam certum eſſe affirmat, vt hoc negare impudentiæ proximum illi videatur? Auguſtino quamplures alij Theologi ſubſcribunt Ioſeph. Lactant. Iſidorus, Giraldus, Franciſcus Mirandulan. Ex quibus conſtat, Dæmonum libidinem non in maleficas tantum, & impias, ſed probas etiam piaſque fœminas effuſam aliquando eſſe.

Sed enim congreſſum eiuſmodi philoſophicæ leges manifeſtæ falſitatis condemnare videntur.

Primùm enim ſtatuunt, nullas naturas nisi

ſcentur dæmones mulieribus viriſque vel corporibus ex aere circunfuſo cõfictis: vel cadaueribus humanis aſſumptis: vel certè coëuntium virorum aut fœminarũ ſpecie oculis obiecta, partibus interim genitalibus titillatione adhibita, aut ſeminis profuſione advenerem accenſis: vel denique eximię voluptatis cogitatione mente perturbata. Denique exiſtimo ſemen iſtud, partim dæmonis concubinarum eſſe, quodcumque per æſtum libidinis, & congreſſus incendium emiſerint: partim virile calidiſſimum, craſſiſſimum, & copioſiſſimum (quamquàm frigidiſſimum plerumque ſentiunt Lamiæ) per nocturnas petulantiſſimorum adoleſcentum pollutiones tanta ſedulitate à dæmone exceptum, tantaque celeritate, tamque idoneo fotu adhibito in locellos muliebres immiſſum, vt fœcunditati eius, calorique, aëris obuij, & frigidioris noxa nullomodo obſit.

Ita tandem longiori digreſſione Magorum, & maleficarum mulierum nomen non eſſe inane docuimus: multoſque morbos ab illis inferri, & coitus impotentiam, atque ſterilitatem, vtrique quidem ſexui, ſed virili frequentius conciliari demonſtrauimus, vnde ortum ius, ob frigidos, & maleficiatos coniuges, dirimendi diſſoluendique coniugij. Poſtremò ſalutaria magicorum morborum, & maleficiorum tam phyſica, quàm metaphyſica remedia appoſuimus.

Sed enim tertia ſterilitatis cauſa prætermittenda non eſt, obſcura valde vereque diuina, & à iuſtiſſimo numine vel piorum hominum fidem probante, vel impiorum nequitiam vlciſcente profecta, vt ea nullis aliis præterquam diuinis auxiliis piiſque

precibus summoueri possit. Sic Isaacus coniugi suæ sexagenariæ post viginti annorum sterilitatem perpetuam quotidianis votis fœcunditatem impetrauit. Sic Abimelechi Gerarorum regis domus tota ob raptam Abrahami vxorem Saram sterilitate tantisper multata est, dum eam viro suo restituisset.

QVÆ-



QVAESTIO DISPVTATA A IOANNE HVCHERO CANCELLARIO,

in Doctoratu D. Richardi Laurentij: anno 1588. die 14. Ianuarij.

QVAESTIO hæc in arte nostra est nobilissima & antiquissima (Viri Monspelienses) Sitne in morbis humanis aliquid diuini, vel an vlli sint supra naturam hominum morbi à dæmonibus oriundi: sic enim vetustatis exemplo, deorum nominibus dæmones nominare modo libet.

De hac quæstione Hippocrates noster nequaquã dubitauit, qui diuinam istam morborum originem egregij medici prognosin decere præcepit.

At Galenus eandem pernegauit, illamque Hippocratis sententiam ad communissimam epidemiorum morborum causam, ex insolenti quadam, & vehementi aeris intemperie, reuocauit.

Non defuerunt multi quidem grauissimi philosophi, medicique, quib. nullos omnino dæmones esse, nedum illas ab iisdem supra naturam ægritudines suscitari posse, visum est.

Primum enim corpus omne animo, & intellectu præditum, neque æternum, sensu quoque vigere disputant, siue generabile, siue ingenerabile sit: quod axioma ex Aristotele in libris de Anima arripiunt. Huiusmodi autem preter demonum naturas, aliud

nullum fingi posse: cælestia enim esse æterna, humana verò nascendi vicissim, moriendique leg bus iactari, traducique. Porro qui tangendi sensu valeat, eundem corpore ex quatuor elementis concreto cõstare: cùm autẽ nullũ tale corp⁹, scilicet intelligens, sentiens, ingenerabile, & caducum vsquam occurrat, ne dæmones quidem vllos inueniri posse constanter affirmant.

Deinde sanitatem addunt illi, affectum esse secũdum naturam, causisque naturalibus omnibus & proximis constare. Eam itaque neque à Dæmone, neque ab arte quálibet excellẽti, sine causarum naturalium aduersis viribus euerti posse, cum rerum omnium à suis contrariis genere eodem cõtentis mutatio sit & corruptela.

Statuunt insuper æternorum æterna, caducorum caduca, esse principia: ac proinde æternis dæmonũ substãtiis opus caducum, (qualis est valetudo,) sine causis naturalibus, & caducis adscribendũ nullũ esse.

Postremo emerserunt alij nuper artis nostræ proceres, à quib. tũ dęmones ipsos huic mũdo inferiori vindicatos, tũ plurima eorundẽ supra omnẽ naturæ vim, & portentosissima opera peruulgata, citatisq; exẽplis cõfirmata, accepim⁹. Hinc enim non solùm occultissima consilia & facinora retexta, & futuros, tum cõmunes gentium, & populorum, tum singulares hominũ casus, multis ante dieb⁹, mensib. annisque prædictos: sed frugũ quoq;, plantarumq; miserabiles calamitates, hominũ, & iumentorũ funestissimam stragem inuectam esse, profitentur.

Quamobrẽ in tanta huius quæstionis obscuritate illustrãda, rationũ potius luce clarissima, & populari fide, quam magistrorum istorum tam ancipiti, & discre-

discrepante doctrina, nitar, ostendamque imprimis dæmones esse: deinde eorundem insitis odiis, malorum genus omne, & ægritudinum naturalium hominibus comparari: postremo dæmonias istas, siue diuinas ægritudines explorandi, dignoscendi, curandique artem subiungam.

--Longa est iniuria, longæ
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum.

Ergo post vnum Deum, & diuinas Intelligentias (de Angelis loquor) alias duas diuinitatis eiusdem, & immortalitatis participes substantias, in sublunari hoc orbe versari, à præstantissimis philosophis, Aristotele & Platone, demonstratum est: Vnam hominum, cuius proprium intelligendi munus supra naturam est, neque vlla eius offensione, & iniuria, violatur: reliquę autem eiusdem functiones corporum sunt communes, quorum vitiis labefactantur. Alteram dæmonum (quasi fœlices eos, & sapientes dixeris,) quos in eudæmones, & cacodæmones partitus est Plato, eorumque vires, & proprietates omnes in Socratis dæmonio, exposuit: quem postea sequutus est Plutarchus.

Nostra quoque Theologia Christiana, eorundem naturas, & differentias omnes accuratissimè prosequuta est, bonos enim, & malos Angelos, seu dæmones, proponit: bonorum ordines tres, totidemq; singulorum ordinũ choros, pro nobilitatis suæ discrimine, statuit, penes quos totius mundi potestatẽ, & cuiusq; hominis, ciuitatis, gẽtis, reipublicę, imperij, regniq; administrationẽ collocauit. Malos autẽ totidem ordinibus, chorisque distractos, & à summi Dei intuitu, (quo boni omnes semper fruuntur) in tartarum, id est elementarem hanc plagam, prostratos abiectosque esse docuit.

Extant etiam feueriffimæ leges,non Theologorum tantum, (vt Mofis in Deuteron.) & philofophorum,vt Platonis,in libris de Republica libris, fed Iurifconfultorum etiam Romanorum,in duodecim tabulis,item Imperatorum,regum,gentiumq; omniũ,in fceleratiffima dæmonum mancipia, magos,& ftryges vt vocant.

Hippocrates autẽ de diuinis,vel dęmoniis morbis, argumentũ probauit quidẽ,fed prętermifit tamẽ,quod ei phyficũ,cui vni addictus erat,non fatis videretur.

De Galeni errore equidem fic fentio, eum inde ortum,quod nullã diuinitatis fcintillam in hoc orbe inferiori,aut dęmonibus,aut hominibus arbitratus fit fupereffe. Neque vero Ariftoteles libro de diuinatione, ab hac de dæmonibus opinione, abhorruit,cui dæmonia quædam fomnia, non tamen diuina probata funt,quod ea ftultorum magis, quã fapientum propria videantur.Neque etiam idẽ philofophus lib.citato de Anima, dæmones ipfos fuftulit: fed dæmonũ corpora ex aëre conficta à Platone,tollere ftuduit,quibus fublunarem materiam totam promifcue potius, quàm certam eius particulam, vt aerem maluit effe tributã, qua inftrumẽtorum potius,quam corporum vice vterentur.Deniq; in æternis dæmonum fubftantiis,ob mutabilẽ operum conditionem,varietas nulla putanda eft:fic enim à motore primo immobili,&æterno,æternus quoque motus primus oritur,apud Ariftotelem: ab hoc tamen finiti diuerfique reliqui propagantur:fic humanus etiam intellectus,ex caducis phantafmatis caducam elaborat fcientiam.

Quamobrẽ fi vniuerfas Theologorũ,philofophorum, Iurifconfultorum, & omnium prope gentiũ, de

de natura dæmonum,sententias dispiciamus, equidem vehementer extimesco,ne aut desipere,aut veritati temere repugnare videamur.

Iam ergo dæmonum fraudes,noxasque,aggredior (qui alter est huiusce disputationis locus). Nocent autem dupliciter,tùm per se,tū per impios magos.

Atque hi quidē magi publicę securitati insidiari, quatuor modis solent:præstigiis,maleficiis, vaticiniis,&medicamentis:Pręstigiis quidem magicis,videndi sensus bifariam deluditur: tum rerum absurdarum idolis,à dæmone intus,in ipso oculo, ob pupillam exaratis:tum specierum excipiendarum peruersione,vt obiecto visili commoto, ipsoque visionis medio personato,& ab inductis corporibus alienis perturbato,ne in sua figura& magnitudine res videndæ cernantur. Priori illo hallucinationis modo fit vt sicut phrenitici suffusique,internis spectris quasi externis,forisque irrumpētibus perterrentur: sic præstigiati à dæmone, furta, furesque in cyatho perspiciant; cùm eadem prouectiores, qui adsunt viri aspicientes nequaquam inspiciant. Posteriori modo,alienæ prorsus rerumque naturis repugnantes formæ,pluribus obiectantur,vt Actæonis illius in ceruū:&sociorum Vlyssis in sues,canes, asinos:& aliæ id genus poëtarum metamorphoses. Simile est perditarum magarum vmbraculum,quæ felis,canis lupive specie,in cunis infantes immaniter iugulant, aut venenis necant.

Maleficia instrumentis tribus grassantur,epodis, id est incantationibus,nodis,& imaginibus,quibus hominum corpora grauissimis implicant morbis, & animos efferatis odiis, amoribus, & terroribus sollicitant.Tum etiam pecorum gregem,peste,ab-

ortu,& lactis penuria,conficiunt:tum fruges deniq; arboresque,& agros ipsos,nebulis,imbribus,grādine,& pruinis miserabiliter perdunt & depopulātur.

Diuinationis magicæ tripartita est materia: thesauri abditi,cædes, furtaque occulta, negotia, & consilia dubia: Prima species vanissima semper fuit,& dæmonū ludibriis sæpe intermixta. Secunda multipliciter à dæmone agitatur, in annulo,vngue, vitro,aqua,crystallo,furtorū species furumq; vultus, gestus & habitus, impubi simplicique puero exhibente,& aliquando corā eloquēte: cuius tamen vocē cæteri audientes nō exaudiunt. Sic statuarum responsa,apud priscas quasdā gentes edita fuisse constat. Tertia ex disiectis sparsisque, vltro citroque punctis quibusdam,figuras effingit: quibus cōsiliorum, & negotiorum omnium initia, exitusque affingit: Goëtia hæc vocatur. Quartum insidiarum magicarum genus, in ficta quadam bonæ medicinæ specie versatur,quod apud idiotas quosdam homines, & deliras aniculas sanctum, & venerabile semper fuit, ob breues facilesque morborum difficillimorum curationes, qui maleficiis inflicti sunt: ista enim aliæ construunt, aliæ destruunt: aliæ alterutrum tantum possunt. Atque quatuor illæ sunt, magicarū insidiarū fraudūmq; species famosissimæ.

Sed enim flagitiosæ huius magicæ professionis, nolite (quæso vos) artem aliquam, & præcepta expectare. Tota enim ex familiaribus dæmonum commerciis; mutuisque pactis conflata est publiblicis, priuatisque. Ex iis autem quædam tacita sunt, cum diuinos ritus, gestu, verboque obscœno profanare, tyrones suadentur: Alia expressa, cum eosdem ritus, vt abiurent expressis, clarisque

que verbis monentur, aut à dæmone ipso, virilem vultum præferente, aut ab initiatis. Publica pacta sunt, cum in celebri magorum, dæmonumque concione, catholicam fidem, initiandi detestantur: perpetuam magisterulo (ita dæmonem vocant) præsenti, stipulantique, obseruantiam, & omnem corporis, & animi potestatem promittunt: quibus vicissim versutus dæmon, præter portenta ista præstigiarũ, maleficiorũ, vaticiniorum, & sanationum, tantã in quæstionibus, & tormentis repromittit constantiã, vt ea non modo sine vllo dolore, & gemitu, sed cũ voluptate etiam perferant. Quinetiam characterem alicui eorum parti affigunt, qui scelerum cõfessionem, donec euulsus sit, coram iudicibus, & tortoribus cohibeat. Postremo horrendũ, impiumq; & execrabile fœdus, nefariis ceręmoniis sanciũt: raptosq;, & discerptos membratim pueros, dæmonibus immolãt, eosq; diutius coquẽdo in liquorẽ resoluunt, in vtribus seruãdum, cuius potu artẽ portentosam perdiscãt. Solidam autem partem in vnguentũ concinnant, quo peruncti trãsformentur, & per aërẽ sublimes rapiãtur. Hinc humanę carnis Magorũ auiditas, vel potius rabies tanta, vt alienorũ puerorũ penuria, aut putria è sepulchris cadauera diripiant, aut in proprios liberos manibus, dẽtibusque sæuiãt. Quid? quod iisdem nefariis cõcionibus, magica officia viritim à dęmone initiatis, distribuũtur, segnesq; plectũtur: priuatim vero obstetricib⁹ præcipua cura mãdatur, pueros nascẽtes necandi, aut eosdẽ dæmoni, ante baptismũ deuouẽdi. Quid? quod epulãtur ibidẽ, saltãt, scortantur etiã cũ dęmone virgines, fœmineq; quæcũq; vetularũ magarũ lenocinio, ad libidinosas eius illecebras deduci po-

tuerunt. Sic enim olim gigantes: sic heroës ex Iouis, aliorumque deorum, cum fœminis humanis coitu, natos quidam putãt (ἔρως enim amorẽ significat.) Sic deniq; quos poetæ faunos, satyros, syluanos, & nymphas vocarunt: Theologi nostri incubos, succubos vocant. Hæc astutissimi dæmonis insidiosissima œconomia est, ex qua flagitiosorum magorum infausta familia incredibiliter crescit.

Verumenimuero ridiculum, fabulosumque dæmonum cum hominibus, quantumuis scelestis, cõmercium vobis fortasse videatur, vt pote quorum negocia, consiliaque, aut intellectu, aut sensu capi nullomodo possunt: neque enim intellectus singularia tractat, sed cum substantia eius actus sit, in seipsum tãtum, authoremque suum diuiniorem refertur. Sensuum autem subsidia, simplicissimis dæmonum naturis insita non sunt: At sane intellectus speculatiui, vt angelorum, est æterna, & inuariabilis actio, est suiipsius, creatorisque Dei contemplatio: Dæmonibus autem circa mutabilem hunc orbẽ occupatis, præter speculatiuum practicus adiunctus est, cuius propria est ratiocinatio, & ex vniuersaliũ notione, singularium æstimatio, perceptioque. Deinde vniuersalia intelligentes, quæ singularibus semper connexa sunt, speculari phantasmata necesse est, vimque imaginandi dæmonibus esse attributam, quæ quod vmbraculis corporeis offusa, oppressaque non sit, res externas omnes (excipio semper futuras, quę quòd non sint, imaginationem nusquam possunt mouere) sine sensuum adminiculis comprehendit: ea autem ignauissimo, tardissimoq; animantium generi à natura tributa sunt, vt collectas in illis rerum intelligendarum species, inde-

que

que in ſpiritum,& mentem altius infixas; conſtanter aſſeruet, ne ciborum vaporibus excuſſæ, exoleſcāt. Hinc matutina hominum ſomnia, cocto cibo, clara, rectaque magis, quàm eodem adhuc crudo, eſſe ſolent: Hinc ſpecillis vitreis, collecta luce, viſio: Hinc expanſa ad aures manu, ſuppreſſoque ſomno, auditio iuuatur.

Poſtremo dæmones ipſi, quatenus magnitudini aſſident, communes quaſdam coniuncti corporis affectiones ſubeunt, vt amorem, odiumque, mœrorem, & lætitiam &c. vt quorum negocia, conſiliáque intelligunt, iiſdem prodeſſe, vel obeſſe, potius velint.

Neque verò idoneis operum ſuorum inſtrumentis Dæmones orbati ſunt, quæ vel ex ſenſili corpore, vel ex ſpiritu inſenſili, nutu ſuo, elaborant. Hinc illud quod de Socratis dæmone apud Platonem, & Xenophontem legitur. Illinc venerei dæmonum concubitus prædicantur, qui tamen fœcundi eſſe, ſine ſemine, & corpore vegeto, vnde id ipſum defluat, nō poſſunt: niſi vero ab arte etiam animal excitari poſſe ſentias, cum ſit intellectus practicus eorum, quæ non à natura ſimilium ſemper procreatrice, ſed ab arte fiunt, & dæmone, principium. Illinc quoque brutorum, hominum, ſegetum, à dæmonibus per aerem facta tranſlatio, & vectura: Omnis enim intelligentia motiua corporis eſt cui aſſiſtit, nullumque tam graue eſt, quod eius impetum remoretur.

Adhuc dæmonū, magorūq; cōmunis clades expoſita eſt: hæc vero dæmonū propria, cū acerbiſſimis ſæuiſſimorū morborū cruciatibus, vt epilepſiæ, cōuulſionis, palpitationis, leipothymiæ, delirationis,

vociferationis, obsessa hominum corpora exanimat:neque enim vnus tantum, vnaque corporum sede latitat dæmon, sed plures aliquando propéq; innumerabiles in variis partibus diuersantur: alias interna hominũ supplicia incendiis externis alunt, fouentq,. Quãobrẽ proximus disputationis locus nostræ est, an ægritudines illæ, dæmoniæ sint, siue diuinæ, secundũ naturã, aut supra eandem habendę sint.

Intellectus quidem practicus eorum est, quæ ab arte, & dæmone fiunt, supra naturam principium: Ideoq; maxime admirabilia vtriusq; opera obseruãtur: neq; enim versutissimus dęmõ minus, quã peritissimus artifex, expeditis instrumentis vtitur, cum in corpus quodlibet sese insinuat, ab eoq; cùm libet, subducat, cõmoueat, transferat, diuidat, componat. Dissident tamen inter se, quod artifex nunquã, dæmon cum natura semper operatur, neq. Phœbas vaticinatur nisi Deo plena, & incitante foris, intusq. dęmone. Porro imaginatio cùm corporea omnino sit, corpus ipsum vicissim cõmouet, immutatq. saltẽ leuiorib. affectionib. vt leipothymia ex vulneris alieni intuitu, hæmodia ex asperi soni auditu, fœtuũ maculis ex prægnãtium vitiato appetitu: neq. tamẽ in propriũ corp⁹ potest omnia imaginatio, nõ enim melãcholici minimã suorũ somniorũ particulã vel speciẽ suscipiũt, Illa certè in alienũ corpus per seipsã nihil potest: itaq. neq. omni animãtiũ generi, neque toti eorundem alicui speciei, cõmunis est: sed paucis quibusdã indiuiduis magica, & tabifica imaginatio propria est, vel ex dæmone assentiẽte, iuuãteq., vel ex spiritu venenato emiss., vt à Magis iracũdis, & Lybicis quibusdã, & Illyricis populis, basilisco, lupoq. neq. enim eadẽ est mẽti diuinæ similis, cuius nutu omnia obeuntur, vt sint res omnes, aut nõ sint, quia

ita sentiat,neq. certe humano intellectu præstãtior qui tamen ab intelligibili tantum moueri potest.

Hactenus ægritudinum genus omne à dæmone cõtrahi posse, spiritu impuro & venenato, vel solo, vel dæmone inhærẽte, in corpus animãtis inculcato, eoq; multipliciter versato, alteratove, ideóq. ægritudines omnes dæmonias in naturalibus habendas esse satis accuratè demonstratũ, arbitror. Quapropter vltimam huius disputationis particulã, de dignoscendis, curãdisq. ęgritudinibus istis dæmoniis, siue diuinis, breuiter perorabo. Earum autẽ species alias perspicua est, quæ à natura omnino degenerat, aliàs perobscura, quarũ scilicet causæ, & symptomata natural.b. omnino respõdẽt. Ratio autẽ istas demõstrãdi bipartita est, vna superstitiosa, fallax, & execrabilis, quę ex guttularũ plumbi figura, liquati diffusique in aquã super ægrũ corpus, maleficij speciẽ detegit: altera artificiosa, & erudita, tũ in obsessis, tum in aliis maleficis prodẽdis, versatur. Ab his. n. inductas ægritudines demõstrat, tũ maleficij instrumẽtũ repertũ, tũ efficacissimorũ remediorũ physicorũ irritus lõgusq. sine vllo fructu vsus: Obsessos autem indicant tũ sacrorũ rituũ, verborũq. odium, tũ particularũ variarũ terrifica symptomata (mouetur enim cũ spiritu quasi animal quoddam, vltro citroq. dæmõ) Itẽ alieni ignotique sermonis elocutio, perceptioque: denique suffitus aromatũ, quibus aut fugantur dæmones, aut vehementer exacerbantur.

Iam vero ægritudinũ istarũ curatio methodica edisseratur: Illa quidẽ est & physica, & metaphysica: hęc rursus duplex, Vna magica, quãdo magi, aut dæmones, morborũ à se illatorum, remedia cõferunt. Altera theologica, quãdo sacerdotes diuinis nominibus, sacrisque, & abiurationib. in Ecclesia institutis

dæmones terrent, fugantque: Sed physicam, & artificiosam consectari magis placet, qua obsessi à Dæmone, & à Mago afflicti iuuari possint: Multa sane apud Dioscoridē, & Pliniū inter animalia, plātas, & lapides medicamēta annumerantur, quæ sub certo cœli sydere, & syderis aspectu, situq; collecta, reposita, & vsurpata, ægritudinibus dęmoniis, medeantur, quorū magna pars magica est, & superstitiosa, nihilque ægritudinibus istis refragāte dæmone, pioq; administrāte medico, opitulatura: talia sunt, scilla, betonica, ciclaminus, moly, cētauriū, rhamnus, chrysanthemū, quercus marina. Physica autē remedia, ex intima propriaq; facultate, nō ex cōditionibus illis superstitiosis, easdē ægritudines expugnāt, & demoliuntur. Cùm enim proxima earū causa sit spurcus quidā & venenat' spiritus (vt ante expositū est) siue dæmone abséte siue præsente, illi sane spiritui causas naturales operibus suis proximas adhibet physica curatio: vnde cōstat, ægritudines dæmonias, in naturalib' numerādas esse, quod ipsū pleni' iā demōstro. Animæ humanæ functionū omniū princeps, minister, & adiutor est vitalis spirit', tū maxime incorpore', & ad motū omnē valde præceps, tū qualitatū expers, vt omniū ex æquo sit capax, tū deniq; naturæ diuinioris, quàm caduca elemēta, & æterno elemēto respōdēs stellarū, ex quo, & solis radiis coeuntib', emergit illa magni mūdi, omniū quib' vita cōmunis est, parēs, & author: Sic dæmonis officiorū omniū opportunissimū instrumētū, spiritus est, ex quocunq; corpore physico, vt veneno, cadauere, & inquinatis humorib', medicarū distillationū, & infusionū instar illect', vnde fere sulphureo, fœtidoq; odore, aerē fugatus dæmō corrumpit. Huius autem spiritus, alias motu solo, quem ille nutu suo ciere

poteſt, opera ſua præſtat,& viſile etiã aliquãdo, atque tactile corpus ſibi architectatur: alias etiã hoc ipſum præſtat alteratione per primas, ſecundaſque qualitates gignẽdis hominũ affectibus ſimillimas, quas materia medica ſedulo dæmoni ſubminiſtrat. Porro ſpiritus hic aliquãdo cum ipſa dæmonis ſubſtantia,in corpus ægrũ intromittitur, vt de obſeſſis conſtat,alias ſolus, vt in pleriſque maleficiis,fouente etiam foris dæmone.

Agedum maleficiorũ inſtrumenta perluſtremus, ex quibus,quęcunq; intro in ventriculum,aliamque partem,(vt vitri,lapidis,ligni,aliorumque corporũ fragmenta)condita ſunt,lædunt quidẽ corpus naturaliũ cauſarũ inſtar,proximè,& ſemper omnia:Externa autẽ,alia ſigna ſunt tantùm,alia verò ſigna ſimul & cauſæ ſunt,Rurſus quæ ſigna tantùm, ea vel manifeſta ſunt,vt ceręæ imagines, nodi, carmina, characteres,ſyderum ortus, & figurę aſtronomicæ, in quibus ſola ſunt,aut pacti,aut temporis quo euocari,aut modi quo cogi videri cupit Dęmõ,aut hominis certè lędendi à Dęmone,monimẽta:vel certe ſigna hæc occulta ſunt,vt corpora quædam diuer ſis locis abdita: vtraque autem hæc omnem agendi vim à Dæmone,non natura ſua,ſortita ſunt. Signa ſimul & cauſæ ſunt,ea quæ affectiones corporeas,vt amorem,odium,ſanitatem,ægritudinem inducunt, quæ ſpirituum motu, & alteratione (vt dictum eſt) conſtant. Itaque ex ſerpentibus, & ranis, rubetis plurima maleficiorum inſtrumenta comparantur, quod vel propius eorum ſpiritus ſit venenatus, vel alieno veneno conſeruando aptus.

Spirituum & inſtrumentorum iſtorum, quanta vis ſit alterandi facillime,ex accuratiſſimo eorundẽ

apparatu,& repositione intelligas:ea enim ex peregrinis ignotisque medicamentis studiosè elaborata iis ædium,vestium, supellectilis, lectique, & culcitræ locis,astutus dæmon recondit, ex quib. proximum cor ægri lacessant, aut cerebrum variis imaginationibus percellant: Moueri enim imaginatricem animæ humanę facultatem sine sensu posse,sõniantium quorundã ecstaticorum, sybillarum,bacchantium fœminarum,poëtarum,spontanei motus satis declarant,quorum vaticinia, & præstantia poemata imaginationis externis, & dæmoniis motibus,cum illa à sensibilibus obiectis maxime libera, solutaque est,non atræ bilis caliditati,cum Aristotele,tribuenda sunt:ideoque alexipharmaca illa & amuleta validissime obsistent, quæcumque spirituosa substantia,maximeque odorata affluent,quavenenati spiritus altissimas sedes promptissime subeãt, eũque mixtione sua alterẽt,peruincãt,&dissoluant. Huius generis simplicia sunt balsam.mosch.ambra, xylaloe,santala,cinnam.calam. aro.schœnãthos,styrax,benioin.fœnic.ruta:cõposita sunt electuaria mithrid.theri.athanas.alkerm.diamb.de gemmis,diamosch.dulce,&similia:maxime vero profutura sunt vtraque,si simplicia suffitu,cõposita potu vsurpẽtur ex aliquo tenuissimo,& odoratissimo,vt aquæ, vini aut citrãgulorũ,aut similiũ liquore dissoluta,qui alexipharmacorũ spiritus multiplices, eosq. in corpus totũ quoquouersũ dispellat digeratq;. Quod si sũmota causa ęgritudo tamẽ partiũ,aut corporis toti' aliqua subsit, candẽ physicorũ remediorũ cõtrariis virib.abrogari quoq. deleriq. oportet. In quib' ædiũ, vestiũ,& supellectilis mutatio negligẽda nõ est in quib.maleficij instrumentũ sæpe latitat,sine quo pri' detracto,sanitas curatióne sperãda nõ est.Dixi.



IOANNIS HVCHERI TRACTATVS DE DIÆTA ET THERApeia puerorum.

MEDICINAE partes duæ ſunt principes diuerſis officiis diſtinctæ: Vna ſanitatē tuetur, ὑγιεινή: Altera morbos profligat, θεραπευτική dicta. Sanitas duplex eſt; vna partium ſimilarium temperies: altera diſſimilarium concinna cōformatio. Tertia quædam communis eſt vtriuſque generis partium, vnio ſcilicet. Temperies vel exquiſitiſſima eſt & ad pondus (quæ raro vel nuſquam occurrit) vel parum deficiens, ad Iuſtitiam vocata, quæ nondum tamen corpori grauis eſt: frequētiſſima quidem & nō ſolum pro naturę & tēperamenti, ſed pro ætatis etiā tēpeſtatis & victus diſcrimine multiplex. Noſcitur vtraq; ex functionib. principū viſcerum, hepatis, vētriculi, cordis, cerebri, teſtium: Quæ ad pōdus eſt ex perfectiſſimis omnib. atq; ex accidentium corporis mediocritate, vt illud neq. craſſū aut gracile ſit: neq; hirſutū aut glabrū, neq; molle aut durū, neq; nigrū aut cādidum: neq; iracundū aut ignauū: neq; peruigil aut ſomnolentum, neque hebes aut callidū, neq. libidinoſum aut contra. Sed omnium iſtorum moderate particeps, quæ ad Iuſtitiam eſt & deficiens ſanitas, tum è functionibus viſcerum iſtorum

paulo deterioribus: tum è propriis corporum accidentibus innotescit, vt quæ calida natura constat, ex tactu calidiori: venarum amplitudine: inedia difficili: gracili habitu: capillis nigris & hirsutie summa. Quæ frigida est ex tactu frigido, venarum angustia, inedia facili, habitus obesitate & glabritie. Quę humida ex tactus habitusq; mollitie: quę sicca deniq; ex tactu duro, asperitate & scabritie corporis.

Porro sanitas à duplicibus corrumpitur causis: naturalibus & contra. Illæ sunt congenitæ duæ, vna repugnantia elementorũ per quam ætatum vicissitudine ex calidissima & humidissima (quę infantię propria est) frigidissima tandē & siccissima tēperies adsciscitur, morsq; ineuitabilis inducitur. Altera est triplicis naturę, substātię spirituosæ, humoralis, solidæ, effluuium. Nō naturales aliæ sunt internæ, vt excrementorum ab alimentis, viscerumquè intemperie prouentus. Aliæ externæ partim necessariæ & ineuitabiles, vt aer, somnus & vigilia, cibus, potusq;, quies & motus, animi pathemata, partim non necessariæ vt medicamenta, venena, venus, vulnerantia & contundentia tela.

Contra sanitas quæ optima est à similibus causis omnibus conseruatur, sicuti & quæ parum deficiens est: quę enim à temperie iam longius desciuit, vt in vitium prona videatur, contrariis iisdem causis sed omnino modicis reuocatur. Harum igitur omnium causarum congruum vsum penes quātitatis & qualitatis ipsarum corporumque seruandorum differentias, vna hygiene prima perdocet, quæ cùm dignitate & tēpore therapeuticā antecellat: idcirco infantiũ puerorũq; diætā in primis prosequemur: deīde morborũ puerilium therapeiā subiũgem*.

Est

Et autem ætatum partitio quadripartita, tēperamenti humani mutationib⁹ in tota vita quatuor respondens: Prima enim adolescētia calida humidaq; ad vigesimum quintum annum fere producitur. Secunda iuuētus calida, sicca, ad trigesimumquintum. Tertia constans ętas aliis declinans, siccior quā calidior, ad quadragesimū quintū vel quinquagesimū. Quarta senectus frigida siccaq; ad mortē vsq; naturalē propagatur. (quanquā candē excremētorū luxuries debilitatis viscerum & caloris viribus humidā efficit.) Vltima hęc ætas tripartita quoque est pro varia frigiditatis & siccitatis exuperantia. Vna enim est crudiorum senum ad sexagesimū annū. Altera senū simpliciter ad septuagesimum. Tertia capulariū & moribundorū senum. Sic prima ętas tripliciter diuidi solet pro caliditatis & humiditatis ratione diuersa. In pueritiam ad decimum quartum annum. Pubertatem ad decimum octauum. Adolescentiam ad vigesimum quintum. Postremo pueritia quoque pro eadem caloris natiui varietate in quatuor distributa est partes. Primā ad septimum mensem extendūt, quo dētitio incipere solet. Secundam à septimo mēse ad secūdū annū, cùm absoluta dētitione ablactati pueri solidiorib. vesci cibis incipiūt. Tertiam à bimatu ad septennium, quę adhuc infantia dicitur. Quartā ad duodecimum, vel decimum quartum annum deducunt, hęcq; propriè pueritia nuncupatur. Talis quidem est temperamentorum ætatumque vulgata distinctio: sed in genere tātum. Hę enim tametsi certis annorum spatiis sibi vicissim succedunt, nequaquā tamen certis omnino finib. sed in latitudine tantū definiri possūt: vnde pro ut quis vel calidior, vel frigidior, vel humidior, sic

cióiue est,ita seri'citiusue pubescit,viget& senescit.

De signis salubribus infantis.

INfantis sani beneq; valentis, cuius à nobis educatio suscipiéda est, ab ipsis vitæ forib. auguria captanda sunt, tum ex parétum ipsorũ natura salubri, ętate integra, victu moderato, matris præsertim pręgnantis, tum ex optima corporis conformatione, vt si sensus incolumes omnes, si meatus partium foris patentium vt aurium, narium, oculorum, fauciũ, podicis, vrethræ expeditos: si articulorũ flexus liberos artuumque motus robustos: si denique partium singularum decoram magnitudinem, figurã, numerũ, & connexum conuenientem sortitus sit (neq; enim corpori tam aptè conformato aut facultatis conformatricis robur: aut principiorum, seminis nẽpe mẽstruiq; sanguinis, obsequentem temperiem, & materiam, aut idoneam eorundem copiam defuisse eiusmodi infanti putandũ est) denique sumenda est cõiectura ex editione tẽpestiua in vitali mense, vt septimo, vel potius nono: ex prodeuntis ab vtero eiulatu clamoso, qui exquisitum eius sẽsum motricéq; facultatem robustam testantur: sicuti contraria omnia vel pleraque insalubritatem & intemperiem corrigendam, denuntiant.

Editi infantis cura.

IAm vero multiplex obstetricum erga infantem mox editũ cura propria est. Prima vt vmbilicus quatuor ab abdomine digitis acuto scalpro præcisus, duobus sericeis filis, pollicis vnius ab abdomine distantia, studiosè reuinciatur, non quidem laxius ob funestæ hæmorrhagię aut refrigerationis à frigidiori subeunte aura metum, neque etiam ar-

ctiùs

ctiùs, ne portio eiusdem à nexu extans eodem hæmorrhagiæ periculo citiùs cadat. Vulneri imponantur, quæ oleo rosato, vel amygdalino dulci insuccata sint diplomata:reliqua autem pars supra nexum linoxilino vel succida obiecta, ne aliq. frigore suo tormina excitet. Ita inuoluta leniter abdomini incumbat, donec tabefacta caloris & alimenti priuatione ob vinctas venas arteriasq;, tertio quartoue die auellatur & decidat, tũque post eius casum vulneri relicto testa cochlearum aut tali suilli aut plũbi vstorum cinis aspergatur; ipsumq; diligẽter obligetur ne ex dehiscente, hæmorrhagia subsequatur. Postremo prominens vmbilicus & extuberans frustuli plumbei, instar denarij nostratis admoti grauitate deprimendus est. Hæc autem omnia exequi debet obstetrix dummodo exclusa prius fuerit secundina vel solo naturæ conatu, illico post partum, vel si resistat cõtumacius & diutius cunctetur ab obstestetrice leniter ex tracta interpositu vasorum vmbilicalium, aut etiam adhibita manu, quæ priùs oleo dulci delibuta in pudendum penitus immittatur. Huius enim exclusionis difficultatẽ interiecta mora plurimùm auget, eò quod protinus ab exitu infantis internum vteri orificium contrahitur.

Curato vmbilico secũda obstetricũ cura est in extergendis sordib. lentis & pituitosis, tũ corporis totius, tum singulorũ eiusdẽ meatuum foris aut intus patentium, vt narium, aurium, oculorum, oris, asperæ arteriæ, pulmonis, œsophagi, ventriculi, intestinorum, podicis & articulorum, in manibus, pedibusque, cruribus & bracchiis. Totius corporis abstergentia remedia sũt lotiones & balnea è dissimili comparata materia pro vario obstetricũ

consilio vel abstergendi tantum, vel adstringendi etiam modice, densandique rariorem habitum aduersus frigidi insuetique aëris appulsum, vel dissoluendi etiam contusiones artuum, vel denique deliniendi lassitudines à laborioso nimis partu relictas.

Leuissima est lotio ex aqua dulci tepida in concha & nostratibus obstetricibus magis vsitata, cui tamen commodius vini albi & oligophori dimidiũ addatur asperso etiam subinde post lotionem salis marini polline, à nostratibus tamen neglecto. Magis detergit lotio ex fœnuigræci, hordei & florum chamæmeli decocto. Ab aliis vinum astringens solum aut incoctis etiam astringentibus vt rosis rubris cacuminibus myrti & pauco sale probatur.

Ab aliis post eiusmodi lotiones olea quoque astringentia vt myrtinum, lentiscinum, rosaceum & omphacinum allinuntur. Sed postrema hæc duo vtpote validius astringentia remedia neque necessaria videntur cœlo pręsertim non valde inclementi vt nostro fere Gallico, quod puerorũ cutis per se densior sit, neque satis etiam tuta: quod humidiora infantium corpora facili perspiratione egeant.

Veteribus lotiones istæ frequentius diutiusque & per plures dies ante quotidianum lactis vsum reuocabãtur non ad solam sordium abstersionem, sed ad natiuam humiditatem corporumque proceritatem augendam. Nostratibus autem semel aut iterum tantum vsurpantur.

Meatus externi hoc pacto expediendi liberandique sunt, nares quidem si digitis comprimãtur aut linamẽtis tortis mucus ex iisdem proliciatur, sicuti & ex auribus. Podex si minimus digitus oleo dulci oblitus eidem inseratur vt inde meconium (quod alimen-

alimenti fœtus crassius & nigricans excrementum est, meconij veri instar) eiiciatur. Oculi si per diductas palpebras lenissimum linteolum tractetur & oleum admodum dulce in eos instilletur, quo sint tũ ipsi mobiliores tum mẽbranæ molliores. Oris cauitas si melle cocto vel electario diamoscho dulci, potius quam theriaca acriori, digitis obducto affricetur blandius. Aspera arteria pulmo ventriculus œsophagus intestina si cochlear vnũ vel olei amygdalini dulcis vel potius mellis cocti exhibeatur, vnde humorum variorum viridium albicantiũ aut nigricantium profusio prouocetur, quibus suppressis lac primum corrumpi, indeque tormina infantibus intolerabilia accendi contingat. Digiti quoque manuum pedumque leuiter mulcendi & explicãdi sunt: articuli denique tibiarum & bracchiorum frequenter & pluribus diebus contrahendi & expandendi, vt quicquid humoris excremẽtitij intus illis forisue adhęserit, id totum discutiatur. Tertia obstetricum cura (chirurgorum etiam communis) est, in paruis quibusdam conformationis emendandis vitiis. vt si cui naturalium ductuum vt puta aurium, narium, ani, pudendi membranula obducta sit, aut si digiti inter se cohæreant, protinus rescindatur, eorumque conglutinatio interpositis linamẽtis prohibeatur. Sextus quoque digitus amputetur, ligamentalis membrana sub lingua breuior incidatur. Maculæ deniquevariæ ab ortu contractæ elidantur, sed à perito tantum chirurgo qui curabilia ab incurabilibus prudenter discernat.

Vltima obstetricum cura est, vt puerum bene lotum prius, intusque & foris purgatum, cunis mandet fasciis tam accuratè obuolutum vt rectus omni-

no ſit ceruicis & totius ſpinæ tractus, eumq; in ſpinam facie ſupina ad dentitionis vſque tempus reclinare pergat, à quo in vtrumque latus decubitui eundem ſenſim aſſuefaciat, ita tamen vt à capite corpus totum parum decliue ſit excrementis cerebri hoc ſitu deorſum facilius deuoluendis: vt denique in cunis decumbens directum lumẽ (ne euadat luſcioſus) nõ obliquum aut trãſuerſum excipiat.

De victu recens editi infantis.

EDentuli infantis alimentum accommodatiſſimum lac eſt: quod ſit euchymum, purum, eupeptum, calidum humidumque, & naturæ infantium finitimum. Matris autem lac tanto ſalubrius infanti eſt, quanto ſanguini menſtruo vnde in vtero eius alebatur, ſimilius eſt: quantoq; eiuſdem in fœtu pro ſuo alendo, quam emptitiæ nutricis charitas & vigilantia maior eſſe ſolet. Præſtat tamen per ſex aut octo dies primos puerperij infantem à ſinu & vberibus matris abdicare, tum quia febriculoſa fere tũc illa eſt perturbatis humoribus atq; ſpiritibus recẽtis partus labore incenſis: tum quia mammæ vitioſo ſanguine refertæ ſunt: quem exhauriri prius admotis ad papillas puerulis vel virgunculis grandioribus decet, à quibus totus ſugendo expuendoq; cõſumatur, nouique lactis materia & probe ſinceriori deducto ſanguine cumuletur. Si tamẽ puerpera imbecillior ætate, natura, aut ægritudine ſit, aut nouæ etiam prolis cupida: lactationis officio aliena nutrix adhibenda eſt.

De delectu nutricis.

DEligatur itaque nutrix iuxta infantuli tempera-

peramentum prout vel optimum eſt & ſimili lacte conſeruandum: vel parum deficiens & contrario lactis alimento reducendum. Nutrix igitur ſana & temperata dignoſcitur tum ex temperie eius optima, tum ex concinna conformatione. Temperies ex cauſis internis, partium functionibus & corporis accidentibus. Cauſæ illæ ſunt natura ſanguinea ætaſque florens à vigeſimo ad trigeſimum annum. hæc enim conterminarum ætatum vitiis caret, adoleſcentiæ ſcilicet intemperantia & leuitate, & penuria lactis prouectiori ætati conſueta. Tunc autem ob deſinentem corporis accretionem roburque caloris & ſanguinis copiam lac fœminis exuberat: ſed tamen ad eam quoque ætatem accedere partus duplex triplexve debet, (ex quo venæ mammarum arteriæque repletionis conſuetudine ampliores lactiſque capaciores euaſerint) iſque maturus (Abortus enim ſæpe eſt latentis viſcerum humorumque vitij index:) ſit quoque maſculus: cuius calore maternum ingeminante ipſa robuſtior ſit & ad omnia lactandi officia alacrior. Sit etiam nutrix habitu bono, εὔσαρκος, non obeſa nimis aut macilenta, non ruffa & lentiginoſa aut nimis fuſca, ſed ex albo rubeſcens; non dentibus carioſis & rubiginoſis, non anima olida, non ſcabioſa aut pruriginoſa cute, non deformi vultu, (turpes enim fœminæ ſæpius iracundæ & rixoſæ ſunt, anima ſcilicet corpori conſentiente) non rurſus valetudinaria aut morboſis parentibus, vt arthriticis, epilepticis, aſthmaticis, phthiſicis, elephanticis prognata, quin potius cordata vigiliarum laborumque qui lactationem comitari ſolent, patientiſſima, iocoſa &

hilaris arridens infanti, facunda in alloquendo, sit denique bene morata, non violenta & libidinosa, ne cum lacte morum probra infantulo propinet. Laudata nutricis conformatio colligitur, tum ex totius corporis magnitudine mediocri, vel potius ad paruitatem vergente, tum ex pectoris amplitudine, ceruicis latitudine & mammarum substantia mediocri, nam laxiores & pendulæ lac coquunt minus, duriores & densiores ægrius permittunt lac sugi, naso interim compresso resimoque: papilla quoq. intro contracta vix infantis suctum sequitur, crassior eadem labiis vix comprehenditur.

De lactis exploratione.

POstremo electarum nutricum lactis salubritas ex quantitate eius & qualitate exploranda est, Illa quidem ne deficiens infantuli genium defraudet, aut redundans diutina in mammis mora corrũpatur. Qualitates sunt constitentia, color, odor, sapor. E quibus constitentia media & optima noscitur si in vngue terso immotoque hæreat: sin leuiter depresso promptius diffluat aquosius est, sicuti si cunctetur crassius est minusue caseosum. Color exquisite albus perfectæ coctionis, liuescens melancholici, flauescens biliosi, pallescens pituitosi, erubescẽs crudioris sanguinis index est. Sapor sit dulcis nõ acidus, austerus, amarus, acris, salsus: hi enim tres calidam, illi duo frigidam intemperiem denuntiãt. Odor fœtidus, aut ab humorum viscerumque corruptela, aut à ciborum putrium & corruptibilium vsu esuque exhalat. Emergunt autem ex vitioso lacte permulta infantibus incommoda, vt ex acriori & bilioso pustulæ acerrimæ, ruborque & ardor oris

partes

partes infestans, lienteriæ fastidium & atrophia, ex crassiori & calido abscessus, furunculi. Ex crasso frigidoq; alui & vrinę suppressio, vnde linteolorū siccitas & grauis respiratio repleto ventre, fastidium cibi, vomit⁹ pituitosi, decolor facies, sordes oculorum & ventris flatus. Ex liquosiori denique alui & vrinarum profusio, vnde linteolorum perpetuus mador, habitus mollis laxusque sensim flaccescens.

De victu nutricis, & lactis vitiosi correctione.

TEmperata mater vel nutrix salubrem & temperatum infantem lactatura, cibis vescatur in genere euchymis & temperatis, non salsis, acribus, amaris, frixis, aromate conditis, & in cl.bano carnibus coctis, nō etiam crudis, vt acetariis & fructibus recentibus arborum, leguminibus & radicibus flatuosis, vt rapis, napis, raphanis, tuberibus, neque castaneis: vino vtatur tenui, oligophoro, anniculo beneque diluto, abstineat à venere & vehementibus omnibus corporis animique motibus, vt ira, odio, vigiliis prolixioribus, vtatur exercitatione mediocri, partium præsertim superiorum, vt sanguis vberior lactis causa in mammas deducatur. Aëre denique fruatur modice calido & temperato. Quod si mater vel nutrix infantulum educatura videatur intemperatior, aut ableganda illa est: aut si non licet, victu temperanda contrario. Itaque pituitosa victui indulgeat calido siccoque modice & attenuanti, vt salsamentis, herbis calidis in iusculo elixatis, vt hyssopo, satureia, mentha, fœniculo, petroselino, eruca & nasturtio viridibus, ouis sorbilibus cum momento cinnamomi

aut nucis moschatæ pane similagineo probe fermentato salsoque & anisato carnibus recentibus tostis aut salsis, laboribus ante cibos ad coloris mutationem, breuiori somno, vino paulo minus diluto. Sed ante victum eiusmodi instituendum, pituitæ vomitio vel deiectio phlegmagoga excitetur. Sin biliosa sit, otio & balneis sese dedat aëri frigido iusculis multis elixatarum recentium carnium cum herbis frigidis lactuca, acetosa, portulaca, borragine, buglosso, & endiuia, caseis recentibus & fructibus horæis, præsertim acidis. Sed purgatio vna ex rhei infuso & syrupo rosato laxatiuo præponenda est, (neque enim vehementior in nutrice vacuatio probanda est) paucum lac augetur largiori victu, vini dulcis potione, sorbitionibus multis, mammarum & pectoris crebra confricatione, fotibus & cucurbitularum appositione. Redundans idem circumciditur tenuitate victus, exercitationibus pluribus, partium præsertim inferiorum, vigiliis, aëre sicco, & linteolorum in acetum mersorum ad vbera frequenti appositione: crassum denique attenuante victu & frequentibus balneis. Quod si fœtus ipse intemperatus sentiatur, temperatæ matris vel nutricis lac victusque mutabitur pro puerilis intemperiei specie cui remedio esse debet.

De educatione infantium.

ERgo obstetricis arte perpurgatum fasciisque inuolutum & cunis traditum infantem, puerpera mater vel nutrix aliena salubri suo lacte quam primum alat expleatque papillis mammisque tepida ab-

da ablutis, crassoque lacte prius expresso.

Lactationis modum veteres in duas aut tres ad summum vices diurnas nocturnasque partiti sunt, neque id etiam ad sat etatem infantis, tantumque vt auidiùs excipiat, spemque concoctionis probæ relinquat. Quod si ingluuie largiorique lactatione obrutus stomach' sit, vnde somniculosior segniorque videatur, ventre tumido & flatuoso, atque vrinis aquosis, proxima lactatio ad cruditatis vsque concoctionem differenda est. Spatium lactationis longissimum vetus quoque medicina biennio, eodemque opportunum ciborum exhibendorum initium definiuit. Quia enim nutricis lac, nutritioni & incremento hepatis per triennium satis esse compertum est, eo solo contentum esse infantem voluit. At Gallicanæ mulierculæ indulgentiori consuetudine, & sæpius & multò largius non lacte solo, sed pulticulis etiam suos ingurgitant pueros nondum etiam trimestres: nedum anniculos, magna certe cum valetudinis ipsorum pernicie, certoque ingluuiei futuræ argumento, dilatatis supra modum alimentorum sarcina mollissimis ventriculi tunicis. Quibus nisi cibo expletis fames postea nũquam desitura est.

Lac igitur caprillum potius quam bubulum calens adhuc ab vbere (aliter enim acescit statim) aut igni modice recalfactum infantulo penuria lactis laboranti propinetur, aut ex farina & lacte pulticulæ eidem comparentur, ita tamen vt farinæ triticeę vel hordeaceæ flos in clibano percoquatur, rursumque cum lacte caprillo potius quam bubulo, vt dictum est. Sed omnino modicę elixetur. Cruda enim farina crassa est & viscida, si tantum pro

lactis modo coquatur, atque viscera ipsa, mesenterium, hepar, lienem obfarcit. In intestinis tormina & vermes, in vesica calculos suscitat, sin ipsa tantum cum lacte coquatur, quantum substantiæ eius conueniat. Lac ipsum butyrosa sua substantia & serosa castratum (vnica remanente caseosa) eadem inuehit incommoda. Lactis loco, quod improbant Narbonenses mulierculæ (credo ob penuriam) pulticulas suas cum mica panis albi, (vnde panatellas vocant) & hydrelæo concinnant, minori certe obstructionum, lapidum, vermiumque prouentu, ob panis cocturam sal & fermẽtum, oleique fluxilem lubricitatem.

De ablactatione infantis tempestiua.

TEmpestiuę ablactationis signa sunt duo, vnum dentium fere omnium eruptio, alterum cibi solidioris appetentia. Illa pro vario caloris natiui modo in varia ætatis puerilis spatia incidit: vt in decimum octauum, vigesimum, aut vigesimum quartum mensem, post quem lac nutricis crassius & parcius esse solet. Nam latentes in gingiuarum præsepiolis veluti vaginis quibusdam dentes aliis citius, aliis tardius emergunt, ante quorum emersum pueros perdunt morbi multi à ciborum cruditate orti, quippe horum coctionem in ventriculo absoluendam, nulla in ore per manducationem præcedit præparatio, qua tamen carere ne viris quidem impune liceat. Appetentia quoque ciborum solidiorum coctionem iuuat, sicuti cruditatem eorundem fastidium in viris etiam commouet. Ille igitur appetitus præter menses, annos & dentes obseruandus est: sin puer

puer tamen dubia & tenui valetudine sit, aut insalubre hyemis aut æstatis tempus vigeat, protrahenda lactatio est ad salubriorem veris & autumni tempestatem.

De victu infantium ablactatorum, & ablactationis modo.

INstante ablactationis tempore, vt eidem ferendæ facilius infans assuescat, primum consuetam lactandi frequentiam nutrix sensim intermittat, tandemque papillas amaro aliquo succo, vt decoctione absinthij, infusione colocynthidos, fuligine diluta, aut aloë, aut sinapi etiam acriori oblinat, cuius horrore infantem ab vberibus suis summoueat. Interim iusculis caponum, veruecinarum & vitulinarum carnium, indeque pānatellis liquidioribus elixatis & saccharatis: gelatinis & colatitiis earundem carnium iuribus, vitellis ouorum mollioribus infantem sustineat, fontisq; aqua saccharata, aut cum pullo tenello, vel cum hordeo, passulis & liquiritia cocta (vulgus aquam ptissanæ vocat) sitim eiusdem identidem leniat. Adhuc de qualitate & materia victus infantium; nunc de quātitate, quæ & copiosa & frequēs instituenda est, sensimque grandescente ætate augenda ob nutritionis & accretionis necessitatem, caloris natiui robur, & habitus mollitiem. Ad qualitatem quoq; referuntur sequentia. Aër quidem vernus, & ineuntis æstatis, ob temperamenti calidi humidique similitudinem infantibus & pueris est saluberrimus. Insalubrior circa medium & finem æstatis, & in autumno, insaluberrimus hybernus ob maximam naturæ

pueriliis dissimilitudinem, habitusq; puerorum penetrabilem maximeque alterabilem laxitatem, Non ergo illi aeris frigori Germanorum & Lacedæmoniorum veterum more statim obiiciendi & exponendi sunt, sed eius tepore continendi fouendique.

Suppressio alui infantibus ob crassitiem lactis, corrigenda primum est victu nutricis emolliente laxanteque, ex multis olerum iusculis, somno, otioque & potione dilutissima, deinde podicis infantium irritatione, submissis glandibus ex vitellis ouorum cum pauco sale, indito lardi frustulo, radicula betæ, aut melle cocto. Venter quoque laxandus vel exhibita manna ad ℥.j. in iusculo insulso dissoluta, vel melle rosato colato pari quantitate, vel denique impositione super vmbilicum cataplasmatis ex aloes ʒ.j. ellebori albi nigrique ana ʒ.ß. felle bubulo dissolutis, & pulticulæ instar super gossipium extensis ad magnitudinem palmæ.

Contra resoluitur aluus eorundem puerorum lactis aquosa tenuitate: cui medendum est tum victu nutricis incrassante, astringente & calfaciente, vinique rubri sinceriori parciorique potu, crassis iusculis oryzæ, semolæ, panatellæ, exercitationibus maioribus: Tum linimentis inducendis infantium ventriculi regioni ex oleo myrtino & masthichino, nardino, absinthino cum cera alba, vel addita etiam masthiche, bolo, thuris cortice & nuce moschata vt fiat vnguentum.

Infantium exercitatio, frictio leuis est, statim à somno, agitatio blanda in cunis & lecto pensili, gestatio in vlnis: sed hæc ante lactationem omnia ne exceptum lac aut reuomatur aut corrumpatur.

tur. Ploratus quidem exercitationis vicem explet dilatando partes thoracis, calorem natiuum excitando, cerebrum & pectus pituitosis excrementis exonerando. Effusior tamen fletus enteroceles periculum inferre solet. Vbi infans per se moueri potest, tum repere illi aut ingredi etiam licet, sed omnino leuiter, ne pondere motuque corporis violento molliora crura vitientur. Illis verò qui tertium aut quartum annum à natali attigerunt, vt vehiculis & nauigiis modicè agitentur, permittit Galenus libro primo de sanit. tuenda: idemque statuit septennes valentiores exercitationes perferre posse, ob maiorem corporum firmitatem, vt equitationem & ludum paruæ pilæ, per quem artus omnes quam longissime porriguntur.

Vicissitudo sit vigiliarum & somni: sed hic tamen diutius concedatur. Ploratus autem infantium aliquando ab iracundia prouenit, cùm iam paulo grandiores sunt: sed sępissime cũ pusilli adhuc sunt, ab inedia, satietate, frigore, æstuatione, torminibus, linteolorum & fasciarum humectatione, astrictione, punctura, contorsione partium, denique trichiasi, ex quibus inedia ex longiori abstinentiæ spatio percepta oblatis papillis continuo soluenda est. Satietatis signum est iactatio corporis & præcordiorum tensio: inediæ contra depressio ventris, & raritas, vt dictum est, lactationis. Frigoris & æstus causa euidens est, aut ab aere, aut à stragulis. Sic puncturæ & stricturæ: torminum verò signa sunt rugitus ventris & contorsio corporis cum eiulatu. Singulæ causæ suo contrario tollendæ sunt, vt inedia satietate, &

contra, ſtrictura laxitate, & punctura pungente acu remotâ, tormina ventris fotu ex lana ſuccida oleo chamæmelino vel alio magis digeréte, vt rutaceo, laurino.

Trichiaſis denique, quæ pilare malum eſt, remouetur pilorum euulſione cum volſellis, poſt leuem cutis frictionem à nuda manu, vel oleo illita. Excitantur autem pili veluti cetæ in poris habitus à pituita caloris impetu impulſa, ibique præ lentore cohibita & in pili magnitudinem à calore effictâ. Hiſce pilis deinceps compuncta cutis grauiter indoleſcit, præſertim circa nates, iūbos & dorſū.

Ploratus quacunque ex cauſa proueniat, communia remedia duo ſunt, agitatio in cunis vel vlnis nutricis, vociſque modulatio, vtrumque enim conciliando ſomno dolorem lenit, corporis animique ægritudinem compeſcit.

De differentiis morborum puerilium.

HActenus infãtium diætetica, quę ſalubrem eorum conſtitutionem tueatur, breuiter expóſita eſt: deinceps eorundem therapeutica quæ inſalubrem ſtatum reſtituat clariſſimè exponenda eſt. Sunt autem morbi pueriles, qui primam ætatis humanæ partem vſque ad decimum quartum annum vel ſolam vel frequentiſſimè exercent: vel certe ſi alias etiam ætates aliquando infeſtant, alio tamen modo in pueritia curandi ſunt.

Diuiduntur pueriles morbi in externos & internos: & vtrique rurſus in communes & particulares: Externi vniuerſales totique habitui cõmunes ſunt, ſcabies, pruritus, exanthemata, ecthymata. Externi particulares ſunt vt capitis phthiriaſis, achores, faui, meli-

meliceridcs, hydrocephalos, & capillorum vitia, ftrea, ophiafis, alopecia: fic colli, ftrumę, glandulę: fic vmbilici inflammatio eft & extuberantia quęlibet: fcroti, ramicum fpecies omnes & tali perniones. Interni communes funt febres. Peculiares, vtputa capiti funt firiafis, epilepfia, aurium humiditates, conuulfio, vigiliæ, pauores: ori verò, ftaphylomata, tonfillæ, anginæ, aphthæ: pulmonibus obftructio ex deftillatione à cerebro, tuffis, dyfpnœa, afthma, fuffocatio: ventriculo peculiaris eft ex cruditate lactis, naufea, vomitio, faftidium, inflatio. Inteftina infeftant ex eadem cruditate tormina, flatus, lumbrici, fluor aut fuppreffio alui: veficam, ftranguria, dyfuria, ifchuria, & lithiafis.

Puériles morbos varie partitus eft Hippocrates pro vario pueritiæ fpatio, in eos nimirum qui ad feptimum mẽfem infantes impetunt: tum in eos qui toto dentitionis tempore eofdem laceffere: tum in eos qui dolicos & ablactatos ad feptennium vrgere: tum denique in eos qui ad pubertatis initium, i. decimum quartum annum fatigare pueros folent. Varietas autem hæc morborum puerilium oritur ex varietate temperamenti, nutrimenti & humorum quæ variis pueritiæ partibus obtingere confueuerunt.

Ex puerilibus autem morbis, ficut & eos qui aliis ætatibus peculiares magis funt, illos tantum enumerauit Hippocrates libro tertio Aphorifmorum, quos fingulis pueritiæ partibus moleftiores iudicauit, ficuti fingularum anni tempeftatum & mutationum magis familiares proximè recẽfuerat. Proinde Hippocratico ifti puerilium morborum

catalogo cõplures alios nos ipsi quidẽ annumeraui mus, qui pueritiæ grauiores & frequentiores visi sunt, multis interim neglectis tum quia rariores, tũ ne iustam libri molem quod meditabamur compẽdium exæquaret. Eodem etiam breuitatis studio authorum nomina quorum præceptis, & remediis adiuti sumus, librorumque & locorum testimonia Galeni præsertim, Pauli, & Aetij à quibus hoc argumenti genus accuratè agitatum & elaboratum est, volentes scientesque prætermisimus.

Nos itaque Hippocraticam istam pueritiæ partium diuisionem vsque ad decimum quartum annum, deinceps ita sedulo sequemur vt morborum qui singularum eius partium peculiares sunt breuẽ facilemque therapeiam prosequamur.

Aphorismus Hipp. ex lib.3.34.

SEcundum ætates ij morbi accidunt, paruis quidem & recens natis puerulis oris vlcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

De aphtharum curatione.

EX puerilibus morbis prima occurrunt oris vlcera ἄφθαι vocata. Huius autem vocis significatio vna est generalior, pro exulceratione cuiuslibet partis, vt pulmonis apud Hippocrat. lib 2. de morbis, & testium apud Paulum lib.3. cap.54. & aliquando ventriculi, vnde lienteria: altera quæ magis propria vulgataque est ad omnes oris partes pertinet gingiuas & linguam, à quibus fere incipiunt, palatum totum, maxillam vtramque, vuulam & fauces.

Aphtha-

Aphtharum causa duplex est, vna humor vaporue acrior & erodens : altera mollior tenuiorque erodendæ partis substantia.

Species duæ sunt, vna puerorum : altera adultorum. Illa sæpius à serosa biliosa nimisque abstergente lactis nutricum portione prouenit, cùm sit recens natorum os interius laxissimum: rarius excitatur à destillatione salsorum putriumque cerebri excrementorum. Rarissime ab ascensu vaporum acrium ex nidoroso ventriculo corruptoque lacte manantium.

Quæ adultorum sunt tam virorum quam mulierum: sæpissimè à catarrho salso acriue vt per elephantiam & luem veneream : alias à vapore atræ flauæque bilis aut per febrem ardentem vstæ, aut putrefactæ per aeris constitutionem putridã, calidam humidamque, & sine ventis, cuiusmodi Hippocrati descripta est lib. 3. Epid. Puerorum aphthæ omnes quidem phlogosi & ignea quadam caliditate concitantur : sed aliàs minori túmque subalbidæ fere sunt : aliàs maiori tumque parum rubræ apparent. Adultorum vero sæpius rubræ sunt & aliquando instar escharæ nigricantes.

Pueriles aphthæ facile curantur, nisi vuam faucesque obsideant, quibus auxilium afferri nequit, tuncque pueri ipsi præ dolore lactis transglutitionem refugientes, ægerrimè conualescunt. Adultorum quæ nigrant aphthæ pessimæ sunt vt atrabilariæ, malignissimæ, nec vllis cedentes remediis.

Aphthę Gallicanis pueris & septẽtrionalib9 raro molestæ sunt ob lactis nutricum frigiditatem & humiditatẽ: sed aphtharũ loco, saliuatione multa,

pustulis præterea & vlceribus circa totam faciem caputque serpentibus infestâtur: hincque salubritatem illis conciliari tū ab Hippocrate prodițū libro de sacro morbo: tum à muliercularum & nutricum vulgo creditum est: robustæ enim naturæ opus hoc esse concepta in vtero excrementa expellentis sine quo pueri insalubrem vitam agerent. Mater tamen prægnans salubris & temperans salubrem beneque habitum fœtum enititur: sin inualida eadem prauorumque ciborum vorax fuerit, gracilem eundem parturit, qui nisi vlceribus istis & pustulis scateat imbecillus & valetudinarius futurus est, vt qui excrementis in vtero matris contractis neque postea expurgatis opprimatur.

Curatio aphtharum puerilium.

NVtricum cura inprimis suscipienda est, lactisque vitium si infantis molestia inde est, delendum, tum diæta refrigerante & humectante, tum purgatione chologoga leniente minimúmque acri, vt ex potione rhei & agarici trochiscati ana ad ʒ j infusorum in aquæ endiuiæ ℥ iij. syr. rosf. laxat. vel de cichorio compositi ℥ j cum momento electarij diagrydiati vt diapr. solut. vel de succo rosar. ʒ ij. vel iij. vel bolo ex medullæ cassiæ ʒ x. mixto rhei puluere ad ʒ j aut ℈ iiij. vel denique ex pilulis aureis & de agarico ana ad ʒ ß. Huic tamen purgationi clystere molli prius iniecto phlebotomia parcior ex basilica vel mediana cubiti dextri vtiliter præmittatur, balneum verò eidem purgationi refrigerans & humectans subiungatur, quale est ex aqua dulci tepida cui plantarum frigidorum folia floresque

prius incoxerint. Seri quoque caprilli potus matutinus & menstruus, aut iusculorum pulli frigidis herbis alteratorum, additoque pauco omphacio vel acido mali citrij aut limonij succo, delendæ viscerum intemperiei calidæ siccæque plurimum conducet.

Deinde puerorum albicantes & simplices aphthæ gargarismo eluendæ & exsiccandæ sunt: primùm quidem magis tergente minusque astringente sine frigiditate manifesta. Hoc imbuantur linteola, quibus aphtharum locus molliter fricetur, digitis obstetricis.

℞. aquæ pedunculi, rosf. plantag. caprifol. & mellis rosf. colati an ℥ij. misce. vel

℞. aquar. plantag. & acetosæ an. ℥ij Rob diamorum ℥j. misce.

℞. vini albi ℥iij. facch. rosf. ℥j. aluminis vsti ʒß. misce.

Aqua iuglandium immaturarum in aceto maceratarum & destillatarum, cum melle rosato mixta hîc quoque singularis est & eximia.

Quod si pueriles aphthæ ardore & rubore molestiores sint, iisdem aquis extinguantur quibus nonnihil succi acidi, vt malorũ granatorum, limoniorum, citriorum aranciorum permisceatur. Validiora ex astringentium decocto gargarismata respuit tenella ætas.

Iisdẽ puerorũ aphthis ex cerebri sympathia & destillatione ortis, siue hanc calor frigusue externum, siue paucus multusue capitis amictus, siue dentium dolor & eiulatus, siue sola excrementorum copia commoueat, consulendum prius est, materiæ destillationis tum reuulsione per clysteres mollis-

ſimos, potiones laxatiuas, mitiſſimas frictiones matutinas totius corporis deorſum verſus: tum etiam auerſione per emplaſtra leuiter attrahētia & diſcutientia toti ſincipiti & occipiti, abraſis capillis inducenda, aut denique per cucurbitulas & phœnigmum (ſiquidem maior ruentis catarrhi impetus & ſtrangulatus metuatur) collo & ſcapulis affigendum, cui etiam coercendo ſuffitus in cubiculo vel cunis etiam dormituri infātis valde profuturus eſt.

Exempla remediorum.

℞.hord.integri flor.viol.& roſ.an.pug.j.prunor. dulcium paria iij. caricas n. ij. ſemin. aniſi ʒ j. coquantur. In colatur. ℥ iiij. diſſolue mell. roſati colati ſacch.rub. & olei viol. ana ℥ j. vitell. oui vnius fiat clyſter.

Purgatio.

℞.mell. roſ.col.℥ j.lambat ſenſim ex digitis nutricis per horas duas ante & poſt lactationem. vel

℞.mannæ granatæ ℥ j.capiat cum pauco lacte nutricis. vel

Cum eodē lacte rhei puluerifati ℈ j. vtiliter miſceatur, vel denique ſyrup.de cichor compoſit.cum rheo vel roſ.laxat.℥ j.per ſe & cochelari ſumatur.

Exemplum emplaſtri.

℞.gummi ammoniaci ℥ j ſpicæ nardi, calami aromat.grano.alchermes ana ʒ j.ſeminis pœoniæ, nucis moſchatæ, macis & caryophyll.an.ʒ ß cum terebinthina magdaleon concinnetur, ex quo emplaſtra prædicta duo ſuper alutam bene raſam extendantur.

Exem-

Exemplum suffitus.

℞.mastich.cortic.thuris,seminis coriandi præparat.ana ℥ ß gũmi hederę rosar. balaust.sandal.citrini,gran.alchermes ana ℥ ij.benioini & lad.puri an. ʒ j.fiat puluis,excipiatur mucilagine gummi tragacanthi extracta cum aqua ros. fiantque trochisci ad suffitum.

Iisdem denique puerilibus aphthis ex stomachi consortio emergentibus (quod è nidorosis puerorũ ructibus facile detegitur) præ vitiosi lactis vaporibus: præter topica & gargarismata, corruptelæ ventriculi expurgatio per clysteres & potiones lenitiuas modo expositas, lactisque ipsius per victum nutricis cõtrarium& pharmaciam emendatio adhibenda est.

Facici autem capitisque vlcera,pustulæ & scabies si quando ante spontaneam sanationem, qua fere desinere solent, fœtore suo & deformitate displiceant,tunc eorum curatio artificiosa topicis tergẽtibus mollientibus & siccantibus sine calore acri acceleranda est, in hunc exempli gratia modum.

℞.terebinth. decies lotæ cum aqua ros.℥ iiij. salis marini ℥ j. vitellos ouorum duorum, olei ros. ℥ j. ß semin.limorum ℥ j.fiat vnguentum. vel

℞.axungiæ suillæ insulsæ ℥ iiij. resinæ abietinæ aqua ros. decies lotæ ℥ ij. sulphur. vini ℥ ß cerusæ lotæ & tuthiæ diligenter præparatæ ana ʒ ij. butyri recentis tosti ℥ j.ß albumin. ouorum duorum, moschi gran.iij.fiat vnguentum.

De vomitu.

VOmitus lactis puerulis commouetur: tum ab expultricis ventriculi facultatis robore:

tum à retentricis debilitate. Illa solicitaturvel à copia lactis copiosius ingurgitati, quàm sustineri ab illo nedum concoqui possit, vel à corruptela nidorosa lactis eiusdem acri & stomachum stimulante. Hæc vero debilitatur ab intemperie humidiori quam vel lactis aquosi cruditas, vel cerebri destillatio inuexit. Prima species vomitus, ipsarum etiam nutricum iudicio male tamen de reliquis duabus comminantium, salubris est beneque habitorum infantium familiaris; quorum robusti ventriculi idonea lactis portione expleti reliquam respuere & reiicere solent. Itaq; nullo illa alio auxilio præter diætam parciorem magisque frugalem indiget; vt scillcet parciùs rariusque pueris sugẽdæ papillæ adhibeãtur. Reliquæ duæ species insalubres, & infantium malè habitorum. & coloratorum communes, quibus idcirco opportuna non solum diætæ sed pharmaciæ etiam auxilia conferenda sunt. Secunda igitur species, quæ à biliosa, flaua, viridique vomitionis materia detegitur, diæta nutricis refrigerante & humectante, purgatione cholagoga viscerumque temporatione restituenda est, sicuti proximo de aphthis capite expositum fuit; deinde corruptela & cacochymia biliosa ventriculus infantis liberandus est, propinata sensim ex cochleari syrupi de cichor. compositi cum rhabarb. vel rosati laxantis, vel mellis rosati colati ℥j. vel rhei puluerisati ʒ ß. dilutique cum pauco nutricis lacte: mox verò intemperies ventriculi eiusdem calida, ex commercio diutino biliosi succi contracta, intus forisque obliteranda est topicis frigidis parumque astringentibus, ob visceris substantiæ laxitatem

tum

tum caliditatis, tum vomitionis comitem. Liniatur itaque ventriculi regio ter aut quater ante lactationem eo qui sequitur modo.

℞.olei rosati, melini & myrtini an.℥.j.cum ceræ albæ momento fiat linimentum. Addito puluere idoneo vnguentum euadat, vt

℞.sandal. omnium & rof. rub. an. ʒ.j. mastich. corall.rub.balaustiorum & nucis mosch.an.ʒ.ß.fiat puluis, misce cum ℥.iiij.prædictorum oleorum, & pauca cera alba: foris quoque super regionem ventriculi gestatus corallus certo auxilio est: intus autẽ syrupi de rosis siccis vel cydoniorum vel de granatis acidis cochlear vnum ante lactationem propinatum multum prosit, sicuti puluisculus etiam coralli rubri, eboris, sapphiri, hyacinthi, margaritarum & cornu ceruini ad ℈.j. cum lactis cochleari ebibitus.

Tertia species curatur primùm abstergendo pituitosam ex ventriculo cacochymiam, eamque euacuando cum ℥.ß. vel ℥.j.mell.rosati colati, vel anthos sensim transglutita, ex digito nutricis bis aut ter per singulas hebdomadas, duabus à lactatione & ante eandem horis, vel cum rhei puluerisati ℈.j.& electarij diaphœn.ʒ.ß, cum pauco lacte dilutorum: vel denique cum ℥. ij. vrinæ pueri impubis pauco sacchario aut melle conditæ. Deinde destillationis materia aliò reuocanda est, vel ad collum per cucurbitulas aut cauterium, vel ad totum caput per phœnigmum mitiorem excitatis apertisq; vesiculis, vel etiam ex eodẽ capite digesta per emplastra epispastica suturis & initio ceruicis admouenda. Postremo viscera ipsa ventriculus & cerebrum recreanda & restituta in suam temperiem, roboranda

ſunt : ventriculus quidem intus ſumptis ſyrupis de mentha, aut conſeruationis corticis citri & myrobalanorum ad ℥. ß. cum exiguo admodum cochleari, mane, ieiuno ventriculo, (ſyrupus abſinthites nimis pueris ingratus, & abominabilis eſt) vel electarij diamoſchi dulcis ʒ. j. per ſe aut cum pauco lacte, vel pulueris ſequentis ʒ ß. cum lacte mane ſuggerendi.

℞. corall. rub. fragmentor. ſapphiri & hyacinth. raſur. eboris, cornu ceruini ana ʒ. ß. ſeminis aniſi, nucis moſchat. & cinnamomi ana ℈. j. moſchi optimi gr. iij. ambræ griſeæ gr. ij. panis ſacchar. pondus duplum, fiat puluis. Foris autem roborabuntur tum fotu ex vippa vino generoſo calidoque merſa & ſimili puluere aſperſa, cui maſtiches pars tertia admixta ſit, tum litu ex oleo maſtichino, nardino, abſinthino & muſcatellino, cum cera alba, tum vnguento ex eorundem oleorum ℥. iiij. pulueris præſcripti ℥. ß. & maſtich. ʒ. ij. tum denique emplaſtro à ſterni cuſpide ad vmbilicum demiſſo, vt

℞. ol. myrtini & abſinth. ana ℥. ij. pulueris maſtich. & ladani ana ʒ. ij. benioini, nucis moſchatæ ana ʒ. ß. galliæ moſchatæ ℈. iiij. cum cera alba fiat emplaſtrum. Cerebrum denique per cucuphas puluere cephalico farctas & ſuffitũ ſimilẽ roborabitur.

℞. rad. & ſeminis pœoniæ & coriandri præparati ana ℥. ß. ſpicæ nardi, calami aromat. ſchœnanth. ſandal. citrini, baccar. alcherm. ana ʒ. ij. nucis moſchat. macis galliæ vel aliptæ moſch. ana ʒ. j. fiat puluis, excipiatur pauco goſſipio & ſerico rubro interſutis, fiãtque cucuphæ duæ: vna noctu, altera diu geſtetur.

℞. eiuſdem puluer. ℥. ij. excipiantur terebinthina.

ad ſuf-

ad suffitum operimentorum capitis, totius cubiculi & cunarum mane & vesperi.

De tussi infantium.

TVssis symptoma est morbi organici, nẽpe obstructionis fistularum asperæ arteriæ in pulmonibus, à qua expultrix thoracis facultas vehementi constrictione & expiratione commouetur, hæcque tussis est. Inducitur à pituitę tenuis & aquosæ, vel crassæ lentæque destillatione, infantibus familiarissima ob humidiorem eorundẽ constitutionem, maximè verò cerebri, excrementitiam pituitam deorsum præcipitantis, quocumque frigoris caloris dolorisue motu aut insitę grauitatis. Duplex igitur tussis est, vna à tenui destillatione molestissima & frequentissima: sed tamen inanis & arida est, qua nihil aut parum admodum aquosi liquoris extruditur: altera à destillatione crassæ lentæque pituitæ bronchiis fistularum pulmonis inhærescente, à quibus ægerrimè magnaque contentione euellitur. Tollenda igitur tussis est quæ à destillatione pituitæ crassioris est reuulsione, deriuatione, & vacuatione. Reuulsio multiplex est tum per leues corporum puerilium frictiones, deorsum à ceruice ductas: tum per ventris frequentem resolutionem, si constitit, subditis glandibus mitioribus vt ex vitello oui cum salis momento, vel ex laridi salsi frustulo, aut ex betæ radice, aut ex melle cocto fictoque instar candelæ. Clyster quoque tergens molliensque vtiliter subiiciatur. Exempli gratia.

℞. hord. integ. furfuris valde macri, flor. chamæm.

& meliloti an. pug.j. caricas num.2. seminis anisi ʒ.j. coquantur & in colat.℥.iiij. dissolue mellis rosati col.& sacchari rubri ana ℥.j. vitellum oui vnius, fiat clyster.

Quoniam verò descendentis è cerebro humoris portio in ventriculum rapi solet, vomitio eius immisso digito ad radicem linguæ cõmodè cietur, sicuti purgatio ex mell.rosa. aliisve lenissimis medicamentis nuper expositis. liberato enim à pituita crassa & flatuosa ventriculo, tunc facilior spiratio est, & destillationis à thorace translatio reuulsioque promptior.

Reuulsioni deriuatio mox coniungenda est quæ ab intimis capitis partibus ad extimas, destillationis materiam remouet, vt per leues cucurbitulas ceruici & scapulis affigendas, per emplastra epispastica sincipiti & occipiti, rasis capillis imponenda, per phœnigmos ceruici & scapulis affigendos, si forte tussiendi labor immodicus & strangulatus metus puerulum exerceat: denique per sternutationes leues, immissa in nares festuca aut linteolo instar pyramidis torto, incitatas. Vltima est vacuatio impactæ bronchiis pituitæ, quæ tum demum fœlicior est, cum eiusdem crassities, lentor & contumacia probe subacta fuerit, attenuata, detersa, medicamentis internis, mediæ præsertim consistentiæ, qualis est syrupi & eclegmatis: nam duriorem abhorreat tenella ætas.

Exempla remediorum.

℞. mell.albiss.butyri recentis & panis sacch.ana pares portiones, fiat pasta.

℞. olei amygd. dulcium sine igne recens expressi, &

si,& sacchari candi puluerisati ana pares portiones. fiat lood.

℞.syr.capill.vener.℥.iij. saccha. candi ℥.ß. pulu. liquiritiæ,pulpæ pistaciorum & amygd.dulc.ana ʒ. ij.pulu.elect.diaireos simpl.ʒ.iij.fiat lood.

℞.hord.mund.flor.viol.ana pug.j.passul. exacinatarum,nucleorum pini lotorum,pistaciorum ana par.x. caricar. paria iij. summitatum hyssopi & satureiæ ana m.j. decoquantur: cape de colatura ℔.j. mell.opt.℥.iiij. recoquantur diligenter despumando in iulepi formam. Interea dum pituita intus oppugnatur, foris quoque mitigabitur, si pectus totum laxantibus pepticis & diaphoreticis muniatur, vt

℞.ol.amygd.dulc. liliacei, cheirini,iasminini & chamæmelini ana quantum volueris, fiat embrochatio: addita cera noua fiat linimentum, ex quo per idoneorum puluerum accessionem efficacissimum vnguentum concinnabitur.

℞.ol.amyg.dul. liliacei & keirini ana ʒ.ij.butyri recent.axungiæ recētis gallinæ vel cuniculi, & medullæ cruris vitulini vel veruecini ana ℥.j.rad.iridis florent.℥.ij.croci ʒ.ß.ceræ nouæ q.s.fiat vnguentū.

Litum quoque plantarum pedum, ex oleis calidioribus, vt laurino, rutaceo, costino, anethino, medicorum plerique celebrarunt, eorumque facultates à partibus istis nerueis & membraneis in cerebrum ob sympathiam generis transmitti putarunt. Altera tussis species à destillatione tenuium & aquosorum cerebri excrementorum iisdem reuulsionum & deriuationum differētiis anticipatur, sed vacuationis apparatus est diuersus per incrassātia eclegmata, & syrupos, à quibus etiam fluxionis

celeritas inhibeatur. Eiusmodi syru.sunt myrtinus, violac.iuiubinus,adiantinus,saccharum penidiatum & hypoglottides. vel

℞. trium florum communium & hord. mund. ana pug.j. iuiub. & baccarum loti arboris ana ℥.ij, seminis bombacis vel maluæ ʒ.j. coquantur, & in colatur.℔.ß.dissolue sacchari penidiati ℥.iiij.recoquantur in syrupum. Item

℞.looth.sani & experti ℥.iiij. sacchari penidiati ℥.ß.puluer.electar.diatragacanthi frig.&amyli ana ʒ.ij.fiat looth.

℞.syr.de iuiubis ℥.iiij.facch.penidiati ℥.ij.pulu. electuar.diatragac.frig.& amyli ana ʒ.ij.fiat looth.

De vigiliis infantium.

SOmnus infantibus maxime secundum naturam est maiori temporis parte salubriter dormientium,sicuti senibus vigiliæ sunt familiares. Est quidem vtriusque cum secundum naturam est, anima effectrix causa natiuum calorem spiritumque aliàs ad cerebrum,neruos & musculos effundens, aliàs ad viscera & nutritionis instrumenta contrahens, vt hac motuum contrariorum vicissitudine caloris instaurata substantia sensibus motibusque & principibus mentis functionibus copiosè semper suppetat.

Humiditas infantium plurima ob temperiem ætatis huius humidissimam, lactisque materni consuetudinem, propensionem in somnum producit spiritu incrassato & calore veluti hebetato, viisque à crasso multoque vapore obsessis.Senilis contra ariditas, eadem omnia ad vigilias inclinat, promptioremque à præcordiis ad mentem caloris motum accelerat. Mediarum ætatum homi-

nes

nes quoad somnum & vigiliam ambigunt, pro recessu ab infantia maiori vel minori, & pro causarum externarum varietate: hyeme enim cœloque frigido & humido somni longiores, sicuti post laborem, ebrietatem & crapulam. Contrariis ex causis contractiores sunt.

Ergo sicuti somni nõnaturalis causa est humectatio & refrigeratio cerebri(illinc enim somnus longior, hinc profundior stupidiorq; est) sic vigiliarum immoderatarũ(moderatæ enim rectius nomine vigilantiæ desigñatur)causa effectrix est caliditas siccitasque cerebri idiopathica siue sympathica, & sẽsuum obiecta validiora præsertim dolorifica. Vigilię autem ab Hippocrate tanquã symptomata aliorum morborum hoc aphor. proponuntur, quorum priùs habenda cura est, tum demum vigilię coercẽdę: quamquam his etiam ante omnia occurrendum, cùm metus est ne celeriter vires inde labascant. Illæ enim vigiliis importunis & prolixioribus adultis etiam nedum infantibus concidunt; facie illa Hippocratica protinus succedente, palpebris demissis & conniuentibus, vixque sese attollentibus pulsu chordulæ extensæ instar duro. Quapropter affectib. earum authoribus mature succurrendum est, vtputa, cum à frigore ortæ sunt, puerulorũ & linteolorũ ad ignem calfactione: cùm à dolore lumbricorum, nece eorundẽ & expulsione postea exponẽda (quãquam somnus verminosis sæpe frequentior.) Si à destillatione, tussi aut vomitione, methodo ante exposita placantur. Si ab oppressione stomachi multique lactis crassiue crudi & indomiti ingluuie, sedantur inedia auctaque exercitatione, & ventriculo foris roborato aut prius etiam vomitione

exonerato. Quare rarius parciusque lactabitur infans: atque interim nutricis vlnis gestandus sinuque fouendus est, & ante lactationem in cunis multum agitandus. Regio quoque ventriculi oleo modice calido & astringente riganda est, vt mistichino, nardino, absinth. muscatellino & de mentha: cotone etiam & linteolis eodem oleo insuccatis post rigationem munienda est. Quæ à fame & siti vrgent, lacte vberiori alterius nutricis conquiescunt: inopia autem detegitur ex parco, duro, ærumnoso, luctuoso nutricis victu, amoribus & vigiliis, ex mammarũ insolita attenuatione, & mollitie, ex mensium denique fluxu immodico & graui aliqua diarrhœa aut ęgritudine recenti. Quæ à colico dolore sæuiente molestæ sunt, siue dolor hic ex perfrigeratione, siue ex destillatione pituitosa capitis, siue ex cruditate ventriculi flatibus suscitatis & intestinum immaniter distrahentibus commotus sit, cum dolore colico eiusq; ablatis causis simul sedâtur. Itaq; nutrix in primis victu calido siccoq; & attenuante alenda est: dolor autem infantis quamprimum leniendus est remediis laxantibus flatusque crassos dissipantibus, tum summittendis tum admouendis tum denique assumendis. Sumittenda quidem sunt balanus acrior mixto sale trito cum melle cocto, clyster duplex, prior molliens & eccoproticus si stercore duro oppressum sit intestinum, posterior anodynus & digerens. Ille ergo constet communis decocti ℔ ß in quam mell. rosati colati, butyri recentis, axungiæ recentis vel cuniculi vel gallinæ ana ℥ j olei liliorum vel chamæmel. ℥ ij soluantur. Posterior huiusmodi sit.

℞ foliorum maluæ, violar. puleg. orig. calami-

calamithæ, rutæ an. m. j. ſeminis lini & cumini ana quart. j florum chamæmeli, melilot. anethi, baccar. lauri & iuniper. contuſarum ana p. j coquantur & in colaturæ ℔ ß diſſolue mell. anthoſ. & ol. rutacei ana q. ß vitellos ouorum duorum fiat clyſter qui iniiciatur.

Admouenda ſunt fotus & vnctiones ventris. Illi conſtabunt decocto præſcripto aut ſimili, cui vini generoſi pars tertia poſt finitam coctionem addatur, indeque totus venter pueruli calidè foueatur filtris aut ſpongiis imbutis expreſſiſque, vel filo cannabino lanaque ſuccida in idem decoctum merſis, vel veſicis ſuillis eodem impletis, vnctiones autem ex ſimili oleo fiant.

℞ ol. communis & vini generoſi an. ℔ ß puluer. ſeminis rutæ cumini ſtincos carui, cinnamomi, caryophyllorum zinzib. an. ℥ j radicum cyperi, galang. baccar. lauri & iuniperi an. ℥ ij coquantur ad vini conſumptionem, & expreſſum oleum ad perfuſionem ventris poſt fotum recondatur, moxque venter pauco goſſipio eodem oleo imbuto tegatur. Simile eſt rutaceum, coſtinum, terebinthinum, laurinum.

Aſſumenda eiuſmodi erunt. ℞ theriacæ vel mithridatij vetuſtiſſimi ℥ ß quæ pauco lacte diſſoluta propinetur.

℞ puluer. teſtarum amygd. amar. corall. rubr. & cinnam. ana ℥ j. nucis moſch. ℥ ß croci gr. vj detur ℈ j vel ℥ ß cũ lacte nutricis ex cochleari. Puluis hic flatuum materiam conſumit abſorbendo digerendoque. ℞ ol. amygd. recent. ℥ j detur ex cochleari, hoc vere anodynum eſt.

Vigiliæ denique à febre inductæ cum ipſius cauſis

deleri solent. Ergo febris à dentitione non nisi præuia doloris lenitione dentisque eruptione desinit.

Curatio febrium puerilium.

QVæ à putredine cacochymiæ est, aut lactis vel cibi alicuius in ventriculo corruptione accensa est, siue in continuarum siue in intermittentium genere, diætam nutricis frigidam humidamq; insinuat abdicato vini potu omniũq; salsamẽtorũ & aromatum vsu: tum purgationem cacochymiæ eius ex qua vitiosum nutricis lac congestum est. Eodem tempore omnis cacochymia putris & corruptela è ventriculo infantis primisque viis excludenda est. Primum igitur si aluus pigrior sit, mollis clyster aut balanus mitior indatur, tum demum mammæ dilutæ aut rhei infusi aut syr. rosf. laxantis aut mell. rosf. col. descriptæ antea doses paulo post lactationem exhibeantur: deinde febrilis calor internis externisque remediis temperetur. Ex illis iusculum sit herbis frigidis incoctis, vel earum loco mali limonij aut arancij pauco succo alteratum, & inter lactationis interualla ex cochleari exhibitum: syrupus etiam violac. adiantinus, Alexandrinus vel per se cochleari, vel cum pauca aqua graminis & acetosæ, iulepi specie multum conferat. Similis quoque erit hic iulepus.

℞ aquarum stillat. rosar. acetos. borrag. & mali limonij ana ℥ j facch. quart. j fiat iulepus pariter exhibendus. Externa sunt topica refrigerantia & humectantia viscerum regioni

cordis

cordis & hepatis totique spinæ frequenter impingenda : quibus tamen modica astrictio roboris viscerum causa, iungenda est, sine vlla tamen viscositate, ne transpiratio cohibeatur poris obductis. Ideoque ab horum topicorum catalogo conseruas vt ros.borr. &c. quę solidioribus epithematis ascribuntur, merito ob sacchari viscosum lentorem arceamus.

℞ mucilag. seminis psyllij extractæ cum aqua nenuphar. ℥ iij cerę albę parum, fiat linimentum applicandum toti spinę cum pauco aceto albo. Similis est facultas & vsus vnguenti refrigerantis Gal. & vnguenti populeonis.

℞ aq.ros.acetos. nenuph. endiu. an. ℥ iiij aceti albi ℥ ij pulueris elect.triasand. & diamarg. frig. an. ʒ ij trochiscorum de caphura ʒ iij sand. alb. rubrique & granorum alchermes ana ℈ iiij fiat epithema inducendum regioni cordis & hepatis ex pāno coccineo imbuto, idq; vigente accessione.

℞ ol. viol. & nenuph. an. ℥ ij trochiscor. de caphura ʒ ij seminis acetosæ ʒj puluer.elect.diamarg. frigidi & triasandali ana ʒ ß ceræ albæ parum, fiat vnguentum post epithematis vsum applicandum. Simile est vnguentum rosat. & ceratum sandalinum cum succo cichorij vel aceto decies lotum.

Topicorum mistorum refrigerantium loco, vocantur aliquando in vsum remedia illa quæ leui blandoque calore vigent: à quibus laxata cute, febrilium vaporum quorum magna vis ex subiectis visceribus hepate & corde, magnaque vena & arteria exhalare solet, perspiratio inuetur, sicq; febris ex accidenti mitigetur, de quibus nostro libello de febribus. Eiusmodi sunt catelli, pipiones, pulli, aliaq;

animalcula toto collo & artubus exectis, per mediam spinam diuisa non tamen exenterata sed integra apposita. Talia quoque sunt viscera, vt hepar & pulmones maiorum animalium vt capreolorum, veruecum, agnorum, quę omnia tantisper ibi contineãtur, dum aut refrixisse aut putruisse cœperint. Pulueres cardiaci animalculis istis à quibusdã indi solẽt, quibus ego libenter abstineo, ne tenuitate sua cutis poros subeuntes vaporum effluuium supprimant. Alij hæc ipsa topica ex refrigerantiũ succo & hordeacea farina cataplasmatis instar cõcinnãt, cordisque & hepatis regioni apponunt. ℞. farinæ hordei non cribratę (sic enim magis tergens & digerens est) ℔ j. succi foliorum acetosæ, cichor. endiuiæ, portul. & olei violati ana q. s. fiat cataplasma istis regionibus super splenia inducendum &c.

Periapta & amuleta physica à classicis authoribus prodita quæ manifesta qualitate calida frigidave, vel mixta vaporem febrilem discutiunt, vel intemperiem ipsam obtundunt, de quibus multa libello nostro de febribus, equidem nõ refugiam, sicut nec magica nullaque vi elementarium qualitatum præstantia, penitus abhorream. Talia sunt pleraque verba barbara, aut aliud significantia, aut medicamenta etiam quædam. Sic personatæ herbæ foliis febrientem cinctum mirifice sanari testatus est Apuleius. Sic lactucæ syluestris leporinæ dictæ folia sub puluino ægrotantis condita certum aduersus febres remedium esse perhibetur.

Extraordinaria vigiliarum curatio.

DVm hac methodo extinguendis infantiũ febribus incumbit medicus, calamitosam vigiliarum

liarum importunitatē vincere interim ſtudebit ea medicatione, quæ vapores à capite reuellat aut ab eodem retūdat, aut certe obſtipatis viis intercipiat. Primi generis remedia ſunt lucis & ſtrepitus fuga, ſenſuum blanditiæ, vt ſuſurri, vox demiſſa, aquæ leniter fluentis vel guttatim ſtillantis garritus, cantilenæ ſuaues, molles frictiones brachiorum tibiarum pedumque. Secundi generis ſunt refrigeratio & humectatio leuior cerebri, tum per lotiones pedum manuūque inſtante ſomni hora, ex tepido refrigerātium decocto vt folior. lactuc. cannar. vitiū, plantag. ſalicis, & trium florū cōmuniū: per odoratum aquæ roſatæ nenuph. lactuc. cū granis aliquot caphuræ: per vapores naribus exceptos ex nodulo lineo repleto cotone qui imbutus ſit decocto ſeminis lactuc. papauer. albi, hyoſcyami albi: tum denique fronti & temporibus applicanda vnguenta ex adipe auſtrino cum lumbricis terrenis decoctis & tabefactis. Nam frontalia anacollemata dicta, & vnctiones frigidiores, vt ex oxyrrhodino, vnguento populeone, oleo mandragoræ, humidiſſimis maximeque catarrhoſis infantium corpuſculis ſunt valde noxia. Tertij generis ſunt tum iuſcula frigidis plantis alterata: tum ſyrupus violatus, adiantinus & nenupharinus vel per ſe vel ex aqua ſimplici propinatus: frigidiores autem vt de papauere diacodij, ſicuti & electarium requies puerulis nimis infenſa ſunt.

De pauoribus puerorum.

PAuores infantibus accidere ſolent ex ventriculi ſympathia, maxime vero ſtomachi cuius eſt ſēſus exquiſitiſſimus, vel à multo lacte oppreſſi, vel

à vitiosis & malignis humoribus ex corrupto lacte vellicati. Ab isto enim doloris sensu imaginationes terrificas sicuti ex morsu punctuque vermium concitari constat: sed & ex ascendentibus in cerebrum vaporibus caliginosis melancholicorum humorum circa præcordia stabulantium, horrenda spectra effingi solent, iisque non solum somnus turbatur: sed pueri quoque cum magna vociferatione, eiulatu & lachrymis excitantur, sicuti cõtra à sanguinis vaporibus incalescens puerorũ mens exhilaratur, vnde in risum & cachinnum effunduntur. Pauores autem illi falsaque horrendorum spectrorum terriculamenta pueris non tantum dormientibus sed vigilantibus etiam obrepunt, ob imaginatricis eorum facultatis vim maximã, nullo rationis quæ nondum adest imperio compressæ. Hoc ipsum in adultis per somnũ tantum feriante ratione clarissime elucet ex nocturnis eorum ambulationibus iurgiis loquutionibus disputationibus. In vtrisque certe illa brutorum imaginationi similis est, cuius solo impetu sine ratione vlla aut causa manifesta calcitrare, saltare ipsa & cursitare videmus. Cum autem insomnia corporum humorumque cõstitutionem aut sensuum negotiationem diurnã sequãtur, illud quidẽ primũ eorum genus omni ætati nõ solum infantiæ commune est: hoc adultorum proprium est, quartoque tantum aut quinto ætatis anno incipit, cum rationis vis maior, rerumque sensibus perceptarũ cognitio perfectior est, quarũ idolis per somnum imaginatrix facultas pulsatur. Curantur pauores mutata nutricis diæta in euchymam & attenuantem, atque purgatione eius cacochymiæ, cuius species perspecta fuerit ex temperie, æta-

ætate,morib.,cõsuetudine,colore & habitu:deinde oppressio stomachi puerilis liberanda est redundãtis lactis & alimenti prouitata vomitione, digito vel penna oleo illita & in fauces inserta: tum lactis parcimonia & raritate, & retardato post lactationem somno supra horam consuetam:tum denique aucta ante lactationem exercitatione vt gestatione in vlnis,& in cunis agitatione lõgiori maiorique. Quod si à vitiosis humoribus vt pote pituitosis melancholicis atrabilariis ista puerorum terriculamenta orta sint,illi ex præcordiis infantiũ expellendi abstergendique erunt formulis purgantium antea sæpe propositis. Vermes denique si certa coniectura deprehensi sint,necandi & expellendi vt postea docebitur.

De humiditate aurium.

PVerorum corpora recens natorum tam humida molliaque sunt, vt ipsa eorundem ossa quæ adultorum durissima propeque lapidea sunt,veluti cerea sentiantur. Omnium autem partium cerebrũ per se humidissimũ est non tam prohibendæ inflãmationis causa,in quam ob perpetuos cogitationũ & spirituũ motus aliter pronum fuisset,vt opinatus est Auicennas,quàm,vt alij meliùs, ardoris eorundem temperandi gratiâ,à quo tanquam ab ebrietate principes mentis functiones omnes perturbari aliter contigisset. Itaque cerebrũ ipsum tum per se propriaque natura humidissimum, tum ob eximiã molem & alimenti necessitatem, & subiectorum viscerum assiduam expirationem multis circumfluere excremẽtis solet,serosis & pituitosis,in pueritia præsertim ætatum humidissima,& humidissimo

plurimoque vtente lactis nutrimento: maxime vero si lac ipsum serosius crudiusque sit, nutrixque pituitosa & puerulus voracior. Prouectiorum enim cerebrum siccius est minusque excrementosum, nō ob temperamenti tantum, sed victus quoque siccitatem, & laborum vehementiam atque emunctionis & excreationis industriam. Est autem vacuandorum cerebri excrementorum meatus naturalis duplex: palati & narium: sed ille maxime secundum naturam est, nullique alteri vsui dicatus, per quem nō solum medij sinus, sed reliquorum etiam affluēs illuuies, nulloque obstante obice in os diffluit. Narium meatus odorum in cerebrum ferēdorum proprium receptaculum est, tantumque prioribus cerebri sinibus expurgandis subseruire potest; idque per angustissimas vias ossis cribriformis & processuum mamillarium. At aurium meatus excipiendis sonis mancipatus ab hoc vacuandarum cerebri sordium munere alienus est, tum quod neque vicinus directusque sit: neque ad intimas cerebri lacunas exhauriendas peruius, Ideoque excrementorum cerebri per hunc aurium meatum tanquā non conuenientem viam, tametsi à natura instituta vacuatio, ab Hippocrate tamen vt symptoma intemperatioris cerebri statuitur.

Hæc cerebri excrementorum per aures spontanea vacuatio tametsi symptomatica, non est tamen protinus prohibenda: sed tātisper sinenda dum totam cerebri colluuiem emiserit, ne ea importune suppressa epilepsia aut apoplexia infantem opprimat. Quocunque tamen tempore vlcerationis aut inflammationis periculum ex dolore imminere videbitur, (putrescere enim tandem solet pituitosa effluxio

effluxio)tunc cohiberi eam vacuationem decet,primum quidem nutricis victu contrario,id est calido siccoque & purgatione redundantis cacochymiæ pituitosæ: deinde mitioribus pueri vacuationibus, vt purgationibus ante expositis & particularibus: siue euidentibus, vt per phœnigmum collo & scapulis affigendum, & per vlcuscula in cute capitis vnguibus excitanda (hæc enim ætas ab errhinis & apophlegmatismis abhorret) siue obscuris, vt per fotum ex sacculo lineo milio torrefacto plenum & appositum toti capiti pluribus matutinis.

Postremo topicis aurium meatus sedulo tergendus siccandusque est eiusmodi formulis.

℞. succi agrim.& absinth. ana ℥.iiij. vini albi & mell.rosat. colat. ana ℥.j. bulliant leuiter, & deinceps instillentur sæpe, diu noctuque in aures, abstersis prius auriscalpio sordibus crassioribus: tum demum obturentur.

℞.vini albi ℥.iiij. mell.opt. ℥.j. bulliant simul, &c. vel eadem iniectio fiat ex aqua mulsa: postea linamenta melle rosato obducta intromittantur. Si tamen sordes contumaciùs hæreant, nonnihil vnguenti Ægyptiaci vt ℥.ß.præscriptis formulis dissoluendum erit.

Si dolor ab acri defluxu molestior sit, oleum ex vitellis ouorum mixto pauco melle infundatur, vel quod in mortario plumbeo tantisper verberetur dum nigrescat. Quod si iam vlceratio subesse sentiatur post detersionem præscriptam,epulotica validiora ob duriorem sicrioremque partis cartilagineam substantiam vsurpentur,Exempli gratia

℞.vini austeri ℔.ß.aluminis rochæ ℥.j. in hunc

liquorem gossipium vel lana mergantur sæpius, & ex iisdem ad solem siccatis limimenta fingantur, eademque hoc vnguento obducta intromittantur, bis interdiu.

℞ butyri recentis ℥ ij, scoriæ ferri decies infusæ in vino rubro siccatæque ℥ ß. agitentur simul in mortario plumbeo pistillo plumbeo diligenter, & vtatur vt dictum est.

℞ succi plantag. & solani ana ℥ iiij. tuthiæ præparatæ ℥ ß aluminis vsti, sanguinis draconis ana ℥ ij bulliant simul ad consumptionem ℥. ij & fiat iniectio.

Denique, si vehementissimus à phlegmone interna, & acri fluxu sine erosione tamē & vlcere dolor excruciet, hic primum demulcendus est iniecto in meatum auris liquore ex oui albumine recentis, aqua rosarum & lacte muliebri diutius simul agitatis, vel ex albumine oui recentis cum rosaceo legitimo diligenter subacto, vel ex rosaceo cum tantillo aceti & caphuræ, vt

℞ olei rosati ℥ j aceti rosati ʒ ij leniter bulliant, deinde adde caphuræ gran. iij. Mucilago seminis psyllij & cydoniorum extracta ex aqua rosarum, per se & prædictis mixta prodest plurimum. Lenito leuiter dolore, lenientia & peptica foris circa auriculas & auris ambitum vsurpentur, vt ex mucilagine, seminis altheæ, maluæ, lini, fœnugræ. extracta ex decocto florum chamæm. melilot. & ficuum ad ℥ iiij butyri recentis, axungiæ gallinæ & anseris ana ℥ j axungiæ porci sine sale ℥ ij. croci ʒ. j. iridis flor. ℥ ß olei liliorum & chamæmel. ana q. s. fiat vnguentum. Nusquam autem narcotica acerbissimis puerorum doloribus conuenient

ob mollitiem corporum puerilium, maxime alterabilem: hinc enim veternosi aut carotici euadunt (tametsi ab adultioribus impune fortasse sustineantur) vt si philonij Romani ʒ ij olei rosati ℥ ij diluantur & instillentur. Interea autem dum leniendo dolori & coquendæ phlegmonæ medicus studebit, molles clysteres & lenissimas purgatiunculas non omiserit.

De vmbilici inflammatione.

VMbilicus Latinis, ὀμφαλὸς Græcis pars est organica vasis vmbilicalibus constans, binis scilicet arteriis totidemque venis & vracho. Tumor eiusdem partis pręter naturā exomphalos dicitur, cuius multiplices ex causarum coniunctarum varietate differentiæ distinguuntur nomine imposito à materia quæ tumorem excitat & ab ipsa parte, sic ἐντερόμφαλος dicitur ab intestino, epiplomphalos ab epiploo per ruptum peritonæum finesque nerueos epigastrii musculorum diuulsos in vmbilicum elapso, αἱματόμφαλος à sanguine venoso vel arterioso, eoque vel rupta vena & arteria, vel alterutra vel vtraque dehiscente & reclusa ob indecentem eorum vasorum nexum. sic hydromphalos ab aqua, πνευματόμφαλος à flatu concluso, sarcomphalos à carne subnata, ἀποστόμφαλος ab abscessu.

Differentiarum omnium propria signa sunt. Nam ab intestino & epiploo tumor resupinato corpore subsidet: erecto verò & stante attollitur, estque mollis & inæqualis: sed magis ab intestino à quo etiam digitorum impulsu rugitus auditur.

Eſt quoque vtroque concolor & indolens. Reliqui tumores ſunt perpetui: à carne quidem durior & liuidus: à ſanguine mollior & liuidior: à flatu diffugiens præ tactu, & confeſtim recurrens: à ſero diffugiens quidem, ſed tardius recurrens: Abſceſſus ſpecies propriis ſignis dignoſcitur. Porro quæ ex his differentiis tumorum vmbilici curabiles ſunt, curantur vt enteroceles ſpecies ipſis affines, quæ curatio paulo poſt explicab.tur. Inflammatio quidem vmbilici accidere ſolet male præciſis ſecundinis vel colligatis indecenter ab obſtetrice vaſis vmbilicalibus, ideoque ad partem dolentem affluente ſanguine neque repreſſo, phlegmone cogitur. Itaque præſcripto nutricis victu frigido humidoque topica imponantur modice aſtringentia & frigida, vt

℞.ol.roſa.vel myrtini ℥.ij.albumẽ oui vnius, ceruſ.lotæ ʒ.ij.miſce diligenter & applicetur: vel etiã ouum integrum, id eſt, albumen cum vitello commixtũ: vel fiat embrochatio ex oleo roſato admixto pauco aceto vel ſucco plantaginis. In augmento addes olei irini, vel anethini parem portionem cum roſaceo (detracta ceruſa) vel

℞.ol.myrtini & roſ. ana ℥.j. farinæ fabar. & lini an.ʒ.ij.ceruſæ ℈.iiij.ceræ nouę parũ, miſce & applicentur continuando, donec totus tumor ſubſederit diſſoluta materia. Licebit tamẽ in ſtatu olei chamę. & anethini par pondus cum roſaceo miſcere, & ceruſam detrahere. Quod ſi in abſceſſum mutetur ſuppurabilem, tunc pepticis erit vtendum.

De dentitionis ſymptomatis.

DEntitio, dentium eruptio eſt ex ſuis alueolis, aliquando

aliquando etiam totum eruptionis eorum ſpatium. Dentes autem oſſeæ partes ſunt maſticationi dicatæ. Latinis ab edendo dentes: Græcis ἀπὸ τοῦ ἔδειν, ὀδόντες dicuntur. Partium oſſearum naturam dentibus vendicat, ſubſtantiæ eorundem durities, albedo, temperies frigida ſiccaque, & inſenſibilitas. Durities quidem maior eſt quàm cæterorum oſſium. Itaque exerti intemperiem aeris & potionis impunè ferunt, cùm alia oſſa detecta nigreſcant, liueſcant & cariem ducant: dentes quoque ferri aciem & ignis vim cum reſpuant, ſola tamen irrigatione deſtillationum cerebri humidioris & ventriculi impurioris expiratione corrumpuntur, quòd videlicet naturæ eorum aduerſiſſima ſit humiditas. Sic duriſſimi lapides flatibus auſtrinis expoſiti fiunt carioſi. Albedo quoque dentium maior eſt hominibus quàm reliquis animalibus, ſanis præſertim viſceribus & victu temperanti vtentibus. Eius tamen gratia perire ſolet ingraueſcente ætate, ſicuti in reliquis animalibus, exceptis equis. Frigidior quoque eſt dentium quàm aliorum oſſium temperies: neque tamen à frigore mediocri, ſiue actuali ſiue potentiali tam celeriter lædi ſolent, ob inſignem ſubſtantiæ ipſorum denſitatem, & intemperierum aeris & potionis conſuetudinem: quin potius eo conſeruantur per crebram lotionem aquæ mediocriter frigidæ, aut vini. Verumtamen ab exuperanti tandem frigore inſigniter læduntur ob extinctionem exigui admodum ipſorum caloris. Senſus denique dentium proprius nullus eſt, ſicuti nec aliorum oſſium, quorum omnium ſecuritati contra cauſarum externarum impetum, abdito ſitu,

carnis tegumento & substantiæ duritie consuluit natura, neque sentire ea voluit ne corporis totius vectura illis molesta esset, sicuti neque dentes, ne mutuus per mansum attritus esset ipsis dolorificus. Dolor itaque circa dentem dentis non est, sed nerui proprius radicem eius cum vena & arteria subeuntis exiguo foramine, aut partium vicinarum vt periostij & gingiuarum. Itaque euulso dente dolor eiusdem cessat vacuata scilicet doloris materia aut diuulso neruulo. Pulsatio quoque est arteriolæ neruum venamque comitantis & ferientis in radice dentis vbi inflammata est: ab eodem neruulo sentitur vehementior alteratio dentis ad quem per poros directos peruenit. Nôn sentitur autem limatura aut fractura eius quæ neruo non adigitur. Sic ergo dentes ossa esse constat à quibus etiam in multis dissident: tum quòd non videantur cum aliis ossibus oriri in prima conformatione: tum quod eorum incrementum perpetuum sit (multis tamen mutuo attritu consumuntur & conficiuntur) aliorum verò ossium desinat ad vigesimum quintum annum: tum quod excidere & renasci putentur: tum quod vt reliqua non crementur: tum denique quod omni medulla & pinguedine careant quia durissima, ideoque à canibus sicuti alia non roduntur.

Dentium procreatrices causæ sunt quatuor(omnium naturalium instar.)finalis triplex: Masticatio & comminutio ciborum solidorum: distinctio sermonis & vocis articulatio: discrimen saporum vna cum lingua & palato. Falsus enim est & brutorum tantum proprius armorum vsus dentibus humanis

attributus

attributus. Triplex illa dentis vtilitas tanti veteribus Belgis æstimata est vt in templo Æsculapij ὀδοντάγωγον plumbeum appenderent, significantes non esse euellendos dentes nisi tam vacillantes cariosos & corruptos vt hærere suis sedibus amplius non possent.

Formalis causa est anima qua generantur simul cum reliquis ossibus, aluntur augenturque. Materialis causa duplex est, Vna veris dentibus omnibus communis, semen scilicet, ex quo in vtero cum reliquis partibus omnium finguntur rudimenta, sicuti & brutis omnibus: sed iis in ortu manifesta: homini sæpius obscura & in alueolis sub gingiua tegente latitantia, cuius rei caussa est discrimen temperamenti quod in brutis siccius, in hominibus humidius est, vnde horum dentes non nisi probe siccata ante ipsorum substantia peruadere gingiuam nequeunt.

Altera materia epiphysibus dentium anteriorum propria est ab excremento viscido tertiæ coctionis adhærescente siccatoque. Itaque epiphyses illæ excluduntur sine vllis radicibus, quæ veris dentibus accedunt: de his igitur epiphysibus audiendus est Hipp. lib. de carnibus cùm ait, In vtero dentes ex menstruo, extra vterum lactentibus ex lactis calidiori & sicciori portione, ablactatis ex ciborum solidorum materia vesci..

Caussa efficiens calor natiuus est, conformationis nutritionis accretionis, vt & reliquarum partium author, cuius varietas dentium exortum in diuersis pueris variare solet, vt citius tardiusue pro eius modo emergant. Quinetiam accretio

perpetua est dentium ob ipsorum vsus necessitatem, ne mutuo conflictu ante animalis interitum deterantur prorsusque exolescant. Differentiæ dentium tres notantur ex officij, figuræ & compositionis varietate. Prima est octo incisorum qui Gręcis τομεῖς & γελασινοί, Latinis primores dicũtur, quod inter ridendum diductis labris appareant. Secunda est caninorum quatuor: κυνόδοντες Græcis dicuntur, comminuendis frangendisque durioribus cibis destinati: alij vocant ocularios quod oculis è regione respondeant: sed tamen sine vlla inter se peculiari sympathia imperito vulgo leuius credita & decantata. Tertia est molarium, viginti vt plurimùm, qui ita dicuntur, quod cibos molant & alterent, quò faciliùs in ventriculo concoquantur. Singulæ differentiæ congruam muneri suo figuram sortitæ sunt: incisores quidem latam basim & extremitatẽ tenuem: canini basim quoque latam sed extremitatem acutam: molares superficiem latam sed asperam & inæqualem. Denique compositio varia singularum differentiarum est. Nam incisores vna radice præditi sunt, vt & canini, longiore tamen multo & robustiore. Ex molaribus superiores radicibus tribus sępius, aliquando etiam quatuor: inferiores sæpius duabus, & aliquando tribus nituntur.

Hæc varietas figuræ dentium homines decuit, ad maiorem sanguinis & spirituum elaborationem principibus humanæ mentis functionibus seruientium, cùm alioqui reliqua animalia vnam dentium figuram sortita sint. Numerus dentium est triginta duorum vt plurimum vtrique humano sexui: molares tamen aliquando pauciores

sunt

ſunt,duoque deſunt vtrique maxillæ ob earum breuitatem.Rariſſimum exemplum olim legitur vnius dentis toti gingiuæ æqualis vt Pruſiæ regis filio. Dentes quidem veri omnes ſimul generantur,non ſimul emergunt & extant: Inciſores enim vel potius eorum epiphyſes quinto aut ſeptimo fere menſe: canini nono, decimo aut duodecimo:molares tres vtrinque primo biennio : reliqui omnes ſeptenario primo annorum , exceptis vltimis in vnaquaque maxilla duobus , qui genuini latinè, Græcè σωφρονισῆρες, id eſt ſapientiæ dentes vocantur , quorum ortus eſſe ſolet tertio ætatis annorum ſeptenario , aliquando triceſimo aut quadrageſimo anno, aut etiam tardiores vt centeſimo Zancli cuidam Samothracio. Rari ſunt caſus dentatorum naſcentium ſemperque inauſpicati ominis in fœminis, auſpicati & fortunati in hominibus crediti ſunt. Locus alueoli ſunt in maxilla vtraque quibus per gomphoſim infixi , vel pendent , vel inſident, iiſque tam arcte cohærent , vt ſæpe vnà auellantur magna interim hæmorrhagia. Atque cohæſio hæc ligamento radices dentium cum vaſis ſubeunte confirmatur.

Eſt igitur dentitio tum eruptionis dentium totum ſpatium,tum ipſe exitus ex gingiua,quæ cum naturalis ſit morbum tamen duplicem infert: ſolutionem continuitatis gingiuarum & inflammationem earundem ex ſpiritu & ſanguine præ dolore illectis. Symptomata ſunt grauiſſima ab Hippocrate aphoriſm. 25. propoſita ſectione tertia, vt pruritus gingiuarum , qui mediocris do-

lor est incipientem dentium eruptionem, primamque in obuiam gingiuam incursionem comitatus: dolor vehemens, dente iam gingiuam perrumpente, configente & diuellente, moxque exituro foras; vehementior tamen est caninis acutis & rotundis erumpentibus, eo quòd velocius gingiuam penetrant, minor est ex molaribus, ob lentum magis eorum exitum, qui tamen maior est quam incisorum. Proponitur tertio febris orta ex dolore, vigiliis & inflammatione gingiuarum. Quarto conuulsio, vel ex sympathia cerebri cum dolente proximo dentis neruulo, vel ex defluente aquosa pituita ab eodem, quæ à febre liquata sit, vnde etiam tusses graues, dyspnœæ, asthmata: commouentur appetitis fluxu thoracis partibus. Meminit & diarrhœas, quæ nascitur vel ex copiosa lactatione ob sitim, lactisque per febres corruptione, vel ex auctione excrementorum cerebri. Istis Hippocraticis dentitionis symptomatis, hæc quoque iungenda sunt: eiulatus, vigiliæ, somnus subitis clamoribus interturbatus, præ dolore: papillarum constrictio frequensque morsus ob doloris impatientiam: sitis orisque incendium, pręinflammatione gingiuarum, ex qua etiam saliuatio multa, attracto à gingiuis inflammatis sero, manuum ad os delatione crebra, aphtæ denique ex seri acrimonia.

Prognosticum est ex libro Hippocratis de dentitione, primùm quod ea per hyemem tutior sit à dolore aliisque symptomatis grauibus, quàm æstate, qua humores sunt acriores. Alij tamen contra

tra gingiuarum ſubſtantiam hyeme duriorem, & conſolidationem difficiliorem; ideoque dolorem vehementiorem dentitionis: ſed vere citiſſimam minimumque moleſtam eſſe putant. Secundum eſt quod dentitio cum diarrhœa à conuulſione tutior eſt, ſicuti quæ cum febre acuta eſt, à qua humores fluxuri liquatique digeruntur. Tertium eſt, quod dentitio cum tuſſi ſuperueniente tardior magiſque infeſta eſt. Quartum, quod dentitio obeſorum & ſomnolentorum puerorum magis eſt conuulſioni opportuna. Quintum, quòd conuulſio ex dentitione non eſt ſemper lethalis.

Curatio.

MOrbus hic (ſolutio continuitatis) curandus non eſt, cum naturæ motu excitetur: ſed ſymptomata tantum lenienda, & in primis dolor, ex quo reliqua defluunt: extinguenda quoque intemperies & phlogoſis doloris comes. Lenientia ſunt modicè calida humidaque gingiuam laxantia vt denti prodeunti facilius cedat. Talia ſunt oleum amygdalarum dulcium, liliaceum, violat. adipes hœdi, gallinarum, butyrum recens, vel lotum cum ſucco maluæ vel violæ, cerebrum cuniculi, leporis, hœdi, gallinarum vel illitum gingiuis vel manſum: lac nutricis aut caniculæ. Ex iis linimenta fiant, vt ex butyri & mellis paribus portionibus. Item medullæ oſſiculorum. In pedibus veruecinis eadem vis eſt. Phyſica ſunt remedia: dens apri, lupi, viperæ, vulpis, leonis, de collo pueri ſuſpenſus,

radix quoque syluestris colocynthidis, ex canali aureo vel argenteo suspensa. Item rubi radix, iaspis lapis de collo super stomachum gestatus. Item si infans equi rostrum basiarit dolorem dentium non sentit, sicuti qui lupi aut lupæ dentem dextrum circumferat.

De diarrhœa.

SEd enim eruptio ipsa dentium momentanea non est, vt eius dolores aliaque symptomata protinus conquiescant. Ideoque dum anodyna dolori febrique & vigiliis idonea opponuntur remedia, quæ paulo ante exposita sunt, diarrhœæ quoque occurrendum, vel potius lienteriæ, quæ dentitionem vt plurimum subsequitur, quæ diarrhœa vel à salsæ pituitę in ventriculū descensu prę dolore dentium est, velà corrupto per febrem lacte. Occurrendum inquam: primùm quidem post suppressum catarrhi impetum per topica quę capite de humiditatibus aurium proposita sunt deriuantia & vacuantia, deinde ventriculo à serosis & phlegmaticis excrementis expurgato per mellis rosat. colati ℥ ß vel puluer. rhabarb. cum lacte miscendi bibendique ℈ j vel ʒ ß vel per syrupi de cichor. compositi cum rhabarb. ℥ ß vel ʒ vj: postremo per eiusdem ventriculi & intestinorum astrictionem, leuem tamē & sine insigni caliditate, ne febris inde inualescat vehementius: foris quidem per litum ex oleo cydoniorum, lentiscino, mastichino & absinthino, addita ceræ albæ parte tertia: vel per vnguentum ex iisdem oleis & tertia parte pulueris santalorum omnium, rosarum, mastichis, seminis, corian-

coriandri & plantaginis. Tale est vnguentum comitissæ. Efficacissimum etiam est quod ex paribus portionibus mastichis, cerati stomachici & cydoniati inter se iunctis cum oleo absinthino concinnatur. Intus autem syrupi myrtini vel melini cochlear vnum sæpius iteratum, longè à lactatione aptissimũ est, sicuti puluis corall. rubei, cornu ceruini & terræ sigillatæ ad ℈ j cum lacte exhibitus. Quæ à lactis corruptela est diarrhœa, vel potius lienteria siue ob febrem adurentem, siue ob copiosam lactationem, siti febrili excitatam, ea quidem: sed omissa catarrhi suppressione iisdem remediis vacuantibus & astringentibus intus forisque comprimenda est. Circa dentitionem tamen præcipitanda ventris compressio non est, ne cruditas & cacochymia dolore & febre diutius perseuerante nimis multiplicata febrẽ ipsam ingeminet, putredine aucta, aut conuulsionem adsciscat cerebro neruisque affectis. Quæcunque autem causæ puerilem diarrhœam proferant, contrarius nutrici victus & modicè astringens decernendus est.

De procidentia ani.

IAm diarrhœam longam nimis, aut difficilem ani procidentia subsequitur. Ista verò vocatur intestini meatus inferior cohibendis & transmittendis suo tempore non tamen expellendis fæcibus destinatus.

Est enim eius intestini finis duobus instructus musculis, vno quidem circulari & rotundo, siue pari, per transuersum extremitati eius intestini

circumfusus, idque tam constanter occludens vt nihil intempestiue & præproperè ex illo excidat (ideoque σφιγκτῆρα ab astrictionis officio Græci vocant) donec premente copia vel acrimonia vellicante relaxetur ad transmissionem quidem non excretionem vt dictum est. Anus dicitur quasi vetula à rugarum senilium similitudine. Alter musculus tergeminus est, qui oblique supra sphinterem effusus anum sursum reuellit. Ille moribundis hiat animali facultate extincta: hic ex magna egerendi contentione & conatu per diarrhœam acrem præsertim, tantopere eneruatur vt anum prociduam & prolapsam relinquat, neque in locum suum reuocet aut retrahat: quanquam eadem prolapsio ex mollitie aliquando sola, sine prægressa diarrhœa accidit, infantibus & pueris magis quam senibus. Rarior causa est paralysis ex perfrigeratione immodica, siue ex natatione in frigida, siue sessione supra saxum frigidius. Hoc quoque modo vteri procidentia accidit sicuti & illo in partu difficili. Ergo procidentiam ani ex violenta per diarrhœam deiectione curat, primùm quidem blanda intestini per manum nutricis & indolens repositio. Quod si ex mora extra locum & refrigeratione ab aere extumuerit, tum primum fouenda est vino in quo coxerint folia saliuæ, origani, calaminthæ, summitat.laur.hederæ lauendulæ, semina anisi & fœniculi, ameos & carui, flores chamæm.anethi.

Reposita anus confirmanda est per astrictionem, tum musculi eius, tum membranarum quib. ossi sacro

ero lumbisque annectitur. Topicorum formæ sunt fotus, puluis, suffitus.

℞. foliorum saluiæ, plantag. tapsi barb. absinth. summitat. myrti & oleastri ana m. j. rosar. rubr. pug. j. balaust. nucum cupress. gallar. ana ℥ j. mastich. & seminis coriandri præparati, coquantur in aqua ferrata & vino rubro tortiuo: foueatur inde anus cum spongia. Fotum supplebit insessus in eadem materia.

℞. mastich. corticis thuris, nucum cupress. charabe, baccarum myrti & boli armenæ, balaustiorum ana ʒ ij. gallarum vstarum corall. rub. & seminis coriandri ana ʒ j. fiat puluis, qui à fotu aspergatur parti: firmius tamen hæreat oleo astringenti vt myrtino, lentiscino, aut mastichino iunctus.

Ex eodem puluere cui picis aridæ & resinæ colophoniæ pars tertia addita sit cum terebinthina, trochisci ad suffitum comparentur, quem per sellam perforatam excipiat.

Sin eadem ani laxitas ex mollitie partium earundem obtigerit, topicis prædictis præmittenda erit ventriculi & intestinorum leuior abstersio crassæ & viscidæ, vel aquosæ pituitæ ex melle rosat. aut rhabarb. puluerisati momento, aut certe per clysteres ex hydromelite.

Denique si à paralysi nerui in eum musculum inserti præ casu, ictu, refrigeratione, aut destillatione externa in regionem ossis sacri contigerit, tunc topica attrahētia & digerētia sunt adhibēda, qualia sunt oleum laurinum, costinum, de spica, terebinthinum, vnguenta quatuor calida vocata cum aqua vitæ diutius applicanda. Emplastra denique quale

eſt de baccis lauri : ſed hæc topica poſt fotum ſimili facultate conſtantem ex decocto florum anthos ſtæchados centaurii minoris baccarum lauri, iuniperi, foliorum hederæ, lauri, lauendulæ, ſaluiæ, verbenæ, polij montani.

De tarditate alui.

DIarrhœæ contrarius affectus eſt alui tarditas, ignauia, & ſuppreſſio: ſæpe quidem ex craſſiori ſicciorique lacte & melancholico: ſed aliquando etiam ex intemperie ſicca inteſtinorum ſiue natiua ſit, ſiue ex vicini hepatis ſympathia, cuius ardore fæces omnino exſiccentur. Lactis nutricis craſſities ſiccitaſque corrigatur multis iuſculis herbiſque incoctis humidioribus, vt beta, ſpinacio, lactuca, multaque potione vini dilutiſſimi vſuque copioſo fructuum recentium prima menſa aſſumptorum. Temperies autem inteſtinorum puerilium ſiccior poſt victum nutricis humidiorem lenientibus quoque remediis abigenda eſt, vt clyſteribus pinguioribus, ex decocto emollientium herbarum, multoque oleo vel butyro, aut medulla caſſiæ. A quacunque tamen cauſa hæc ſupreſſio fæcum inducta ſit, dum ſenſim prædictis remediis emendabitur, earumdem ſubductio ſollicitanda eſt acutioribus glandibus & melle ſæpe deglutiendo.

De conuulſione.

INter dentitionis ſymptomata, acerbiſſima eſt conuulſio: non ea quidem ab inanitione, ſed à repletione neruoſi generis; eius enim cauſæ prin-

principes sunt illæ duæ à seroso crudoque humore ex cerebro puerorum humidissimo per febrem liquato effusoque. Itaque pueris familiaris magis esse solet, qui pleno obesoque habitu & aluo tardiori sunt : obesitas enim & plenitudo habitus à voracitate est multique lactis ingluuie, sicuti alui durities & tarditas ab eiusdem non copia tantum: sed crassitie etiam vt potè pituitosi & melancholici, quod ægrius seriusque concoquitur. Ex ea enim voracitate aluique tarditate, & quotidianorum excrementorum excretionis raritate, serosorum humorum magna vis in cerebro ætatis causa humidissimo sensim congeritur, ex vaporum multitudine à lacte diutius morante eiusque excrementis: illi autem à febris calore liquati in neruos mollissimos alienique humoris capaces defluunt. Febris autem vehementia doloris qui dentitionem comitatur sæuitiæ respondet: præsertim in caninorum dentium egressu, ad nonum decimum & vndecimum mensem. Præcautio conuulsionis huius quæ ex vitio lactis est crassitie scilicet & copia, diætà nutricis constet attenuante magisque tenui maturè ante dentitionem præscripta : puerique quoque rariori parciorique lactatione : sed exercitatione crebriori per cunarum agitationem, gestationem in vlnis, somnoque contractiore, vtantur.

Sic enim tenuius parciusque lac facilius citiusque dum concoquitur, fæces sæpius prodeunt cum vaporibus in cerebrum aliter ascensuris, à quorum fluxu tutior est spina per febres.

Iam verò præsentis eiusdem & vrgentis con-

uulsionis curatio à doloris lenitione inchoanda est de qua satis multa antea, moxque ad fluētis humoris reuulsionem producenda per frictiones totius corporis, balanos & clysteres acriores, mitioresque purgationes, quorum omnium exempla antea sunt apposita. Reuulsioni deriuatio postremo iungenda est idque per errhina & apophlegmatismos, nisi contraindicaret puerilis imprudētia. Proinde vacuatio ista humoris ab occipite totaque spina & neruorum propaginibus molienda est per olea digerentia, forasque euocantia, partibus illis sicuti axillis inguinibus cæterisque articulis diligenter inducenda: qualia sunt anethinum, vulpinum, muscatellinum, laurinum & lumbricorum: deinde validiora, vt rutaceum, costinum, de spica, petroleum, terebinthinum, ex quibus etiam cum adipibus taxonis, gallinæ, anseris, paucisque aromatis mixtis, vt piperis cinnamomi zinziberis, castoreo: fiant linimenta applicanda cum aqua vitæ. Similis erit vnctio ex mithridatio & theriaca veteri, cum eadem aqua vitæ earundem partium, quæ tandem lana succida eodem oleo imbuta tegantur. Balneum denique naturale sulphureum, bituminosum, aut artificiosum simili facultate concinnatum profuturum est: sed omnia in puerulo modice vsurpanda.

Atque ita conuulsionis puerilis infantium dentientium therapeia ex Hippocratis sententia expedita videtur, de qua tamen subdubitare mihi contingit, num à nerui dentium radicem subeuntis phlegmone moueatur ob sympathiam cerebri vicinioris (sic enim sauciatorum vulneribus si ante tempus cohibeatur hæmorrhagia, conuulsio sequitur

tur

tur nerui inflammationem) Huic autem conuulſionis ſpeciei ſola lenitionis remedia comparanda ſunt antea capite proprio expoſita, niſi fortaſſe phlegmones doloriſque inuicta magnitudo & conuulſionis funeſtus cruciatus ad gingiuæ per ſcalpellum apertionem medicum cogat, ſicque crudele malum crudeli remedio depellatur, à quo tamen niſi certiſſima mors immineat, temperandum omnino eſt, ne à ſectionis dolore noua fluxio & phlegmone immedicabilis proritetur. Idem autem anodynorum ante expoſitorum genus non capitis tantum regioni, ſed ſpinæ etiam toti & articulis omnibus admouendum eſt, quibus locis nerui vaſaque à carne magis detecta nudaque ſunt: iiſdem deinde lana ſordida continuò imponatur.

De epilepſia.

CONuulſionis ſpecies quædam eſt epilepſia, nẽpe vniuerſalis & per interualla recurrens cum mentis ſenſuumque oblæſione. Hæc igitur quia nõ eſt perpetua non ſolum ab aliis tribus conuulſionis vniuerſalis ſpecieb⁹ differt tetano opiſthotono & emproſthotono: ſed & particularibus etiã brachiorum & crurum, ἀγκύλας vocant, tam rigidè extenſorum aut contractorum vt inflecti nullo modo queant, quodque in vtriſque mentis & ſenſus integritas perſiſtat.

Epilepſia varia ſortita nomina eſt, tum à ſymptomate: hinc enim morbus caducus vocatur quod ægri per inſultum & acceſſionem concidant: & epilepſia quod ſenſum mentemque protinus occupet & apprehendat: tum à loco: hinc comitialis,

eò quod in comitiis hominumque cœtu, vel ob terrorem si quid publicè exponendum est, vel ob habitus densitatem, quo liquata diffluat pituita, maxime inuadat, tum à causa efficiente; hinc lunaticus, vel quod motibus lunæ humores excrementitios variantis, vel quod qui interlunio nati sunt huic morbo sint obnoxij quo tempore scilicet cœli frigidioris nascentium capita percelluntur: tum à magnitudine, hinc sacer morbus: ἱερὸν enim apud Græcos magnum significat, & Herculeus quasi inexpugnabilis. Eodem sensu veteribus elephantiasis dicta aliquando est: tū ab iis qui hoc morbo sæpius ægrotare solent, hinc Hippocrati παιδίων νόσος pucrilis morbus dicitur. Est autem epilepsia alias verus cerebri affectus & idiopathia, aliàs affectio eiusdem ex sympathia. Illa obstructio quædam est dimidiata duorum cerebri sinuum postremi & medij, ab humore frigido, tum pituitoso, tum atrabilario: sed vtroque flatuoso in eodem cerebro collecto: hæc mordicatio quædam est & vellicatio à vapore acri, maligno & venenato, ex sympathia duplici: tum ventriculi ex lacte & alimentis corruptis & intestinorum vermibus: tum aliarum partium internarum externarumque, à quibus ascendens vapor vel nuda qualitas venenata sensim in cerebrum eiusque membranas obrepit.

Prognostica.

SI epilepsia primis mensibus & annis inuaserit, illa quidem soluetur mutatione pueritiæ in pubertatem, cuius initium est à decimo quarto

anno

anno, cùm mares hircire & semen emittere incipiunt, fœminæ verò semen mensesque excernere incipiunt. Hac tamen ætate ex seminis excretione magis fœminæ quam mares iuuantur. Puerilis igitur epilepsiæ materiam pituitosam, cerebri humida intemperie lactisque ingluuie & motuum importunitate collectam, pubertas calida siccaque incidit, terget, attenuat & resoluit. Est autem totum pubertatis spatium à decimo quarto anno ad vigesimum quintum aut trigesimum, vt adolescentiam etiam complectatur, prout citius seriusue pro caloris modo pueri pubescunt. Epilepsiæ solutio duplex est, alia proprie dicta per ætatis mutationem & temperamenti: alia per metastasim vt in quartanam, hæmorrhoides, varices crurum & podagram. Ista mutatione ætatis, si non sanetur, consenescere & commori solet, nisi mutatione loci in contrarium id est calidum siccumque soluatur. Nonnulli enim Arabum doctrina eruditi, septentrionales homines rariùs, meridionales sæpius epilepticos fieri contendunt, quòd illi calore interno magis circumfluant, hi verò minus: tametsi caussa probabilior mihi videatur ex varietate cerebri substantiæ, & excrementorum eius quibus septentrionalium capita ex cœli frigiditate magis quam meridionalium abundant.

Mutatione quoque victus in calidiorem siccioremque solutio hæc accidere potest, quæ calfaciat, tenuet & dispergat pituitam, sicuti & frictiones, labores, inedia, animique symptomata: venus tamen epilepticis nunquam conducat

reditaria est; quæque incipit à parte dextra cum clamore, stridore dentium, seminis eiectione, concussione vehementi, obliuione, spumaque circa os obhęrescente. Contra, breuitas paroxysmi, paucitas leuitasque symptomatum eiusdem sine spuma, cum recordatione & verecundia, facilique accessionis solutione, per odorem plantarum acrium facilem curationem significat.

Pueris igitur epilepsiæ species vtraque, idiopathica & sympathica familiaris est: illa quidem ob pituitosi humoris flatuosique in cerebro redundantiam, ex ingenita eiusdem temperie humidiori lactisque voracitate: hæc tum ob dentitionis laborem, tum ob lactis corruptelam & cruditatem nidorosam, tum ob vermium morsum viuorum aut putrescentium etiam acrem expirationem. viui autem non solum intestinorum aut ventriculi morsu, sed materiæ etiam putris agitatione epilepsiam commouent.

Puerilis epilepsia idiopathica desinere ætatis in pubertatem mutatione solet: eius tamen curatio nequaquam in hoc mutationis tempus differenda est: sed à prima quoque eius origine prohibenda curandaque est. Prohibetur autem vel præseruatur inter accessiones, tum nutricis victu modicè calido siccoque instituto, vinique & veneris vsu interdicto, iracundia, & mœrore declinato, purgatione denique humoris pituitosi qui abundare in eadem videbitur: tum pueri victu parciori adhibito, rariorique lactatione, maiori exercitatione per agitationem in cunis & vlnis, si ingluuies sit: tum denique pharmacia quæ balanis vtcunque

acribus si venter piger sit, clysteribus modice tergentibus & purgatiunculis antea expositis pituitam excludat: tum denique setonibus, vel potius cauteriis ad ceruicis ortum admotis: sed illa omnia reuulsionum genera iustis interuallis sunt vsurpanda: hæc deriuantia continuanda diutius sunt, sic enim quibus in capite vlcera etiam sponte fiunt, ab epilepsia tutos esse compertum est.

Postremo cerebrum roborandum est, & expungenda eius intemperies humidior topicis modicè calfacientibus siccantibusque, quales sunt cucuphæ idoneo puluere farctæ, & suffitus, aliaque assumenda vt pulueres cum lacte nutricis, aut melle. Clysterum autem balanorum & purgationum puerilium materia formaque sæpius est antea proposita. Nunc topicorũ materia proponenda est.

Puluis pro cucupha.

℞. radic. & seminis pœoniæ maris, galang. & cyperi, visci quercini ana ʒ iij. corticis citri, granor. alchermes, sandali citrini & calami arom. ana ʒ ij. folior. siccor. beton. verbenæ, saluiæ, maioranæ, florum anthos & stœchad. ana ʒ j. nucis mosch. macis, & caryophyll. ana ʒ ß fiat puluis cotone moschato & serico rubro excipiendus, vnde cucuphę duæ concinnentur quas vicissim diu noctuque puer gestabit.

Puluis pro suffitu.

℞. mastich. corticis thuris, nigellæ Romanæ torrefactæ & seminis coriandri præparati ana ʒ ij. cortic. citri, granor. alcherm. radic. & seminis

nis pœoniæ maris, calami arom. & schœnanthos ana ℥ j. nucis moschatæ macis & cinnam. ana ℥ ß trochiscor. galliæ vel aliptæ moschatæ ℈iiij. fiat puluis redigendus in trochiscos ponderis ℥ j. singulos, cum terebinthina ad suffitum, quem naribus & operimentis capitis excipiet.

Puluis sumendus.

℞. cranij humani, visci quercini, vngulæ alces siue asini syluestris ana ℥ ij. radic. & seminis pœoniæ maris, rasuræ eboris, cornu ceruini, fragmentorum sapphiri & hyacinthi, coralli rubri ana ℥ j. nucis moschatæ, macis & cinnam. ana ℥ ß moschi optimi ℈ ß panis sacchari pondus triplum, fiat omnium puluis tenuissimus, de quo capiat bis aut ter per singulas hebdomadas ℥ j. cum pauco lacte nutricis vel potius ex melle.

Hæc igitur est methodus prophylactica epilepsiæ grassantis à prima infantia ad pubertatem vsque quæ nisi tum curetur, consenescere & commori solet: eius tamen incrementum ista methodo prohibendum est.

Curatio accessionis epilepticæ propria est constatque causarum eius subtractione, & pituitosi flatuosique humoris è ventriculis cerebri eductione: tum per reuellentia remedia confestim adhibenda, vt frictiones validas totius corporis vnctionesque colli præsertim & spinæ, articulorum omnium axillarum, & inguinum, ex oleis neruosum genus roborantibus, calidis nempe parumque astringentibus vt laurino, nardino, lumbricorum, terebinthino: tum per clysteres & balanos acres: tum per deriuantia vt

errhina & apophlegmatiſmos, continendo interim corpus fortiter & artus, ne vehementi concuſſione, aut lædātur aut debilitentur. Errhini materia eſt

℞ rad. pyrethri, ſemin. ſtaphidis agriæ & zinzib. an. ʒ j piperis longi ʒ ß fiat puluis in nares per pennam inſufflandus. Apophlegmatiſmi quoque materia eſt. theriaca aut mithridatium vetus, vel medicamentum purgans, vt diaphœnicum palato obducendum, diductis interim dentibus inſerto bacillo, ne etiam linguam violent. Phœnigmus quoque in acerbiori acceſſione ſcapulis & collo ſæpe applicandus eſt.

Epilepſia puerilis ex dentitionis dolore neceſſario præcaueri non poteſt, curari autem à natura ſola poteſt excluſo ex gingiuis dente: placatur tamen à medico remediis anodynis mollientibus & dentitionem accelerantibus.

Epilepſia à vermium vel viuorum punctu morſuque inteſtinorum & ventriculi tunicarum, vel mortuorum putridis vaporibus cerebrum conſcendentibus, eiuſque tunicas pungentibus curatur vermibus ad ſedem illectis, per clyſteres dulces, vel iiſdem necatis per vnguenta olea & emplaſtra amara acriaque ad vmbilicum non ad os ventriculi admota, & ſubinde expulſis medicamento purgante. Sua etiam aſſumendis remediis ad vermes necandos præcipua vis eſt, de quibus poſtea capite de vermibus. Epilepſia denique ex corruptela lactis nidoroſa vel bilis flauæ & æruginoſæ copia, curatur proritata primum

mum vomitione (quæ alioqui noxia ſit cerebro imbecillo) idque appreſſo ad linguæ radicem nutricis digito, vel titillatis penna anſerina oleo illita faucibus, deinde frictionibus, ligaturis artuum, clyſteribus & balanis acribus: denique poſt ſolutam acceſſionem potionibus intemperiem ventriculi calidam extinguentibus, vt ſyrupi de granatis acidis, de limonibus, myrtino & melino. Foris quoque regioni vmbilici ceratum ſandalinum & vnguentum roſaceum lota cum aqua roſarum vtiliter inducentur.

De tonſillarum inflammatione.

ADhuc duarum pueritiæ partium morbi ex aphoriſm. duobus vigeſimo quarto & vigeſimo quinto lib.3. expoſiti & percurati ſunt: tum eius quæ ab ipſo natali die ad ſeptimum menſem primumque dentitionis rudimentum excurrit: tum eius quæ à prima dentitione ad ſecundum aut tertium ętatis annum producitur: deinceps ex aphoriſ. 26. libr. eiuſdē morbi interiectæ ætatis ad pubertatem vſque, id eſt duodecimum, decimum tertium, vel decimum quartum annum, exponendi curandique ſunt. Eius initiū antea ſuis ſignis definitum eſt prima lanugine in maribus conſpicua, & in fœminarum pudendo: voce hirceſcente & libidinis titillatione: in fœminis præterea mammarum extuberantia menſiumque fluxu: Eſt autem varium ipſum tempus pro varietate temperamenti & caloris natiui diſcrimine, vt ante ſcriptum eſt.

Aphoriſmus 26.

IPſis vero grandiuſculis tonſillarum in-

flammationes;vertebræ in occipitio introrsum luxationes: asthmata calculi, lumbrici rotundi,ascarides, verrucæ pensiles, satyriasmi, stranguriæ, strumæ, & alia tubercula, præcipuè verò prædicta.

Paristhmia glandulæ duæ sunt valde fungosæ & spongiosæ in faucibus (qui interior est oris locus, vbi gutturis gulæque extrema conueniunt, pharynx aliter dicitur) ad radicem linguæ, inter gulam & laryngem velut isthmus quidam, sibi inuicem oppositæ, & in vtroque latere singulæ conditæ sunt: Ideoque paristhmiorum nomen sortitæ sunt: aliàs Græcis ἀντιάδες, Latinis tonsillæ, quibusdam etiam amygdalæ dicuntur. Illæ porro copiosam saliuam asperæ arteriæ totiq; ori irrigando suggerunt. Eodem nomine vocatur earundem glandularum & vicinarum partium, vt membranæ ventriculo, gulæ, faucibus, totique ori communis inflammatio, potus spiritusque vias impediens astringensque. Huius signa sunt tumor, rubor, respirandi difficultas, dolorque ad fauces in deglutiendo lacte, quod sæpe per nares refunditur, cùm alioqui cibi crassiores viam cibi aperiant.

Prognosticum.

HInc aliquando suffocatio aut præclusis obturatisque grandiori sua mole œsophagi & arteriç asperç initiis, aut suppuratione rupta pureque affatim effuso: proinde eius incremētum omni genere reuulsionum & deriuationum prohibendum est, quarum puerilis infirmitas particeps esse possit. Itaque clysteres & balani paulo acriores ab initio summittantur: potiones laxatiuæ mox propinentur:

tur: frictiones molles totius corporis subinde iterentur: cucurbitulæ paruæ collo & scapulis affigantur: emplastra epispastica etiam occipiti & collo rasis capillis imponantur (horum omnium remediorum materia & formula ante sæpius proposita est.) Intus quoque reprimenda interim fluxio est, gargarismis ex liquoribus astringentibus proximè ad fauces cum imbutis linteolis & digitis nutricis leuiterque & frequenter admouendis. Exempli gratiâ

℞ aquar. plantag. pedunculi rosa. matrissyluæ ana quart. j. syr. de ros. siccis vel de granatis acidis ℥ ij vel rob. diamorum ℥ j. externam cõtra faucium regionem laxandã esse præcipiunt, vt repulsa fluxio foras euocetur discutiaturq;. Ad hoc cõfert litus ex oleis chamæm. liliac. amygd. dulcium & similibus. Quod si breui tempore tumor subsidere, ruborque & cætera eius symptomata mitescere sentiantur, tunc omissis reuellentibus & deriuantibus omnibus remediis digerentium tantum vsus intus forisque retineatur, vt

℞ hord. integr. p. j. flor. chamæm. & aneth. ana tantundem; decoquantur, & in colatur. ℔ j dissol. mell. rosati colati vel sacchari rosati ℥ ij vtatur vt supra.

℞ mellis optimi ℥ iiij. nidi hirundinum ℥ ij iridis florentiæ ℥ ß. stercoris canis ossibus per biduum nutriti ʒ ij spicæ nardi ℈ iiij croci ʒ ß. concorporentur cum pauco vino albo, & fiat cataplasma faucibus extrinsecus & tepidè applicandum bis in die. Potest etiam ex solo nido cocto in oleo chamæm. efficacissimum cataplasma concinnari. Si tamen defluxionis impetum coercere reuellentium,

deriuantium & repellentium remediorum omnia genera nequeant, iamque suffocationis imminentis periculum metuatur, idipsum arcendum est erecto thorace & stragularum onere sublato, aere refrigerato, loco lucido & perspirabili, deinde auctis etiam deriuantium & reuellentium viribus per clysteres acriores, cucurbitulas maiores, & cum maiori flamma per phœnigmum sincipiti inducendum, per gargarismos magis digerentes, vt ex hydromelite, incoctis in eodem hyssopi, origani & calaminthæ foliis, collo interim & thorace vel oleo liliorum, vel butyro recenti, aliisque pinguibus identidem delinito: atque interim suppuratio iuuanda est, eodem litu pingui circa fauces & collum, & intus simili gargarismate.

♃ caricar. ping. paria quatuor. passul. purgat. paria decem. flor. chamæm. sambuc. ana pug. j. coquantur, & ex residentia contusa & cum mucilaginibus mixta radic. altheæ & liliorum, vitell. ouor. polline farinæ triticeæ & croco fiat cataplasma suppurans, & pariter ex decoctionis liquore gargarisma. Suppuratus abscessus quamprimum aperiendus est vel vnguibus vellicantibus, siquidem obuius sit & manifestus, vel scalpello per mediam cannam immisso adactoque: sed prono interim capite, oreque hiante, vt sanies defluat foras, neque in pulmones deriuetur ægrum suffocatura: Deinceps detergentibus gargarismis pus eluendum, vlcusque percurandum est. Non est autem ea apertio diutius protrahenda, quia suppuratio eâ oris parte calida humidaque multisque perflata vaporibus citius expeditur.

De

De luxatione vertebræ.

SEcunda ægritudo eſt organica, nempe vertebræ quæ in occipitio eſt ad anteriorem colli partem luxatio, & à propria ſede dimotio: Huius luxationis cauſa eſt multiplex, aliàs à parifthmiis & tonſillarum inflammationibus, & membranæ quæ communis eſt ventriculo, tonſillis, totique ori, atque muſculorum huic membranæ ſubiectorum, tum qui gulam gutturi coniungunt, tum qui œſophagum eandemque gulam ſpinæ annectunt. Ab iis enim muſculis, neruis, tendinibus & ligamentis phlegmone tumefactis contractiſque attracta intro vertebra infert λόρδωσιν & peruerſionem colli in partem interiorem, aut σκολίωσιν & diſtorſionem colli in latus, vbi altera tantum parte partes prædictæ contrahuntur. Secunda autem intelligenda eſt, vertebra colli aliàs Hippocrati magna dicta, vt tertio de articulis; aliàs dens à proceſſu eius vertebræ, qui ſimilis eſt denti. Luxatâ itaque vertebrâ iſtâ magna ad interiorem ceruicis partem, apparet quædam cauitas in ea ceruicis parte qua dens eſt, neque ſine dolore attingitur. Eam autem luxationem puerorum potius quam infantium propriam Hippocrates ſtatuit, quòd infantibus ex inflammatione faucium citius mors obrepat quàm iſta luxatio aut phlegmone communicetur ad ceruicem vſque: vel certe quòd infantium nerui, tendines & ligamenta ſint molliora quam vt validam ab inflammatione contentionem perferre poſſint. Atque hæc luxatio quintam anginę ſpeciem conſtituit, quam Hippoc. 2. epid. Galen. 4. de loc. aff. accuratiſſime explicat,

eamque scrib.t Aetius veteribus anginam propriè appellatam fuisse, quòd è suo loco depulsâ istâ vertebrâ laryngem plurimum coangustet, spirationemque intercipiat, vnde ægri canum more linguam exerere hiantique ore respirare coguntur. Alia luxationis eiusdem vertebræ causa est siccitas tanta per febres ardẽtes omnium oris partium prędictarum, vt fiat colli peruersio, intro adductâ vertebrâ, voxque clangosa, id est sonora & ad raucedinem accedens, cum strepitu inter bibendum. Vtraque anginæ species est incurabilis & suffocatione immedicabili funesta: sicuti quæ à casu, ictu, grauique impulsione aliquando accidit.

De asthmate.

ASthma morbus est & obstructio fistularum pulmonis, eiusque cauitatum cuius symptoma est frequens & difficilis respiratio sine febre quidem: sed cum sono & strepitu, vnde nomen traxit asthmatis, id est anhelationis, qualis eorum est qui velociori & longiori cursũ aut vehementiori exercitatione vsi, valida inspiratione indigẽt. Quãuis enim laborantium thorax plurimum dilatetur, minus tamen quam pro necessitate refrigerandi cordis ob viarum angustiam aeris inspirant, proinde inspirationis frequentia defectum eius supplere coguntur, rectaque ceruice & surrecto thorace suffocationis periculũ declinãdi causa respirant, vnde & orthopnϾ nomẽ morbo inditum est. Asthmatis causa, vna quidem rarior est, tuberculum scilicet in pulmonum fistulis sensim exaggeratum: altera frequentior humoris crudi lentique in pulmonis bronchiis infarctus. Porro humoris huius descensus è

ſus è cerebro eſt humidiſſimo per foramen palati, iſque vel ſpontaneus, copia opprimente, vel acrimonia vellicante, aut frigore exprimente vel fundente liquanteque, calore concitatus. Neque tamen inter infantium morbos aſthma ab Hippocrate recenſitum eſt, tametſi ipſis humidius magiſque excrementoſum cerebrum quam pueris, quia in illis lethale omnino & incurabile eſt ob aëris inſuetudinem, alimenti nouitatem, vmbilici inflammationem, ob recentem denique dentium eruptionem, quibus omnibus laboribus pueri iam dudum defuncti ſunt, ideoque ad coquendum, expectorandum & reſpirandum infantibus multo robuſtiores ſunt.

Curatio.

PVeris aſthmaticis diæta imperetur frugalis, tenuis & attenuans, calida modicè ſiccaque & dulciuſcula, à qua arceãtur omnia edulia & obſonia refrigerantia & aſtringentia: quin nutriãtur potius carnibus recentibus toſtis, hordeatis, amygdalatis, auenatis, panatellis, furfuris cremore, vitellis ouorum, amygdalis & auellanis toſtis, nuclëis pineis, dactylis, caricis, piſtaciis. Deinde in therapeia primus ſit reuulſioni locus: ſecundus deriuationi è cerebro: tertius vacuationi è thorace: poſtremus corroborationi tum pulmonis tum cerebri.

Reuulſionis primum inſtrumentum ſit clyſter acrior abſtergens & phlegmagogus, vt

℞ rad. enulæ campanæ ℥ ij folior. betæ, mercurial. abſinthij origan. & calaminthæ ana m. j ſeminis cumini ℥ ß florum anethos p. j coquantur

& in colaturæ ℔ j diſſolue mell. anthoſati & olei anethini an. ℥ ij electuar. diaphœnicon. & hierę picr. an. ℥ ß fiat clyſter, iniiciatur inani ventriculo. Alterum inſtrumentum reuulſionis eſt purgatio phlegmagoga cui præmittenda eſt ventris lenitio & poſtmodum coctio humoris purgandi. Illa conſtet potione, quæ recipiat elect. diaphœnici ℥ ß cum decocti cicer. rubrorum hyſſ. & tuſſilagin. ℥ iij vel ʒ iij fol. ſenn. coctorum cum foliis hyſſ. & cicerib. rubr. In quo decocto agarici trochiſcati ʒ j infuſa ſit & in expreſſione diſſolutæ electarij diaphœn. ʒ ij vel iij. Coctio quoque humoris peccantis ſuſcipietur iulepis vel apozematis tergentibus, attenuantibus & modicè calfacientib. in plures dies ob humoris contumaciam protrahendis. vt

℞ ſyr. de hyſſ. de praſſ. & capill. veneris, vel

℞ mell. anthoſ. oxymelitis ſimpl. & ſyr. de tuſſilag. ana ℥ ij diſſolue in hydromelitis ℔ ij addendo cinnamomi ʒ ij fiat iulepus pro ſex doſibus matutinis.

℞ rad. polypod. quercini & enulæ camp. ana ℥ ij rad. liquir. & ſeminis carthami ana. ℥ j folior. hyſſop. ſatureiæ, tuſſilaginis cum radicibus capill. ven. ſcabioſæ, pimpinell. ana m. j caricar. pinguium paria iiij, ſeminis bombacis & aniſi ana ℥ ß paſſular. purgatar. & nucleorum pini lotorum & baccar. loti arboris ana paria xv. hordei integri & florum anthos ana p. j decoquantur in hydromelite omnia ſuo ordine & in colaturæ ℔ j ß diſſolue cinnamomi ʒ ij mellis optimi & panis ſacchari ana ℥ ij fiat apozema clarificatum pro vj doſibus matutinis & veſpertinis.

Poſtea

Postea in vltima dosi infunde rhab. opt. & agarici trochiscati ana ʒ j. spicæ nardi ℈ ß in expressione dissolue electuar. diaphœn. & syr. capill. ven. ana ℥ ß. fiat potio, detur mane cum custodia. vel

♃ mass. pill. aggregatiuarum maior. & de agarico vel cocciar. ana ʒ ß. cum aqua hyssopi vel scabiosæ fiant pillulæ vj vel vij deauratæ, quas deuoret horis duabus post mediam noctem, leui cœna præcedente. Deinceps aliud reuulsionis instrumentum comparandum erit per hidroticam potionem matutinam multorum dierum vt quindecim aut viginti.

♃ radic. salsæ parillæ electæ & diligenter præparatæ ℥ iiij rasuræ ligni Indici ℥ ij infunde in ℔ vj aquæ fontanæ per spatium viginti quatuor horarum: deinde coquantur igni luculento ad mediæ partis consumptionem addendo sub finem coctionis folior. tussil. & summitatum hyss. ana m. j. liquiritiæ & seminis anisi ana ℥ ß: postremo colentur bis aut ter per cribrum laneum, capiat ℥ iiij calidè mane prouocando sudores iniectis pluribus vestibus.

In medio & fine huius potionis hidroticæ reiterentur pillulæ præscriptæ cum clystere quoties venter erit tardior. Diæta quoque præscripta obseruetur & hydromel bibatur ex ℔ x. aquæ fontanæ cum ℔ ß mell. opt. percoctę & despumatę, vel saltē vinum potet dulciusculum & ptisana dilutum.

Toto insuper sudorum spatio expurgationi pulmonum medicus incumbat per topica attenuantia laxantiaque : foris quidem vt vn-

guentum resumptiuum aut simile, ex butyro recenti lotove, mucilagine seminis lini, extracta ex decocto ficuum, medulla cruris vituli vel veruecis, axungia gallinæ & anseris cum cera lutea & oleo liliorum vel keirino & irino: intus autem per syrup. de tussilagine, de prassio, de liquiritia, per looch sanum & expertum, de pinis nucleis, vel simile ex tempore confectum, vt

℞. mell. albiss. butyri recentis, panis sacchari ana partes æquales, fiat pasta.

Eodem tempore cerebri excrementorum deriuationem accelerabit, non per apophlegmatismos, ne affluentia eorum pulmones obruat: sed per errhina, caustica etiam bracchio aut initio ceruicis potius admouenda, aut phœnigmos occipiti raso totique collo impingendos, de quibus omnibus antea sæpius. Postremo vbi viscera duo cerebrum & pulmo sordibus suis exonerata sentientur: tum eadem sequenti suffitu & cucuphis antea præscriptis corroborabuntur.

℞. mastichis, cortic. thuris, seminis nigellæ roman. ex aceto torrefactæ & auripigimenti rubri ana ℥ ß ladani storacis calamit. benioini, calami arom. ana ʒ ij. nucis moschatæ, macis, cinnam. & caryophyll. ana ʒ j. trochisc. galliæ moschatæ ℈ iiij. fiat puluis, ex quo cum terebinthina trochisci concinnentur ad suffitum ore & naribus excipiendum in introitu & exitu lecti.

De acrochordonibus.

EX verrucarum genere acrochordones sunt, tumores scilicet duri & scirrhosi ab excremētitio

titio humore pituitoso vel melancholico in superficie corporis sensim concreto & obdurato. Latinum nomen metaphoricum est ab editiori montis parte: Gallicè vocantur *des porreaux*, à filis quæ in se continent porrorum radiculis simillima. Est autem verrucarum genus duplex, figura ac materia dispar & distinctum, vnum genus est pensilium basi angusta summitate lata, vt tenui quodam pediculo pendere ex cute videantur: alterum sessilium basi lata & summitate acuta, vt cuti ipsi insidere videri possint, tametsi radicibus altis nitantur. Prioris generis species sunt duæ, ἀκροχορδόνες & θύμος vel θύμιον, ex quo, ficus. Est autem ἀκροχορδὼν pustula quædam in palmis quidem puerorum frequens, in digitis pedum rarior, cacumine suo latior, durior, asperior, cutique concolor: sed ima parte ad cutem velut tenui pediculo pendeat. Hinc ἀκροχορδὼν dicta est, vel à similitudine maiusculæ chordæ per summa resectæ (Arabibus verruca botoralis) excitatur à pituitoso humore, à natura in cutem deposito sensimque concocto.

Thymus autem vel thymium acrochordone minor pustula est, neque cuti concolor: sed thymi veri & Cretensis candicantibus floribus, quæ si minor est thymus simpliciter vel thymium vocatur: sin maior, ficus Latinis, σύκωσις Græcis, Arabibus verruca porralis dicitur. Atque hæc fere ex atrabilario sanguine est.

Prognosticum.

Acrochordones fere plures ex inopinato apparent subitoque disparent, in manibus præ-

sertim & aliquando in pedibus puerorum. Thymi sæpius, ficusque in adultorum pudendis & ano: mariscæ ἄλλαι vocantur.

Posterioris verrucarum generis, sessilium nempe species totidem sunt, μυρμηκία & clauus, quibus aliæ etiam duæ tametsi impropriè annumerari solent, cornu & callus. Myrmecia igitur est verruca dura, stabilis, radice alta, vixque vnquam lupino maior, in palmis manuum plantisque pedum frequens, ita dicta quod per frigora aut etiam contrectata, mordentis formicæ sensum & dolorem inferat. Arabibus verruca moralis dicitur à granorum in moris similitudine. Clauus verruca quoque est sessilis, alba, prædura, solida, rotunda, radice alta, quasi ex ossium membranis erumpat, ita vocata à figura & duritie qualis est clauorum capitis, aliis partibus rariùs: sed digitis plantisque pedum frequentissime infesta: idque ex calcei contusione pressuque cum dolore acuto, & incedendi difficultate.

Callus autem nihil aliud est quàm summa cutis obdurata non sponte: sed labore sine radice & dolore, vnde à clauo differt. In palmis manuum pedumque plantis frequens est. Cornua constant eadem cutis obdurata compactaque substantia, & frequenter in iisdem manuum pedumque partibus: sicque appellata sunt quod cum sint instar cornuum oblonga, recuruentur. Cæterùm acrochordonum tantùm in puerilium morborum censu meminit Hippocr. quòd reliquarum specierum sint expertes, cùm pituitoso humore solo affluant, non etiam atrabilario & melancholico, neque labore vllo manuum pedumue, neque venere aut

equi-

equitatione importuna defatigentur.

Prognostica.

ACrochordon & thymium maximè quod benignum est, omniũ verrucarũ mitissima sunt, deinde cornua & claui (nisi forte ambulãdo molestent) postremo myrmeciç: thymus prçfertim malignus omniũ molestissimus est, quique in cancrũ sæpe degenerat. Vtraq; pẽsilium species vt ante dictũ est, sæpe per se sponteque sanatur, sæpius quidẽ quç minores sunt: sessiles vix vnquam sine remediis.

Curatio.

COmmunis myrmeciarum curatio, acrochordonum & thymiorum est, per excisionem: alter modus per καθαιρετικὰ & exesionem atque erosionem: in quorum vsu hoc singulariter obseruandum est, vt partes vicinæ astringente & refrigerante aliquo remedio, cohibendæ fluxionis causa præ dolore accersendæ, muniantur, vt vnguento ex bolo armena, terra sigillata, albumine oui, oleo rosato & pauco aceto. Illo cathæreticorum multæ species Paulo Æginetæ referuntur lib. 4. vt elaterium cum sale infricatum admotumque: vt thuris cortex cum aceto, farina & nitro: succus tithymali & fici arboris illitus: ærugo cum sulphure viuo: liquor ex sarmentis viridibus vstis destillans: fimus ouillus cum aceto: hircinum fel illitum: ruta cum pipere: capita salsorum piscium decocta in liquore sarmentitio viridium vitis sarmentorum dum vruntur: denique vnguentum ex ærugine, sulphure, & aqua illa sarmentorum, quibus omnibus addi potest aqua

fortis secunda vocata; vitrioli aut sulphuris oleum. Tertius denique modus est per causticum actuale vt ignis flammam, vel candens ferrum decenter appositum per laminam ferream in medio perforatam vt nihil sanæ partis appareat, quæ ferro violetur. At post adustionem crustamque butyro, aut aliquo alio pingui vt vnguento basiliconis resolutum vlcus & detersum aliorum vlcerum instar deinceps curabitur.

De satyriasi.

SAtyriaseos vel satyriasmi multiplex est apud medicos significatio, vna est, quando sumitur pro elephantia, quòd consumptis temporum musculis ossa circa tempora ita emineant vt cornuta elephanticorum capita, satyrorum instar videantur: vel certe quòd libidine insatiabili satyrorum simili penem rigidum multoque calido & flatuoso spiritu turgentem gerant.

Altera est cùm vsurpatur pro inflammatione vasorum spermaticorum & penis ipsius tentigine perpetua cum dolore, lipothymia, sudore frigido, & morte repentina. Tertia significatione sumitur pro tumoribus adenosarum colli partium duplicibus quidem oblongis & rotundis, quorum hi fere iuxta guttur sparsi sunt, illi longiores sub auribus, quæ vbi euacuatæ sunt, Satyrorum effigies exprimitur, ideoque satyriaseos nomine significantur. Sunt autem illi tumores aliàs frigidi & strumosi, aliàs calidi & phlegmonosi: hique parotides priuatæ vocãtur, sicuti in axillis & inguinibus phymata subito nascentia, crescentia & resolubilia vel suppurabilia. Parotides autem aliàs criticæ sunt, febrili materia

ria à victrice natura in glandulas circa aures transmissa, ex sympatheia totius corporis, aliàs ex idiopathia capitis, ex vulnere, vlcere, contusione dolitantis. Illarum criticarum repercussio tētanda non est: sed si fortasse materia crassior, lentaque nimis & maligna, vt in febribus pestilentibus, aut natura debilior est, curantur primùm laxantibus & emolliētib. topicis vt foras à natura facilius amandetur, vtputa cataplasmate ex polēta cocta in hydrelæo, additis mucilaginibus seminum lini, althææ, vel si calor dolorque vrgeat psyllij & cydoniorum, aliàs litu oleorum chamæm. lilior. aneth. quibus lana succida vtiliter imponatur.

Euocatâ vel expulsâ foras materia, digerentibus oleis aut cataplasmatis descriptis capite de tonsillis digerenda est. Simile est cataplasma ex magmate decoctarum herbarum seminum & florum modice calidorum tenuiumque, vt

℞ quatuor folior. remollit. orig. calaminth. absinth. ana m. j. flor. chamæmel. meliloti, anethi ana p. j seminis lini & fœnug. ana quart. ß coquantur omnia: materia exprimatur, contundatur & cribretur, eique adde farinam hordei, orobi & lentium ana ℥ ij adipis anseris & gallinæ, & axungiæ suillæ sine sale ana quart. ß croci ʒ ß olei anethini, lilior. ana q. s. fiat cataplasma.

Ex iisdem oleis adipibus & cera noua vnguenta conformentur. Quod si parotis ad suppurationem vergat neque digeratur, cataplasmate peptico suppuratio iuuetur. Tale est hoc. ℞ ceparum & rad. lilior. sub cinerib. coctarum an. ℥ iiij farinæ triticeæ ℥ ij axung. gallinæ & anseris an. quart. ß vitellum oui vnius, croci ʒ ß fiat cataplasma vel loco e-

ius imponatur tetrapharmacum mouẽdo puri efficacissimum ex resina, pice, cera noua & adipe. Si denique in scirrhosam abeat duritiem parotis, valde mollientibus tergenda est: tale est ceroneum, de mucilaginibus, de hyssopo, aut aliud recẽs comparatum, vt,

℞. gummi ammon. & bdellij pinguis solutorũ cum vino albo ana quart. ß axung. porci, gallinæ & medullæ cruris vituli, vel veruecis & œsypi ana ℥ ß mucilagin. seminis lini extractæ cum decocto ficuum & olei lilior. ana ℥ ij. ceræ nouæ parum, fiat linimentum.

Iam si ex sympathia capitis vulnerati, vlcerati, contusi, parotis emerserit, instar criticæ curãda omnino est, præmissa tamen reuulsione fluxionis præsentis aut imminentis per clysteres acres, purgationes & phlebotomiam, siquidem puerilis ætas eam ferat, cuius reuulsionis in critica parotide vsus nullus esse potest, non solum ne motus naturæ turbetur: sed quod vacuationes idoneæ præcesserint. Hæc verò ex cerebri sympathia œdematodes fere est, ideoque digerentibus & siccantibus topicis validioribus digerenda est, de quibus antea. Quod si suppuratio instare videatur hoc cataplasmate acceleretur.

℞. radic. althææ & liliorum in brodio pingui gallinæ sine sale coctarum ana ℥ iiij. contundantur & cribrentur, iisque adde farinæ pistrinalis ℥ ij. butyri recentis & axungiæ suillæ liquefactę ana quart. ß vitellos ouorum duorum, croci ʒ j. cum oleo lilior. fiat cataplasma. Maturatus denique aperiatur & abstergeatur vlcus mundificatiuo vnguento de apio aut syrupo de rosis siccis.

De

De calculo.

CAlculi siue lapides concrescere solent in omni fere corporis parte, capite, pulmone, corde, liene, cystide fellea, hepate, colo intestino, vtero: sed frequentissime in rene & vesica. Materia est crassa, lenta & viscida pituita, aliàs syncera, aliàs pluribus arenulis mixta, quæ à calore exassatur cogiturque in lapideam duritiem. Calor autem hic in iuuenibus acrimonia, in pueris & senibus mora & cunctatione magis materiam exsiccat. Causa sine qua non, est loci materiam continentis angustia. In pueris autem ob edacitatem motionumq; importunitatem, in senibus ob caloris & coctionis infirmitatem, in iuuenibus etiam ob intemperantiã prauamq; diætã multa succrescit cruditas & pituita: sed pueris magis in vesica, senib. & iuuenibus in renibus, quòd cum succus ille crassus pituitosus cum sanguine ad renes per emulgentes venas delatus sit, hinc quidẽ robusta puerorum facultate in vesicam facile deponitur, (vbi diutina mora à calore etiam moderato excoquitur) per molles laxasque & lubricas vreterũ vias, quæ in senibus & iuuenib. sunt astrictæ, magisque siccæ & asperæ. Quæsitum est de generationis loco, aliis in solis renib. calculorũ omniũ rudimentũ, etiã eorum qui in vesica cõtinentur, statuẽtibus: aliis in vesica, ob capacitatem eius: aliis in vtroque loco. Sæpius tamen in renibus quam vesica coagmentari mihi videtur, ex quo arena crassior in vesicam delapsa accedente mucosa pituita membranatim agglutinata in iustam lapidis molem coeat. Sunt autem vesicæ calculi fere duriores, albidiores, asperiores, maiores: renum verò magis friabiles, arenosi, minores, & vt plurimum

rubeſcentes, aut flaueſcentes, aut mixti.

Signa loci demonſtratiua.

SIgna calculi in rene certiſſima ſunt, dolor grauis & acutus, aliquando ad nothas coſtas & ad teſticulum reni reſpondentem exporrectus, cum ſtupore cruris directi, ob conſenſum neruorum & venæ emulgẽtis: vomitus primum pituitoſus: moxque inualeſcente dolore, per communes tunicas à peritonæo ductas ad ventriculum, prouecto, bilioſus & æruginoſus: deinde lapide in veſicam & vreterem deſcendente dolor acerbiſſimus, nephriticus dictus: poſtremo arenæ rufæ, flauæ, aut rubræ, tanquam detorti calculi portiunculæ cum vrina emittuntur: dolorem tamen fere præcedit vrina rubra, liuida, nigricans, ſanguinea, auulſo à parenchymate calculo, & venulis attritu lapidis auulſis. Vrina arenoſa non poteſt fidum eſſe ſignum. Calculi eius, qui infixus eſt ſubſtantiæ renis, aut in capacitate veſicæ vagatur, vel eiuſdem tunicæ obhæreſcit ob indiſſolubilem eiuſdem duritiem. Quare axioma hoc falſum eſt. (Arena eſt in vrina, ergo calculus in rene: vel, Non eſt arena, ergo nec calculus.) quia arena tenuiſſima ſanguinis in hepate & venis vt per febres, vſtionem, non renis calculoſi vitium ſignificat. Calculi veſicæ ſigna ſunt difficultas meiendi, id eſt dyſuria, vel ſtranguria, & aliquando iſchuria, dolor circa pubem, mictio confeſtim inter meiendum intercepta, calculo meatui obiecto: catheter immiſſus per vrethram, & in omnes veſicæ partes circunductus repulſo lapide mictionem prouocat: digitus in anum ſubmiſſus calculo fit obuius: frequens adeſt pruritus glandis, & mentulæ erectio.

vrina

vrina tenuis est & alba.

Praeseruatio à calculo, & curatio.

PRæcaueri calculi generatio in pueris suspectis potest diæta tenuante, calida siccaque, euchyma & frugali, vitata satietate ciborũ crassorum & glutinosorum, & vehementi exercitatione post pastus, somno prolixiore, tarditate in deiiciendis fæcibus, ne mucosa pituita in vesica, calore ipsius percoquatur. Quinetiam suspectis, balani & clysteres acres & lenientes, atque purgationes anniuersariæ plurimum conducãt, sicuti & adultis. Quod si præsentis in rene calculi certa ex doloris specie, situq;, aliorumque signorum fide coniectura sit, mox laboranti puero ita succurrendum est, vt exonerata priùs aluo, & ventriculo, lapis comminutus quamprimùm excludatur medicamentis lenientibus & laxantibus vias vrinarias, vreteres & vrethram: tum tergentibus & attenuantibus duriorem lapidis substantiam tam sumendis intus, quàm foris admouendis: sic enim morbi ipsius, obstructionis scilicet renum, vreterum vesicę, & meatus vrinarij causa, crassities nempe lentorque lapidis oppugnabitur, & symptoma, id est dolor prodituri calculi incursione accensus sensim restinguetur. Cæterùm calculus omnis medicamentis tenuis substantię ad exclusionem ob viarum angustiam indiget: sed qui solidior est & inueteratus, vt in vesica & renibus aliquando modice calidis: qui leuiter concoctus adhuc est ex arenularum cohęsione in renibus calidioribus. vincit enim partis indicationem aliquando affectus ipse, ideoque vesica distantior, leuiora aliquando: ren propinquior efficaciora sustinet, pro calculi sci-

licet substantiæ discrimine.

Exempla remediorum.

℞.rad.altheæ,lilior.eryngij,raphani & bardanæ an. ℔ ij]folior. maluę, bismal. violar.pariet. brancæ vrsinæ,vrticæ cum radic.cresson.berulæ,saxifragię,cynoglossi,pimpinellę ana m.iij.semin.cumini, lini ana ℔ ß baccar.lauri & iuniperi contusarū ana quart.j.florum sambuci,maluæ, genistæ, tamarisci, chamæmeli,melil.ana p.ij.decoquātur in aqua dulci,cape de colatura ℔ j in qua dissolue butyri recētis, olei liliorū vel chamæmelini ana ℥ iij benedict. laxatiuæ ℥ j hieræ picr.℥ ß mellis anthos.℥ ij vitellum oui vnius,fiat clyster.

In reliqua decoctionis parte balneabitur quotidie, mane & vesperi, post liberatas primæ regionis à vitiis omnium humorum vias, exhibito exempli gratia hoc pharmaco:

℞ medul.cassiæ recens extractæ ad vaporem foliorum maluę vel cum oleo amygdalarum dulcium ʒ x.vel xij. fiat bolus cum puluere ducis, detur horis duabus ante pastum. vel si cruditatis in ventriculo suspicio sit,

℞ terebinth.perspicuæ ʒ iij bened.laxa.ʒ ij concorporētur cū puluere ducis,fiatq; bolus,detur horis 4.ante prādiū.liberata hac ratione prima regione,tunc ex decocto pręscripto,fotus instituatur renum & vreterum & perinæi, iisque partibus à fotu cataplasma ex magmate decocti contuso concinnatum , adipibus recentibus additis gallin. cuniculi , anseris , butyro recenti , polline seminis lini & puluere seminum lithospermi, cumini & seseleos, & quamprimum applicandum, moxque fiat illi-

tus

tus earundem partium ex oleis scorpionum, lilior. amygdalarum amararum, terebinthino, laurino, quibus si adipes prædicti cum medulla vituli, cerui aut veruecis cum momēto seminis cumini, ameos, dauci, paliuri & cera noua iungantur, vnguentum euaserit efficacissimum. Tale est oleum amygdalarum dulcium, keirinum, de lino & commune, in quo radic. altheæ & semen lini ferbuerint. Denique frequenter balneum subibit tepidum & sine sudore. Ita enim externus dolor sedabitur, viæ laxabuntur, & calculi substantia nonnihil deteretur. Porro præter externa remedia prædicta & balneū præscriptum, excludendo frangendoque calculo accommodata remedia interna medicus adhibebit. Ex his autem quædam proprietate occulta calculū dispellere credūtur, cuiusmodi sunt os humani cranij, cornu cerui, ossicula persicorum, mespylorum, cinis scorpionum, cinis leporis integri in olla combusti, postea aceto submersus & extinctus, cinis cicadarum, scarabeorum, cinis vitri combusti, testarum oui detracta interiori tunica, puluis lapidis Iudaici, spongiæ, corall. rubr. electri, sanguis hircinus & anserinus mixti & lento igne cocti: horum tamen multorum effectus ad asperitatem substantiæ eorundem referri possunt. Alia manifesta qualitate calculum deterunt & profligant, vt dum tenuitate substantiæ suæ & caliditate, aliàs miti, aliàs insigni calculum eradunt & obliterant, aliàs verè diuretica. Illorum prior vsus est, horum posterior: sunt tamen occulta illa priora vtrique speciei permiscenda.

Inter leuiora est ex gr. hic iulepus.

℞ aquar. graminis, acetosæ & agrim. ana ℥ iiij.

ſyrupi capillor. vener. oxymel. ſimpl. & de duabus rad. an. ℥ ij pului e. lapid. ſpōgiæ, lapidis Iudaici, cicadarum ana ℥ j fiat iulepus pro doſibus tribus matutinis: valiuior reddetur affuſo oxymel. ſcyllitico ſyru. de quinque radicibus & ſyrupo di..o catharctico, puluere quoque additoleporis & cātharidar. vſtarum atque cranij humani.

Pueris tamen aptius fuerit iuſculum in plures dies galli decrepiti flagris verberati, iugulati, coctique cum radic. eringij, oluſatri, apij, petroſ. fœniculi, herbis capillarib. vt ceterac trichomanes, capill. ven. ſummitat. fœniculi & lupuli petroſ. fœniculi marini & hyſſ. ana ad m. j expreſſis omnibus detur ℔ ß in die, addito pauco ſaccharo & cinnamomo. Talis ſit potio aquæ ſtillatitiæ ononidis cum pauco ſaccharo & cinnamomo.

℞ oſſa nucleorum perſicorum numero quinquaginta, oſſa nucleorum ceraſorum numero centum, flor. ſamb. m. j. vini generoſi ℔ iij. includantur omnia fictili recenti, & ſepeliantur fimo equino per dies decem: poſtremo deſtillentur ex alambico vitreo, capiat huius aquæ ℥ iiij vel

℞ mell. roſati & terebinth. ana ℔ ß. iuiubar. ſebeſten, nucleorum pini ana ℥ ij granorum alkekengi, cucurbit. apij, lithoſpermi ana ℥ j deſtillentur omnia ex alambico vitreo in deſtillationis ℥ iij diſſolue cinerum prædictorum vel lapidum ʒ j detur bis in die.

Potio quoque olei terebinth. cum aquis malu. althææ, borrag. & flor. ſambuci deſtillatis ad ℥ ij efficaciſſima fuerit, ſicuti potio olei communis cum vino hippocratico, aut vini infuſionis rotularum vnius raphani, vel olei chalcanthi ℈ j cum vino albo aut

bo aut alicuius gummi vt cerasorum, amygdal.amarar.& persicorum cum vino cretico, vel succo raphani cum vino.

♃ lapid.spong.& Iudaici & cineris cicadarum ana ℥ ß misce cum aqua fœniculi aut ononidis.

♃ puluer. rad. ononidis in autumno collectæ ℥ ß radic.liquirit.& cinnamomi ana ʒ j sacchar.candi ℈ iiij misce detur ʒ j cum vino albo diluta aqua stillatitia radic.eiusdem.

Alius puluis.

℞ rad. galangæ, cubebarum & caryophyll.seminis milij solis dauci petros.lapid.spongiæ& lapidis humani, liquiritiæ, sacchar. candi, ciner.vitri & cicadarum ana ʒ ij fiat puluis sumendus in balneo pondere ʒ ij cum iusculo diuretico vel vino albo.

Alius.

℞ seminis dauci, milij solis & saxifragiæ ana ʒ ij lapidis Iudaici, cineris scorpionum & pil. leporis ana ʒ j liquir. ʒ iij cinnamomi ℈ iiij fiat puluis, detur ʒ j cum decocto folior.saxifrag.seminis milij solis & vino albo.

Vtriusque generis remediorum tam internorum quam externorum vsus simul tantisper permiscendus & continuandus est, dum lapis in vesicam excussus, indeque foras exclusus fuerit, appositis per interualla post fotum aut balneum subtus renem & doloris situm cucurbitulis secundùm productionem vreteris. Quod si lapidis in vesica exturbandi ob molem & duritiem eius nulla spes affulserit, peritis lithotomis calculosus puer committatur. Et si quando interim vrinæ exitus in fistulam vrinariam intruso lapide præclusus sit, tunc modis in ischuria

exponendis vrina euocabitur.

De lumbricis.

VErmis est animal viuum in ventre genitum. Animalis naturam detegit motus, sensusque duplex, gustus & tactus: os enim habent obscurum hirudinis instar, & amara refugiunt sicuti & asperiorem tactum: partus nullus, nullum sexus discrimen, nullaque partium genitalium informatio est.

Causę procreatrices vermium tres tantum sunt: (neque enim finalis vlla cùm sint præter naturam) formalis, anima sentiens est: materialis, pituita excrementitia: (nam putredine in gluten resoluuntur & sicci rursus vniuntur) non stercus sincerum, cùm sit siccius, neque quodlibet excrementum vt bilis & melancholia: illa quidem quia sicca & amara, hæc quia sicca acida: non rursus sanguis putrescens in venis ob angustiam loci, aut alibi ob prauitatem putredinis deleteriam. Varietas autem colorum, vel ex alimentis cibisque corruptis, vel humoribus quibus aluntur & perfunduntur prouenit. Mediata materia est victus intemperantia etiam in pluribus cibis euchymis, aut imprudentia in frigidis humidis, vt fructibus horęis, vel frigidis & siccis terrenis & flatuosis, vt leguminibus, caseo, lacticiniis, radicibus vt rapi, napi, tuberum, & castaneis. Effectrix causa & immediata natiuus calor est partium continentium materiam: putredo enim causa est per accidens, quæ priorem materiæ formam delet eamque prçparat ad nouam à calore natiuo excitandam. Effectrix mediata est tum interna, vt natura, ætas, sexus: tum externa, vt regio, anni tempus, victus, & causa sinę qua non, id est locus. Natura enim

pituitosa,

pituitosa vermibus aptissima est cumulandis, deinde sanguinea: sed biliosa & melancholica alienissima est: omnis tamen errore vitæ fieri apta potest. Ætas quoque puerilis à biennio ad decimum quartum annum, & senilis aptissima iisdem gignendis est: vtraque ob pituitæ excrementitiæ copiam quam congerit: illa quidem ob voracitatem, hæc ob caloris languorem. Ætates intermediæ, iuuenilis nempe & consistens magis alienæ sunt, tantumque ob ingluuiem aptæ redduntur. Lactantium ætas cùm solo lacte vtuntur vermibus caret: sed pabulo duriori intermixto ab iisdem torquentur. Muliebris sexus magis est obnoxius. Regio quælibet humidior tum frigida tum calida vermium feracior est, quàm contraria. Item tempus autumnale, & vernum ob pituitæ copiam collectæ ex aeris frigore, vel ex fructuum fugacium ingluuie: Pestilēs quoq; cōstitutio vermib. pullulare solet, quia putredinosa ex collecta antea pituita.

Intestina sunt locus aptissimus gignendis & continendis vermibus, tum ob capacitatem & inanitatem: tum ob pituitæ excrementitiæ copiam, quæ chylostos est excrementum crassum, sicuti vrina tenue. Ventriculus ineptior est, non quidem ex robore caloris natiui putredinem prohibentis, cùm sæpe inde olidus fiat halitus: sed ob ciborum & condimentorum variorum salsorum, acidorum, acriúmve vsum putredini repugnantium, & ob patium ventriculi laterumque inter se distantiam, nisi in eum ex intestinis subeant. In reliquis partiū cauitatibus & angustiis vermium quoque prouent' est: sed angustior. Vermium differentiæ ex figura sunt quadruplices, partiū continentiū figurę respō-

dentes. Prima minimorum est, qui à punctu molestissimo ascarides vocantur, in rimis sphincteris musculi rectum intestinum claudentis frequentes sunt, præsertim iumentorum. Secunda est cucurbitinorum in cellulis coli. Tertia longorum & teretum in gracilibus intestinis. Quarta est latorum toti intestinorum gracilium crassorumque ductui æqualium, qui ob amplitudinis & longitudinis similitudinem vocati sunt fasciæ & ταινίαι, id est vittæ, quorum eadem origo est, quæ reliquorum ex pituita lenta, crassa, putri: non ex superficiaria intestinorum tunica putrefacta.

Aliæ vermium differentiæ sumuntur à colore diuerso, albo, rubro, flauo, nigroque: aliæ à magnitudine, numero, exitu, eiusque modo & tempore.

Signa vermium.

VErmium signa demonstratiua, quædam sunt communia omnibus eorum differentiis: alia singulis propria. Ex communibus recensentur omnes causæ mediatæ internæ externeque: alia sumuntur ex omni genere symptomatum, vt actionum læsione, excrementorum alui, & qualitatum corporis mutatione, vt in intestinis per idiopathiam laborantibus solutione, vnitate, ex vermium morsu punctuque, obstructione, aliquando & cruditate. Hæc præcipue fatigare solent lienteria, retentrice facultate debilitata: ileos, obstructo prorsus intestino: tumor ventris, ex flatu, in tunicis intestinorum coercito: sicuti ex eodem per cauitatem vagante rugitus: tormina ex morsu punctuque vermium: excretio viuorum aut mortuorum.

Sunt etiam sublimiorum partium plurima per sympa-

ſympathiam inflicta ſymptomata, vel ſubeuntibus ſurſum vermibus ipſis, vel acerbis & putridis commotis vaporibus ex pituita putri in inteſtinis reſidua. Inde ventriculi nauſea, vomitio, lipothymia, ſyncope cardiaca, aliquando etiam mors, commorſo acriter ſtomacho: faſtidium, βουλιμία inſaturabilis, deuoratis à vermibus cibis & chylo, oppreſſio œſophagi, & ſtrangulatus periculum, preſſa ab eorum aſcenſu ſubtus aſpera arteria: eruptio vermium ex ore vel naribus: tuſſicula, labri inferioris tremor, & pruritus narium, ob tunicæ quæ œſophagum & ventriculum intus veſtit cum oris partibus continuitatem, dum à vermibus lancinatur: cerebri epilepſia, conuulſio muſculorum temporalium, vnde maſticatio inuoluntaria, ſtridorque dentium, paralyſis artuum, deliratio, pauor, vociferatio, peruigilium & ſopor:

Prognoſtica.

PRognoſtica ſigna ſunt quòd aſcarides & cucurbitini vitæ periculo vacant, magiſque ſunt curabiles: teretes ſæpe peſtiferi ſunt: albi rubrique minus quam nigri & lutei: parui minus quam grandiores: pauci minus quam multi funeſti ſunt. Exitus viuorum & mortuorum per ſanitatem tutus eſt, optabilior tamen eſt viuorum, quia pituitæ & alimenti inopiam ſignificat. In febribus tamen peſtilentibus, & tribus temporibus principio augmento & ſtatu, excretio mortuorum viuorumque ſignum lethale eſt prauitatis & malignitatis: ſed in declinatione ſignum ſalutare eſt. In aliarum febrium ſalutarium quocunque tempore

exitus naturæ robur indicat. Denique vermis morbifica est causa continens alicuius intestinorũ morbi, vtputà obstructionis, solutę vnitatis, & intemperiei: morbus tamen non est cum sit substantia: ab eo mente tantùm separatur, cùm sit causæ continentis morbique eadem essentia.

Præseruatio.

PRæseruationis vermium quæ in naturis, ætatibus & temporibus suspectis vsurpanda est, duo instrumenta sunt, diæta & pharmacia. Illius ad declinandam cruditatem scopi duo sunt, qui quantitatem & qualitatem victus idoneã spectant, vt fugiatur omnis intemperantia & ingluuies, vitetur motus corporis & animi vehemens per duas horas post pastus, crassique viscidi & terreni nimis cibi fugiatur, somnus quoq; & alui tarditas declinetur.

Pharmacia aliàs alterans sit, eaque duplex, calida & amara acrisue in hyeme: frigida in æstatę, eaque in lunæ silentio per triduum vel quatriduum cõtinuò & mane adhibita. Exempli gratia ℞. syr. de absinth. ℥ j. aqu. menth. vel hyssop. ℥ ij. corallinæ vel cornu ceruini ʒ ß fiat potio hyemalis. vel syr. eiusdẽ synceri ℥ j. exhibeatur. At verò tẽpore æstiuo, præscribatur in hunc modum.

℞. aquæ portul. ℥ j. vel ij. succi mali limonij ℥ ß olei rosati ʒ ij. cornu ceruini ℈ j. agitentur & dentur mane.

Pharmaciæ purgantis materia sunt medicamenta phlegmagoga aut eccoprotica tantum, ita indicãte vermium sede vicina: Talia sunt aloe & quæ inde prostant pilulæ & confectio rhabarb. agaricus, senna vel puluere vel diluto cõueniẽti: At vehemẽtissima

tiſſima illa ſcammoniũ, colocynthis, ſuccus ireos pueris infeſtiſſima ſunt, tantumque adultis & robuſtioribus naturis idonea.

Cogendi ſunt pueri vt aſſumant neque reuomant medicamenta, diductis dentibus, & immiſſo cornu argẽtato, per cuius cauitatẽ liquor infundatur: & deficiente cornu, cum melle aut ſaccharo aut lacte mixtus puluis idoneus iiſdem exhibeatur, vel denique ventri tantum imponantur vnguenta, olea, cataplaſmata, ſubiectis interim clyſteribus dulcioribus.

Curatio.

VErmes, res ſcilicet cõtra naturam & cauſa cõtinens prædictorum morborum ſui ablationem indicant: ſed poſt præparationem tantùm, per medicamenta alterantia vel calida vt amara, acria, ſalſa: aut frigida, vt acerba, acida, auſtera: vtrumque enim genus vermes hebetat, vt medicamento purganti facilius cedant, aut ad ſedem promptius impellantur: vel quòd illa quorum meminimus, eſculenta non ſunt, ideoque fame vermes perimant: vel quia receſſu ſuo immodico à temperie & calore viuentium animalium lethifera ſunt: & præterea pituitam excrementitiam craſſam lentamque ex qua vermes geniti ſunt & aluntur, attenuant, abſtergent, & exſiccant, vt aut conſumatur aut facilius ſimul cum vermibus necatis expellatur, qui alioquin viui & grandiores medicamenti purgãtis tędio irritati inteſtina ipſa crudelius feriant, aut obnitentes appetant partes ſublimiores.

Eſt autem præparantium iſtorum genus duplex: vnum ſimplicium, alterum compoſitorum.

Simplicia calida acria & amara fere hæc præcipua sunt, radix aristoloch. rotundæ, enulæ camp. gentianæ, raphani, zedoariæ, cortex mori, lignum guaiacinum, absinthium, tanacetum, abrotanum, mentastrum, calamintha, orig. hyssop. ruta, agrimon. chelidonium maius, scordium, marrubium album, polium montanum, scabiosa, persicaria vtraque, folia persicæ arboris, lupini, melanthij, semen cumini, colocynth. fel taurinum, myrrha, & miraculi instar muscus marinus corallina dicta, seminis etiam nigellæ, apij, nasturtij, erucæ, cardam. securidacæ, absinthij, seriphij, piper. Calida composita sunt interna quidem mithridatium vetus, theriaca, syr. de absynthio, de mentha, de prassio, opiata Salomonis, confectio de hyacintho, emplastrum contra vermes. Frigida simplicia sunt radix graminis, acetosæ, cichorij, lapathi acuti, earumque aquæ stillatitiæ, folia portul. semen plantag. end. cichorij, lactucæ syluestris earumque succi & aquæ stillatitiæ, acetum, omphacium, acetosa, mali citrij, limonij, & aurancij succus: omnia denique acida. Frigida composita sunt, syr. de cichorio, de agresta, de limonibus, de acetositate citri, de granatis acidis, acetosus simplex, oxysaccharum simplex, oxymel simplex & compositum, scylla, syrupi de cichor. & de fumaria. Sunt præterea alia duo genera, vnum lenientium lubricantium vias, vermesque suffocantium, vt oleum rosat. omphacinum, decoctum sebesten: alterum quod proprietate totoque temperamento & antipathia deleteria vermes enecat. Eiusmodi est cornu cerui, rhinocerotis,

astraga-

astragalus bouis,lûbrici terreni & humani vsti,coralliũ,medulla cerui perinæo,lũbis & vẽtri iniũcta.

Ex simplicibus omnium generum formulæ concinnantur remediorum,tum internorum,vt apozematum, puluerum, electariorum dulcium & durorum,& aquarum:tũ externorum vt linimentorũ, vnguentorũ, cataplasmatum & emplastrorũ.Porro calida efficaciora sunt vbi febris abest, qua vrgente frigida tutiora. Quod si iuncta sit lienteria, pauca astringentia miscebuntur,quale decoctum est plantaginis & portulacæ in brodio, puluis lumbricorũ cum melle, vel aqua portulacæ:foris vero bolus armena,cortex mali granati,balaustia,magmatis rhei puluis & similium.

Quantitas remediorum indicatur,tum à granditate vermium, tum ab eorum situ.Lato igitur vermi ob granditatem & repugnantiam vehementia: Ascaridibus vehementissima interna externaque ob distantiam: tum quod eorũ ascensus & excandescẽtia non metuatur. Teretibus mediocria omnia cõueniunt:neque sine dulcium permistione, plurium quidem in assumendis, pauciorum in submittendis. Vtendi tempus erit dum vermes enecari & hebetari possunt,idque bis quotidie, ieiuno ventriculo,mane & vesperi,circiter prãdiũ.Forma internorũ liquida fere erit,vt iuleporum,puluerum& opiatarũ dissolutarũ in conuenienti liquore.Externa erunt fotus,embrochatio & suppositorium: prius enim necandi quam expellendi.

Regio denique assumendorum & immittendorum eadem est in omnibus os & podex.In lato quidem verme par est commoditas vtriusque partis.In ascaridibus potius per podicem. In teretibus per os

vſurpantur.In omni denique ſpecie ventri & podici commode applicantur: ventri quidem ad vmbilicum, tum vnguenti, tum cataplaſmatis & emplaſtri ſpecie, ſi teretes ſint moleſti, aut etiam tæniæ, qui cum firmius adhæreant vehementiora deſiderāt intus foriſque. Aſcarides requirunt ſuppoſitoria ex veteri lardo in podicē immiſſo cū filo pendēte & ſępe repetēdo:hoc enim vermes vehemēti' delectat, idcóq; ſequūtur. Sic goſſipij lanugo melle lacteq; imbuta & immiſſa aſcarides ſecū deducit.

Purgantium materia & vſus ante expoſita ſunt in præſeruatione, vbi prætermiſſi ſūt ſcopi tres vel potius indicationes, vt pote pueris & ſenibus minus vehemētia, tantumque aſcaridibus & lato vermi neceſſaria eſſe, vt ſcammonium & colocynthidem, ſingula ad gr.iiij.vel vj. Nā teretes viui mortuiq; tutius eccoproticis & lenioribus medicamentis cum phlegmate excludūtur, quibus dulcia quædam ſemper permiſcenda ſunt: nunquam in aſcaridibus, neque in tænia, quibus amariſſima & acerrima tantum aptanda ſunt. Clyſteres quoque vtriſque acerrimi conueniunt, vt ex ſola muria aut amurca vel ex decocto praſſij, abſinthij, centaurij in lixiuio: ſed dulces in teretibus euocandis præſtant, interim dū necantur, viuiq; tamen adhuc ſunt, vt alliciantur deorſum. Poſt excluſos vermes roborādis inteſtinis incumbendum eſt, per medicamenta frigida & aſtringentia, tum ore tum ano recepta ad tollendam intemperiem calidam à dolore, & ad laxitatem & ſolutionem conſtringendam. Exhibebuntur autem iuleporum & ſyrupor.ſpecie.

Hactenus vermiū curatiua methodus & curationis materia expoſita ſit, ex qua remediorū interio-

rum

rum& externorũ formulæ concinnari à medico perito possint, quas de industria omisimus breuioris compendij causa.

De stranguria.

MIctionis sicuti alterius cuiuslibet functionis tria sunt symptomata, ischuria abolitio, dysuria diminutio, stranguria deprauatio. Per ischuriam vrina omnino supprimitur: per dysuriam minuitur,& cum difficultate quadam magnoq; conatu, aliquando etiã dolore, vrina redditur: per stranguriam guttatim & maturius quam pro consuetudine parumq; & frequenter, atque cum dolore redditur. Hinc stranguria stillicidium vrinæ Latinè vertitur. Porro ischuriæ causa, affectus est vel vesicæ ipsius, vel ceruicis eiusdem: Vesicæ quidem aut repletio immodica vrinæ per meiẽdi obliuionem collectæ, aut intemperies, eaque vel frigida, vt à natatione in gelida, destillatione à cerebro in spinam, & os sacrum, vnde paralysis hebesque sensus ipsius vesicæ, vt non sentiat quantitatis molestiam: vel calida siccaque, vt per febres ardentes, vnde retentrix roboratur expultrice debilitata. Fit etiã paralysis vesicæ ab ictu, casu, contusione lumborum aut luxatione vertebræ. Ceruicis vesicæ affectus, est obstructio eius à lapide grandiori vel minori, à pituita multa & mucosa, ab arenis multis. Vrethræ, hoc est meatus vrinarij, morbi sunt astrictio & obstructio: Hæc quidem fit à tuberculo vel caruncula genita post vlcus relictum per gonorrhœam virulentam, vel per difficilem scabri grãdisque lapidis descensum, vel ab arena & lapillo intus hęrente. Illa nascitur à tumore ingẽti vicinarũ partiũ, vt phlegmone, scirrho, vteri, recti intestini,

parastatarum aqua oppletarum (vt in meo socero Iacobo Dauide iurisperitorum sapientissimo & æquissimo videre mihi contigit, victis nostris præsidiis.) Dysuria ab iisdem omnino causis, sed leuioribus nascitur, nisi quod cum dolore est, vlceratione & inflammatione. Stranguria aliàs à debilitate retẽtricis facultatis & laxitate sphincteris, tum secundum naturam, vt in senibus, puerulis & fœminis grandioribus, tum præter naturam ex robore & irritatione expultricis facultatis, idq; vel ex acrimonia vrinæ ob mixtã bilem flauam, pituitam salsam, & pus acre, vel ex lapide ceruicem vesicæ vellicante, vel ex vlceratione ceruicis vesicæ & vicinarum partium, vt vteri phlegmone.

Prognosticum.

ISchuria & dysuria ab obstructione pueris sæpe infensa est ob voracitatẽ & importunas exercitationes: ab intemperię & paralysi rarior, sicuti à repletione. Stranguria pueris ex facultatis expultricis irritatione ab humore acri aut à lapide rarior est: ab intemperie humida frequentior. Quæ ab ætate senili est, incurabilis est: quæ à iuuenili, à natura sanatur, sicuti & quæ à grauiditate est. Quæ ab humidiori intemperie est interiectarum ætatum, curatione eget: primùm quidem per victum calidum siccumque & parum astringentem atque frugalem, qui scilicet vrinæ copiam somnique profunditatem & longinquitatem minuat. Sit ergo panis aniso conditus, carnes recentes tostæ, caryophyll. vel cinnamomo confixæ: esitentur cũ condimentis calidis & aromatis. Vinũ rubrum, crassum, bibatur (bibacitate vitata) pomaciũ, pyracium, aqua sola, vina alba,

alba,aquosa,tenuia,aut minus lymphata fugiantur, sicuti & omnes fructus horæi,vernique,vel diuretici,vt peponum,melonum,cucurbitę,citruli,carnes eorumque semina,radices apij,petrosi fœniculi,tãtumque autumnales vsurpentur, vt corna, mespila, castaneæ, auellanæ & amygdalæ tostæ, mala cotonea,cortex mali citrij & arancij saccharati: pulueres digestiui vltima mensa. Denique coercenda est somnolentia vigiliis & aliquando verberibus, deinde intemperiei humidioris medicamentosa curatio inchoanda est, à causæ antecedentis, id est ab humoris pituitosi vacuatione,per deiectoria medicamenta & hidrotica(vomitoria enim raro hanc ætatem decẽt:phlebotomia certe in hac specie nunquam.) Porro deiectoria sunt phlegmagoga pluribus ante exemplis exposita. hidrotica constent decocto radicis chynæ, salsæ parillæ,& ligni sassafras, saccharo & cinnamomo cõdito ad voluptatẽ vtentis.Quod si hidrotica respuat,eorum loco electaria & pulueres siccantes & sine sensu digerentes amplectatur.Talia sunt theriaca,mithridat.ad ʒ j.quotidie mane cum vino rubro epota: Talis est conditura sequens.

℞ conseru.flor. saluiæ & stœchad. & cymarum absinthij pontici ana ℥ j ß conditura cortic. citri & zinzib. viridis ana ℥ ß myrobalanor. & nucum iuglandium conditarum & carnis cydonior.saccharatæ ana ʒ ij cinnamomi,caryophyll. fimi columbini & mac.ana ʒ j cum syrupo conseru. cortic.citri, fiat opiata, capiat ʒ iij cum vino diluto aqua saluiæ,vel melissæ.

℞ radic.cyperi,galangæ, bistortæ, tormentillæ, an.ʒ ij cerebri & renũ leporis vstorum,membranæ

interiores castanearum & glandium assatarum ana ʒ j ß seminis apij & tad. pyrethri ana ʒ j testarum amygd.dulc. & auellanar. nucis moschatæ & macis ana ʒ ß fiat puluis, excipiatur melle, fiatq; opiata, de qua capiat ʒ ij singulis diebus horis tribus ante pastus cum vino rubro. Ex eodem puluere excepto saccharo rof. fiant tabell. ponderis ʒ iij quibus vtatur vt supra. Confert etiam aqua stillatitia sorborum, vel consolidæ mediæ, vel malorum granatorum recentium & integrorum contusorum expressus succus quotidie mane ad ℥ iiij. Interea internis remediis humidior ceruicis vesicę intemperies oppugnatur. Eadem topicis roborantibus calid. sicciśque & astringentibus profliganda est.

℞ radic. bistortæ & cortic. ligni guaiacini ana quart. j. foliorum absinth. abrotani, saluiæ, tanaceti, consolidæ maioris, summitat. oleastri, lentisci, rubi & sumach ana m. j. nucum cupressi, balaustior. gallar. & calycum glãdium ana ℥ j flor. stœchad. vtriusque, salu. ana p. j. aluminis quartar. j. coquantur in lixiuio cineris sarmentorum vitis, addendo post coctionem vini rubri tortiui partem quartam. hoc decocto spõgiis excepto foueatur regio perinæi & pubis quotidie bis aut ter per horam integram.

℞ olei omphacini, laurini & nardini an. ℥. ij. olei de spica ℥ j mastichis, charabes & corticis thuris ana ʒ ij boli armenę, sanguinis draconis, lapidis hęmatitis, castorei ana ʒ j fimi columb. ℈ iiij zinzib. cinnamom. & caryophyll. ana ʒ ß cum cera alba fiat vnguentum applicãdum cum pauca aqua stillatitia vini post fotum eidem regioni.

℞ rad. cyperi & galangæ ana ℥ j foliorum absinthij, saluiæ, mentastri, verbenæ, caudæ equinæ ana m. j.

m.j. nucum & corticum cupressi, balaustiorum & seminis anisi ana ℥ ß decoquātur in aqua fabrorum & in colat. ℔ j dissolue mastichis & thuris torrefacti myrtillor. ana ʒ ij vini rubri & austeri ℔ ß. fiat clyster, retineatur diutissime, semel in die.

Postquam per decem vel quindecim dies ista topica celebrarit, tum iisdem omissis emplastrum sequens eidem regioni applicetur.

℞ ol. omphac. & myrtini ana quart. j. mastichis, corticis thuris, acaciæ & hypocystid. boli armenæ & radic. bistortæ ana ʒ ij radic. cyperi, galangæ, zinzib. & caryophyll. ana ʒ ß picis naualis ℥ ß moschi optimi ℈ ß fiat emplastrum: extendatur super alutam adinouendum eidem regioni, & continenter gestandum. Reliquæ causæ stranguriæ, vt acrimonia vrinæ, vlcus vesicæ & ceruicis eiusdem, phlegmone alicuius vicinarum vesicæ partium vt vteri, recti intestini, quòd à pueritia sint alienissimæ, idcirco in hoc compendio iure omittuntur, vt deinceps de ischuria & dysuria breuiter trāsigatur, quarum omissis pariter & neglectis reliquis causis, in vnam obstructionis, repletionis, intemperiei & paralyseos sphincteris vesicę curationē incumbemus.

Curatio ischuriæ & dysuriæ.

Repletio immodica vesicæ, quæ ab obliuione meiendi est, neq; ab humoris vitio nata, primū emollitione & relaxatione sphincteris nimiū constricti eget, idq; per clysterem, fotum, insessum, litū, vnguentum & cataplasma, à quibus omnibus sphincter laxat' ad profundēdā vrinā dehiscat. Ergo clysteris materia vel solo oleo simplici cōstet (eductis primū balano acriori fæcib. ex diutina mora durio-

ribus) vel decocto communi & butyri recentis, axungiæ alicuius insulsæ & olei liliacei dissolutione ana ad quart.ß. cum ℥ ij medull. cassiæ. Ex eodem clysteris decocto, fotus pubis, perinęi, & inguinum, semicupium & insessus comparentur. Litus fiet ex oleo liliaceo, amyg. dulcium, catellor. cum momento ceræ nouæ & luteæ, quibus si iungatur butyrum, adipes gallinę, anseris & anatis, cuniculi, cum mucilaginib. seminis lini & althęæ extractis ex decocto ficuum & cera noua, vnguentum concinnabitur. Sicuti ex tusa cribrataque decoctionis prędictę materia, & admixtis prædictis axungiis, butyro, cassiæ medulla, mucilaginibus & oleis cataplasma accommodatissimum fiet. Laxato & emollito sphinctere manuum leui compressione, vrina exprimenda est, ac denique cathetere immisso foras prouocanda, immissoque in glandis foramen vel pediculo vel grano salis vel raphani succo proritanda.

Ischuria à paralysi quam induxit intemperies frigidior, id est à natatione in aqua gelida, aut simili caussa, vel ex destillatione cerebri in lumbos, & os sacrum (sæpe enim vesicæ neruuli integris & intactis sphincteris motoribus neruis ita resoluuntur, vt sensus vesicæ omnis hebetetur, neque opprimentis copiosæ vrinæ sarcinam persentiat) continuo post clysterem acrem, validamque purgationem aliquam, & hidroticum poculum plurium dierum, topicis calidis & digerentibus oppugnabitur fotibus, scilicet litibus, vnguentis, emplastris regioni ossis sacri, & perinæi, & inguinum, & pubis admouendis: quæ enim paralysis ab ictu est, casu & luxatione vertebræ orta in pueris rarior est, & ab

hoc

hoc compendio remouenda.

℞ radic. enulæ camp. & pœoniæ ana ℔ j folior. orig. calaminth. pulegij, absinthij, sambuci, saluiæ, summitatum lauri, hederæ, sabinæ, rorismar. & lauendulæ, folior. cressonis, berulæ, vrticæ ana m. ij baccarum lauri, iuniperi contusarum, florum chamæm. stœchad. vtriusque & centaurij minoris, saluiæ & anthi. ana pug. ij decoquantur, deinde cape de colatura ℔ j in qua dissolue mellis anthos. & olei rutacei & irini ana ℥ ij benedictæ laxatiuæ & hieræ picræ ana ℥ j fiat clyster iniiciatur. Similis est facultas eius qui constat vino decoctionis folior. saluiæ, baccar. lauri & flor. iuniperi vel ex tenui lixiuio sarmentitio & fermento veteri ad ℥ iij dissoluto.

℞ elect. diaphœnic. ʒ vj hieræ picræ ʒ ij fiat bolus. vel ℞ terebinthinæ Venetæ ℥ ß benedictæ laxat. ʒ iij misce, capiat mane cum custodia.

℞ huiusce decocti ʒ partes tres, vini generosi partem vnam, ex mixtis foueatur regio vesicæ perinæi inguinum imi ventris & ossis sacri cum lana, filtris aut spongiis imbutis ter aut quater in die, & per horam singulis vicibus. A fotu, cataplasmate ex magmate decoctionis frixo cum oleo rutaceo vel contuso cribratoque additis vnguentis arego, martiato, pulueribus baccarum lauri, iuniperi, cumini cum oleo rutaceo, laurino, costino & de castoreo, partes eædem muniendæ sunt.

Ex iisdem oleis cum ceræ nouæ momento fiat litus, & vnguentum, additis præterea pulueribus idoneis, vt baccarum lauri, iuniperi, cardamomi maioris euphorbij. Interea morbus quoq; oppugnandus est potionibus medicatis vt aquæ stillatitiæ vini aut eius

quæ cœlestis & imperatoria vulgo vocatur: electariis præterea, tum mollibus vt theriaca & mithridatio veteri: tum solidis vt aromatico rosato, diagalanga &c. Intemperies autem siccior & calidior ex ardore febris continuæ cõtracta, curatur topicis emollientibus & laxantib. antea descriptis in repletione vesicæ curanda, dummodo illorum speciebus omnib. refrigerãtia quędam sine astrictione permisceantur, vt clysteribus tres flores communes, & in dissolutione oleum viol. rosat. nenuphar. In litib. & vnguentis, tum olea illa, tum mucilagines seminis psyllij, cidoniorum cum cera alba. Denique euulsiones quatuor seminum frigidorum maiorum, hordeata, amygdalata, pullorum iuscula herbis frigidis alterata, pruna, pyra, malaque cocta plurimum conducant.

Obstructionem à crassa lentaque pituita, vel ceruici vesicæ hærente, vel in capacitate eiusdem vrinæ permixta, expedient, intus quidem clyster detergens, attenuans, calfaciens modicè siccansque (hæc enim est humoris, id est causæ continentis indicatio vt ita subactus facilius prodeat:) purgatio phlegmagoga, iulepi, aquę, electaria eadem facultate: foris fotus, vnguenta, litus, cataplasmata, balnea.

℞ rad. brion. cucum. agrest. & enul. camp. ana ℥ ij folior. orig. calaminth. absinth. berulæ, cressonis, vrticæ, saxifrag. ana m. j seminis cumini ℥ j flor. genistæ & centaurij minoris ana p. j. decoquantur & in col. ℔ j ß dissolue mellis mercurial. ol. anethini & rutacei ana ℥ ij bened. laxat. & hieræ picræ ana ℥ ß fiat clyster. Potio phlegmagoga fit ex infusione fol. sennæ ʒ iij agar. trochiscati ʒ j in aqua betonicæ & in expresso, dissolutione elect. diaphœn.

phœn. ʒ iij mell. rosati ℥ ß. Bolus quoque fit eiusmodi loco potionis.

♃ elect. diaph. ℥ ß hier. picr. ʒ ij cum puluer. ducis fiat bolus, vel

♃ therebinth. Venetæ lotæque cum aqua scabiosæ ℥ ß benedict. laxatiuæ ʒ ij misce & fiat bolus.

♃ syr. de quinque radic. mell. rosati col. & oxymelitis scyllitici ana ℥ ij cum aquis beton. melissæ ad ℔ j vel cum decocto foliorum hyssopi, satureiæ, cicer. rub. seminis apij vel petros. & florum genistæ, fiant iulepi. Iuleporum vires assequuntur, apozemata ex eadem materia decocta dissolutaque, sicuti & electaria, tum mollia vt mithridatium vetus, theriaca per se deuorata vel in potione cum vino albo transglutita: tum dura vt diagalanga & trochisci de capparib. tum aquæ stillatitiæ, Eiusmodi est hæc:

♃ rad. ononidis in fine autumni vel initio veris collectę ℔ iiij. infunde in ℔ viij. vini albi generosi & destillentur. aqua stillatitia seruetur in vsum: tum puluis vt

♃ rad. ononid. ℔ ij pulueretur & cribretur, deinde adde sacchari cand. quart. j liquiritiæ & cinnam. ana quart. ß fiat puluis, capiat ʒ j mane & vesperi, horis duabus ante pastus cum vino albo & tenui diluto aqua prædicta in plures dies, donec mictio expediatur. Omnium efficacissima est aqua terebinthinæ destillata cum foliis buglossi borraginis acetosæ capillor. veneris. Dum autem internis hisce præsidiis obstructionis causam, id est pituitæ crassitiem lentorémque medicus tergendo & dissecãdo aggredietur, externis quoq; topicis simili facultate valẽtibus eandẽ oppugnabit. Tale est istud.

℞ rad. eryng. ononidis enul. camp. & brioniæ ana ℔ ß fol. verbenæ parietariæ, betæ, mercurial. absinth. cressonis, berulæ, vrticæ, summitatum fœniculi & petrosl. ana m.j. seminis cumini, baccar. iuniperi, seminis lithospermi ana quart. ß flor. genistæ chamæm. ana pug.j. fiat decoctio addendo sub finem eius partibus tribus partem vnam vini. vtatur pro clystere vt antea pro fotu & insessu vel semicupio. Ex magmate quoq. tuso cretoque fiat cataplasma additis oleis scorpionum amygdal. amararum, axung. gallinaceæ & cuniculi, seminis lithospermi, raphani, cumini, quod regioni prędictæ admoueatur. Fiet quoque ex radic. coctis raphani, vrticæ, petrosel. & cum vino & oleo frixis & appositis. Iniectio quoque in mentulam per siphonen facta vel oxymelitis simplicis, vel scillitici, vel per se, vel aqua fœniculi & ononidis diluti, tenuando tergendoque mucori plurimum prosit, quem mox admissus catheter foras euocet: similis est petrolei facultas, succi raphani, olei scorpionum, stercoris columbini diluti in lixiuio sarmentorum: titillatio quoque glandis indito in eius foramen grano salis aut cimice, aut pediculo, vel allij caput, aut radix raphani eidem glandi admota, vel denique suctus penis mictionem prouocat, pituitamque hærentem foras protrahit. Obstructionem à grandiori lapide, succussatio corporis sublatis clunibus curat: sed minorem solus catheter dimouet à vesicæ meatu, cui insertus est (de propria lapidis curatione antea actum fuit). Quæ à grumo est obstructio, vt post ictum casumque, dissolutione grumi primùm eget per incidentia tenuantiaque, tum immittenda tum admouenda, quæ mox exponebantur, neque diutius

in

in vesica sinendus, est ne putredine sua lipothymias asphyxias, mortemque tãdem accersat. Obstructio meatus vrinarij à tuberculis, sicuti astrictio à vicinarum partium tumoribus, quod in pueritiam rarissimè incidant, iure à nobis neglecta videntur.

De strumis.

STrumæ sunt ex tumorum frigidorum genere quos vulgaris chirurgia phlegmaticas excrescentias vocat. Illæ autem nihil aliud quàm adenes sunt indurati, propriaque cystide seu membranea vt steatoma & atheroma conclusi, & in collo pręcipuè, alis & inguinibus sparsi, quibus partibus ad vasorum reductiones & stabilimentum adenes frequentissimi conditi sunt: plerumque tamen oriuntur in anteriori ceruicis parte, aut in altera, aut vtrinq; vna vel plures. Strumæ latinis, græcis χοιράδες id est scrophæ vel sues dictæ sunt vel à similitudine symptomatis, quòd sues etiam colla gerant glandulosa & strumosa, vel à similitudine partus multiplicis, cùm earum in collo longa series disposita sæpe cernatur.

Differunt à glandulis tenuioribus pariter phlegmaticis & à partium subiectarum nomine vocatis, substantiæ suæ duritie non resolubili & insuppurabili, pituitæ scilicet gipseę cõcretæque & verè scirrhosæ, cùm glandulæ ipsæ minus inueteratæ & ex pituita magis conflatæ digeri & dissipari, atque adeo suppurari aliquando possint. Vtriusque affectus vel tumoris causa externa est, pueris fere intemperans prauaque viuẽdi ratio & cœlum humidius. Interna & antecedens sunt humores frigidi crudiq; & pituitosi, toto corpore & pręsertim puerorũ capite humidissimo redũdãtes, ex cuius regio-

ne externa in adenes ceruicis defluunt molliores & fluxionibus excipiendis opportunos, vbi sensim & sine sensu digesti caloris vi, partium concretione in scirrhum obdurantur. Causa continens glandularum est pituita serosa, liquidior, recenti fluxione congesta: strumarum verò gipsea & durissima & iamdudum collecta. Vtraque tamen, aliàs pura est, aliàs mixta cum sanguine simplici vel atrabilario.

Prognostica.

HInc glandularum, aliæ resolubiles sunt, aliæ etiam suppurabiles facta sanguinis & caloris accessione. Sic ex strumis, quædam sunt simplices, quædam compositæ ex mixto sero pituitoso, biliosoque: vnde etiam aliquando vlceratæ euadunt, vlcere maligno serpente, sæpe etiam cancroso subsequente. Cystidis siue pelliculæ obuoluẽtis, signum est mobilitas & à circumpositis partibus separatio. Contra stabilitas & ad cutem carnemque adhæsio. Alia prognostica ex differentiis strumarum ducuntur, vt à tempore, substantia & subiecto: recentes enim mollesque vt glandulæ sunt resolubiles: duræ & iuncturatæ vt strumæ nequaquam. Rubræ calidæque & dolentes sunt suppurabiles, nisi ad cancrum vergant. Strumæ externæ locoque mutabiles, si plures sint, internarum soboles sunt, ideoque incurabiles per externa topica.

Pueri propter voracitatem & habitus raritatem strumis freqnentius fatigantur: Senes ob contrarias causas rarius. Interiectæ ętates, aliquando ex eodem victus errore, & aquarum montanarum quę crudæ sunt quotidiana potione iisdẽ obnoxię sũt. Qui breui angustaque sunt frõte, cõpressis lateribus capitis,

&

& maxillis amplis sunt obnoxij strumis:illis enim ob loci in cerebro angustiam promptius pituita ad collum deriuatur. Strumæ curatu difficillimæ sunt, cùm neque digestione neque suppuratione exolescant:sed excisione vstioneue sola,propter vasorum insignium neruorumque recurrẽtium vicinitatem periculosissima,cuíque lethalis sæpe hæmorrhagia, aut aphonia,morsq; succedere solet. Aliæ sunt strumarum differentiæ magis propriæ,à quibus etiam earundem euentus & medicorum indicia commutantur. Aliæ enim à magnitudine desumuntur,vnde maiores ægrius quàm minores curari statuuntur. Aliæ à natura,vnde simplices facilius,quàm inflammatæ, cancrosæ nunquam curãtur. Aliæ à loco,vnde superficiariæ faciliùs quam profundæ, deinde in collo, quàm in aliis emũctoriis curationem admittunt. Aliæ denique à numero: sic pauciores facilius quàm plures.denique ab ortu: vnde suspensæ faciliùs quàm insertæ & implicatæ sanantur.

Curatio.

CVrationis strumarum præsertim blandarum, superficialium,& sanabiliũ,primũ instrumentũm est diætę genus euchymum,tenue & attenuans, calidũ siccũque modicè.Hoc enim morbus eiusque causa indicat,ne vberius in corpore colligatur.

Alterum instrumentum est pharmacia vacuans & alterans,quę indicatur à cacochymia illa causaq; antecedẽte,& quidem multiplex, nempe purgatio, mictio,sudatio:deinde attenuatio & detersio.Purgatio igitur phlegmagoga esto, qualis est ex puluere Auicẽnę ad ℥ ij.vel ℥ j ß.pro singulis dosibus cũ pauco hydromelite,qui puluis recipit turbith optimi,

zinziberis, hermodactylorum, diacrydij & sacchari ana partes æquales. Talis est hiera picra, benedicta laxatiua, diaphœnic. diacarthamũ, pillulę coccię de agarico, & de hermodactylis maiores. Huius familiæ sunt agaricus, senna, turbith, hermodactyli, aloe & colocynthis, quorum omniũ iusta frequensque dosis vt syrupi laxantis specie, & per singulas hebdomadas verno præsertim & autumnali tempore decernenda est, vt per epicrasim cacochymia illa penitus exhauriatur. Vomitio quoque à cœna semel aut bis in hebdomade aptissima est. Interea coquetur materia & eductioni comparabitur hydromelitis matutina & quotidiana potione, iulepi instar, in quo folia hyssopi, satureię, & origani, calaminthæ cum semine anisi & coriandri præparati coxerint, mixto pauco cinnamomo. Atque dum sic ex toto corpore mucosa pituita sensim detrahetur, eadem matutinis & vespertinis pastus horis ex capite commodissimè deriuabitur apophlegmatismis & errhinis, phœnigmis collo, & occipiti appositis, cauterio denique alterutri bracchio, aut vtrique, aut potius ceruici infixo: crebra denique capitis rasione fricationeque, ac tandem cucupharum quæ puluere cephalico constent gestatione.

Altera eiusdem antecedentis causæ vacuatio idonea fiet per phlebotomiam, siquidem plethora iuncta sit, neque tenella nimis ætas dissuadeat.

Tertia vacuationis species aptissima est sudatio, quæ tum præcordia, tum habitum reliquiis humoris excrementitij exhauriat. Est autem hidrotica potio instituenda, ex salsæ parillæ, ligni sassafras, & radio chynæ, omnium scilicet

vel

vel singularum decocto exhibito per spatium quindecim vel decem dierum.

Quarta vacuationis species est mictio prouocata vel puluere vel aqua stillatitia sequenti.

℞ cortic. rad. capparum ℥ ß seminum apij petros. fœniculi, carui, cinnam. & liquiritię ana ʒ ij cicadar. vel grillorum vstorum ℈ iiij misce, detur ʒ j cum cochlearibus duobus vini albi diluti aqua stillatitia fœniculi vel sequenti.

℞ rad. quinque apertiuarum ℔ j cortic. rad. capp. ℥ ij folior. scrophularię, pimpinellę, filipend. pilosellę ana m. j seminis apij petros. spicę nardi ana ʒ ij infundatur in ℔ iiij vini albi, clari, & tenuis per spatium viginti quatuor horarũ super cineres calidos: deinde destillentur ex alembico vitreo: aqua stillatitia saccharo & cinnamomo condiatur, eiusque quotidie mane ℥ iiij propinentur.

Quinta vacuationis species est coniunctę materię per topica emollientia & digerentia, quale est emplastrum de mucilaginib. ceroneum, diachylum ireatum, & pręsertim Ioannis de Vigo cum mercurio emplastrum efficacissimũ. Similia topica ex tẽpore à perito medico concinnabuntur. Quod si frigidior duriorque materia contumaciùs digestioni repugnet, iisdem topicis paulo calidioribus ad suppurationem ducitur, cui si neq; locus sit, ad ferrum & ignem recurrendum est. Incidenda itaque cutis recta quidem in collo: transuersa verò in alis & inguinibus ob rugas cutis, idque vel vniuersim vel partitè pro magnitudine maiori vel minori strumę; deinde diductis vulneris labris à vasis & membranis vel capulo scalpri, vel gladio ligneo, struma separabitur: atque tum demum cum sua cy-

ſtide excindetur, aut ſi forte vaſis maioribus innexa ſit, funiculo reuincta eius radix computreſcet, vt ſenſim tabefacta decidat. Quod ſi diuulſis minoribus vaſis modica hæmorrhagia inciderit, ea quidem medicamentis ſiccantibus aſtringentibus & agglutinantibus ſiſtenda eſt, vt puluere rubro cum albumine oui, & ſtupis, oxycrato imbutis: Profuſiorem autem hęmorrhagiam vinculo iniecto extremis baſis oris comprimi prius decet, deinde vaſis ipſius inter vincula illa inciſione, niſi fortaſſe grandius fuerit.

Vſtio ad immobiles pertinet, prorſuſque venis & arteriis radice lata implicatas: fit autem aperta priùs cute cauſtico impoſito: deinde diuiſo per mediam cruſtam abſceſſu, vſque ad profundiorem eius partem: tum pulueris exedentis & cauſtici tantillo, vt ſublimati linamento penitus immiſſo, vt puta ad grani triticei pondus dimidium: Tandem poſt tres dies, intra quos vim ſuam totam excernit, funditus eximitur, atque eſcharę caſus butyro dulci aut aliquo pingui inſulſo neque rancido procuratur, poſt quem reliquię ſtrumarum ſi quę ſint, eodem aſphodelorum aut ſimili puluere abſumendę ſunt. Relictum vero vlcus aliorum more curandum eſt. Interea autem inter vrendum dolor calorque vicinę partis cum roſaceo vel vnguento populeo ſedandus eſt.

At verò quę tenui radice ſunt & infiltratę ſtrumę & baſi in anguſtum directa, curentur deligatione ſenſim augenda per vinculum ſericeum, donec cum eodem concidant. Quę denique vlceratę ſunt aut vlcerationi proximæ, habentur vt incurabiles,

aut

aut ad cancri vlcerati integriue therapeiam relegantur.

De phymate.

Φῦμα generali vna significatione quoslibet tumores cõtinet, calidos, frigidos, latos, acutos, molles, duros in quacunq; corporis parte, extra superficiem extuberantes sine causa externa. Ita dicuntur ἀπὸ τοῦ φύεσθαι, quod propriè omnibus sua sponte è terra nascentibus cõuenit. Eiusmodi sunt furunculi, verrucæ, glandulæ, strumæ, atheroma, steatoma, meliceris, ganglia, lupia, testudo, talpa, bronchocele, vel botium. Speciali significatione, phlegmones aduersarum partium sponte sua emergentes citoque augescentes & suppurantes designat. Hoc genus igitur à priori discrepat, materiæ genere & qualitate, quæ illic melancholica est, aut pituitosa: hic sanguinea vel biliosa: item duritie, quæ illic insuppurabilis est. Differt quoque ἀπὸ τοῦ φυγέθλου, quod est earundem partium aduersarum erysipelas, phlegmonodes, ideoque latius instar erysipelatis: sed non altiùs extuberans, neque profundius, vt vera phlegmone, sed carnis tantum aliquid occupans, dolore & distensione magis cruciante quàm magnitudini tumoris conueniat, idque cum pustulis quibusdam, vt in herpete, ob bilis copiam, tardè denique maleque suppurans.

Cæterum posterioris huiusce generis phlegmones bubones vocitantur, vel ab ingenti sua mole, vel à partis laborantis nomine, quo non solùm inguina tametsi frequentissimè: sed axillæ quoque & regio iuxta cubitum designantur. Cùm enim

glandulæ omnes ob insitam substantiæ suæ laxitatem excipiendis fluxionibus tumoribusque opportunæ sint, tum maxime in his partibus, & præsertim inguinibus ob decliuem situm, motumque validum, & redundantem humiditatem ob maiorum vasorum in femora tibias & pedes directionem.

Est autem horum bubonum vel phlegmonarum origo omnino duplex, vna naturalis planeque critica, altera non naturalis, & à causa morbifica euidenti & externa, vt defluxione præ dolore, vlcere, contusione, vulnere, sanguinis fluxum cum spiritu commouente ad partem affectam, quem istis adenũ locis collocatæ glandulæ ad stabilitatem & munimẽtum maiorum vasorum in artus vicinos delatorum intercipiunt, combibuntque, vnde extumescunt. Sic affecto cerebro & dolente capite in collo: sic manu & bracchio, in axillis: sic pede, tibia & femore in inguine glandulæ inflammantur. Aliquando interior latensque ex viscerum intemperie cacochymia in proxima emunctoria decumbit.

Prioris generis phymata, verrucæ, strumæ, satyriasis antea curata sunt: posterioris generis bubones seu phlegmone adenum supersunt.

Prognostica signa.

IN febribus critica periculo vacant, sicuti & quæ à causa externa sunt, tãtumque febres diarias accendant. Quæ ab interna & spontanea fluxione oriuntur, periculosæ sunt, & affectæ principis partis alicuius indices, cuius cacochymia excipitur, eiusque putrescentis vaporis pars ipsa mandans vicissim per refluxum deteriùs afficitur. Illius verò fluxionis

xionis materia vel pestilens est cum vomitione, delirio, vrinis prauis, languido pulsu, lipothymia, carbunculo & bubone, cæterisque febris pestilentis symptomatis: vel est sæpe venenata, vt in morbo Gallico.

Curatio.

PHymata critica curantur sola causæ coniunctæ curatione, nulla antecedentis ratione adhibita. Vacuatio illa primum per digestionem tentetur, mox per suppurationem, siquidem digeri materia præ copia aut lentore aut crassitie nequeat. Digestio quoque, quò vehementior fluxio fuerit, eò lenior comparãda est, ne à calidioribus remediis impensiùs aucta, dolorem, febrem & vigilias ingeminet, robore partis dissoluto: sicuti si tardior parciorque eadem fluxio fuerit, digerentium caliditas & efficacia augeatur, mixta tamen emollitione, quæ omnino modica fiet, ne partem eneruatam laxatamque, commota fluxionis multitudine opprimat: nisi forte durities inuicta dolorque acerbior emollitionem insignem efflagitent.

Exemplum digerentis debilis.

℞. farinæ hordei ℥iiij. coquantur cum hydrelæo, fiat cataplasma: Foueatur quoque pars oleo liliorum, vel chamæmelino, vel irino, vel oleo simplici, in quo parum salis bullierit, & supertegatur lana succida.

Exemplum validioris.

℞. radic. alth. & lilior. ana quart. j. folior. maluæ, violar. origani, calaminthæ, summitatum al-

theæ,ebuli & sambuci an.m.j.flor.chamæ.meliloti, anethi an. p.j. caricarum pinguiũ paria iiij.seminis lini,& cumini ana quar.ß.coquantur: residentia teratur & cribretur, eique cribratæ adde farinæ hordei,lentium & orobi ana ℥ ij axungiæ recentis gallin.anseris & anatis ana ℥ j olei liliorum, anethi, & chamæmelini ana q.s.fiat cataplasma.Similis est facultas emplastri diachylonis ireati,& ceronei,&vnguenti de althæa, & resumptiui. Si dolor ab initio ex calore vrgeat, huic ante digestionem validam leniendo prospiciendum est, addendo primo cataplasmati seminis psyllij &cydonior.mucilagines, aut fotu ex hydrelæo,aut litu ex oleo violar.& lacte mixtis.

Fluxio tardior,euocanda est topicis quidem malacticis seu attrahentibus mixtis:tandem etiam cucurbitula apposita.

℞ gummi ammoniaci, bdellij pinguis & galbani in aqua vitæ dissolutorum ana ℥ j axungiæ cerui vel vituli, styracis liquidæ, stercoris columb.& sulphur.viui ana ℥ ß.mucilag. caricar. pinguium cum decocto flor.chamæmeli & meliloti extracta ℥ ij. olei liliacei & keirini & ceræ citrinæ ana q. s. fiat ceratum. Quòd si fluxio tota in partem excepta digeri non possit: sed obdurescere potius in scirrhum videatur, tum ad malactica efficaciora recurrendum est, à quibus vel digestioni vel suppurationi comparetur. Tale est proximum ceratum, attrahentibus vt stercore columbino & sulphure validioribus subductis. Denique digestione desperata, suppuratio calidis humidisque & emplasticis topicis mouebitur & tetrapharmaco, vel triapharmaco ex farina sincerissima

ſima tritici, oleo & aqua in pultem percoctis, vt

℞ radic. lilior. ſub cineribus coctarum ℥ iij cæparum pariter ſubactarum ℥ iiij. axungiæ porci & gallinæ ℥ ij. croci ʒ ß vitellos ouorum duorum: fiat cataplaſma. Purgato abſceſſu vlcus relictum carne impleatur, tandemque cicatrice obducatur.

Phyma non criticum, ſed ab externa excitatum cauſa dolorem extremis partibus, vt capiti, bracchiis & cruribus inferente, quod genus laſciuientibus, pueris ſæpe moleſtum eſt, vltro citroq; & temerè curſitantibus, prophylaxim in primis exigit, tum per victum tenuem frigidum ſiccumque, tum per doloris in vlcere ſedationem, tum denique per reuulſionem ex purgatione & phlebotomia. Illa quidem leuior ſit, mixtaque ex phlegmagogis & cholagogis, vt rhei & agarici expreſſo cum ſyrupo roſato laxatiuo, eique clyſter mollis & leniens præmittatur. Phlebotomia in grandiori ætate plethoræ, aut ſi hæc abſit doloris modo reſpondeat. In puerili, phlebotomiæ omittendæ vicem multa duraque frictio & arcta deligatio partium aduerſarum: cucurbitulæ quoque ſuppleant cum ſcarificatione, ſi fluxionis impetus & tumoris moles metuatur.

Dolor ſedandus eſt anodynis topicis, vt linimentis, cataplaſmatis, pultibus apponendis, tum ad ſedem affectus cruciantis, tum ad glandulas fluxione appetitas: his tamen anodynis repulſio quædam lenior ab initio, fluxus inhibendi gratia, præponenda eſt, vt ex oleo

rosato,omphacino,myrtino, lentiscino, cui si quid chamæmelini aut liliacei iungatur, topicum euadet partim repellens,roboransque, partim leniens & paregoricum. At ipsi doloris sedi,lenientia sola, olea, vt liliaceum,chamęmelin.sambucinum,catellorum ex lana succida tantisper imponantur,donec delinito dolore,affectus glandularum propria curatione seorsim obliteretur.

Post prophylaxim eiusmodi causæque antecedentis reuulsionem, atque adeo ruentis fluxionis compressionem, tum demum propria curatio inchoanda est vacuatioque causæ coniunctæ, per digerentium & suppurantium remediorum vicissim vsurpandorum formulas ante expositas, ita tamen vt digerentibus prior locus sit, quibus non proficientibus posterior suppurantibus decernatur.

Phyma denique symptomaticum & ab interiori suscitatum cacochymia, siue pestilenti & maligna, siue venenata, idque vel comitante vel subsequente febre putrida, eget quidem prophylaxi ante exposita per victum tenuem,purgationem & phlebotomiam,aut vicariis phlebotomiæ vacuationibus:sed ab omnibus repulsio absit, & astrictio topicorum, non quod criticum sit: sed ob corruptelam amandatæ materiæ,partis principis propinquitatem,vasorumque communiũ amplitudinẽ, per quam regeri in eam possit. Itaque resolutionem solam aut suppurationem post prophylaxim tumor admittit, & cruciantis doloris lenitionem,cunctantisque humoris attractionẽ, sicuti paulo antè exponebatur, expositumque est antea in febrium pestilentium therapeia,quã delibare tãtum mihi hoc loco visum est,quod pueros exercere rarissimè consueuerit.

Quod

Quod autem non à cacochymia, sed à plethora sola sponte expullulauit phyma; id vero post causæ antecedentis reuulsionem, causæ quoque coniunctæ vacuationem, tum per repulsionem primùm, tum deinde per resolutionem, tum postremo per suppurationem insinuat.

Sic ergo colliges

Phymata oriuntur, vel à causa externa dolorifica, vel ab interna vt cacochymia aut plethora. Illa febrem accersunt ephemeram. Hæc aliàs putridam sequuntur, suntque vel critica vel symptomatica, aliàs pręcedunt eandem tanquam morbi. Est autem omnis à phymate febris, excepta ephemera, periculosa ex Hippocrate.

De pernionibus.

HActenus frequentissimos infantiæ & pueritiæ morbos & symptomata grauissima percurauimus ab Hipp. aphor. tribus comprehensa. Supersunt complura alia minus quidem frequentia: sed tamen valde pueris infensa, quorum methodum curatiuam iam iam aggredior.

Perniones frequentes quidem in manuū pedumque digitis: sed in talis vel calcaneis puerorum frequentissimi ab hyberno frigore oriundi, vnde Gr. χίμεθλα ἀπὸ τῦ χειμῶνος, Gallis (les mules) Illi autem inter vlcera Celso numerantur: sæpe tamen tumores sunt cum liuido colore partium laborantium, quibus molestissima vlcera nisi occurratur succedere solent.

Nascuntur verò illi ex sanguine in superficiem partis frigidæ doloris vi à frigore externo vehementi allecto, perfrigerato, tandemque putrefacto

(neque enim extincto calore suo sanguis suppurationem subeat) vt acrimonia sua obsessam partem cutemque erodat & exulceret.

Horum curationis scopi sunt, laxatio densatæ à frigore partis, concretique sanguinis attenuatio, detersio, resolutio. Perfundatur itaque vel foueatur in primis pars aqua simplici, egelida, vel decocto foliorum betæ, maluæ, parietariæ, orig. calaminthæ, flor. chamæmeli, meliloti, sambuci, seminis lini & cumini: mox à fotu vnguentum inducatur huiusmodi.

℞ axungiæ recentis gall. & anseris ana ℥ ij œsipi ℥ j mucilag. seminis lini extractæ cum decocto flor. chamæmel. meliloti, terebinth. & olei chamæm. vel liliac. ana ℥ ij ceræ citrinæ parum, fiat vnguentum. vel

℞ olei anethini, chamæmelini & liliac. ana ℥ ij mucilag. seminis lini & althææ ex aqua lilior. extractæ ℥ iij irid. Florent. ʒ vj seminis cumini ʒ iij cum cera noua fiat vnguentum. vel

℞ mell. opt. ℥ iiij salis vel sulphur. ℥ j misce & imponatur.

Duo hæc vltima validius exsiccant absorbentque ichores, & prohibent partem exulcerari.

Perniones exulcerati curantur topicis mixtis exsiccantibus & suppurantibus (ita indicante vlcere, vlcerisque coniuncta causa, id est sanguine corrupto) quale est vnguentum sequens.

℞ vnguenti tetrapharmaci & vnguenti de minio ana partes æquales misce. vel

℞ olei de semine lini, butyri recentis, pinguedinis porcinæ, seui vitulini ana ℥ j thuris, lithargyri, auri, & argenti ana ʒ ij tuthiæ diligenter præparatę

℥ iiij cum çera alba fiat vnguentum. vel

℞ ol. myrtini ℥ iiij adipis suilli ℥ ij spumæ argenti, & cerusæ lotæ ana ʒ iij cum cera alba fiat vnguentum. vel

℞ mucilag. seminis cydoniorum & tragacanth. ex aqua rosarum extract. ana ℥ j olei ouor. & nenuph. ana quart. ß misce in formam linimenti. Multo plura in fine cap. de adustione addenda sunt.

De intertrigine.

INtertrigines pueris frequentes & molestæ, sunt excoriationes & superficiariæ cuticulæ erasiones, vt ex equitatu duriori, insessu longiori, & scalptu inter dormiendum acriori, in femoribus, cruribus, pedibus manibusque & natibus. Curantur valida siccatione vt ex puluere aspergendo rosar. fol myrti. gallar. balaustior. sanguin. draconis, boli armenæ, terræ sigillatæ.

De fissuris labiorum.

PVerorum labia soluuntur aliquando, finduntur que aut acri vapore nidorosæ cruditatis, corruptique caliditate in ventriculo lactis; aut flatu aquilonio squallidoque musculorum fibras impensiùs siccante & veluti torrente.

Fissuris istis humectantia sola, vel paucis astringentibus mixta medentur. Illius generis sunt olea lini, nucum, de vitellis ouorum, thuris & ceræ nouæ quod Iacob nomine circumfertur, spuma lactis postquam resederit collecta & cum adipe suillo ad ignem in vnguenti speciem subacta. Huius generis est vnguentum hoc.

℞ ol. de ſemine lini ℥ j vitellū oui vnius cum ſuo albumine, lithargyri ʒ ij fiat vnguentum. vel

℞ mucag. ſeminis lini cum decocto florum chamæm. & melil. extractæ ℥ ij butyri recentis vel adipis ſuilli inſulſi ℥ j boli armen. & terræ ſigil. ana ʒ ij ceræ citrinæ q. ſ. fiat ceratum. Hæc eadem ſunt mammarum, talorum & manuum fiſſuris accommodatiſſima remedia. Lamina plumbea per medium diuiſa, iuſſu reginæ Catharinæ de Medicis appoſita labiis fiſſis nobiliſſimæ puellulæ Margaritæ de Monmorantio, noctéſque aliquot geſtata celeriter ea percurauit.

De aduſtione puerorum.

SÆpiſſime flamma, prunis, oleo & aqua feruidis aduri laſciuientibus pueris contingit. Eſt igitur calida intemperies aduſtæ partis in primis ſummouenda, cuius comites ſunt impatibilis cruciatus, febris, vigiliæ, puſtulæ & vlcera. Summouetur autem illa remediis topicis, tum per ſe, tum per accidens contrariis & refrigerantibus. Cuius generis ſunt quæcunque tepido calore cuticulam ab vſtione denſatam laxando empyreuma inuſtamque caliditatem foras reuocant. Huiuſmodi ſunt ignis, vel ipſa flamma ambuſtæ parti proxime admota, fotus ex aqua calida, vel ex oleo rutaceo, quod ex foliis rutæ in aqua & oleo coctis conſtet, vel ex oleo de tartaro: ſambuci & ebuli folia contuſa & tepidè impoſita: item allij porrique illita folia, cepa contuſa eiuſque ſuccus illitus per ſe, vel cum vernicis liquidæ parte dimidia, fricatio partis

partis vstæ cum larido, vel potius cum guttulis laridi antiqui in lamina ferrea candente liquati & in aquam frigidam exceptis. Illius generis sunt frigida omnia, humidaque, non etiam sicca, ne astrictione immodica cutem astringendo empyreuma intus constringant. Eiusmodi sunt oxycratum succi, vel aquæ stillatitiæ semperuiui, vmbil. vener. acetosæ, lenticulæ palustris, lactucæ, oui albumen. Composita sunt, oleum rosatum & myrtinum, vnguentum rosat. populeum, album rhasis, diapompholygos, nutritum, emplastrum de cerusa. Vtraque tantisper applicanda sunt donec calorem alienum omnino obliterent, idque vel frigida actu, vel potius tepida, vt propria & ascititia siue accidentaria refrigerandi facultate empyreuma eliciant extinguantque.

Interim excruciantem dolorem admixto topicis istis opij momento sedare licet. Exempli gratia

℞ olei & aqu.rof.ana ℥j ß albumen oui vnius, commisceantur diligenter & diutius, moxque linteolis infuccatis inducantur.

℞ vnguenti albi,rhasis ℥ iiij aq.& olei rosat. ana partes æquales,fiat vnguentum.

℞ olei rosati ℥ ij olei seminum cucurb. ℥ j ceræ albæ parum,fiat linimentum.

℞ pomatæ ℥ iiij olei rosati ℥ ij fiat vnguentum.

Frigida hæc anodynis & modice calentibus aliquando miscentur. eadem vtilitate, & tepidè admouentur. Tale est vnguentum populeum cum vitellis ouorum subactum.

Simile est vnguentum ex olei rosati ℥ ij vitell. tribus,croci ℈ j vel ex mucilagine seminis cydonio-

rum cum aqua rosat. extracta & olei lini ana ℥ iij. vitellis tribus, ceruſæ ʒ ij. croci ʒ ß cum cera alba. Item ℞. rad. lilij toſtarum, vel cum oleo roſato mixtarum ana q. ſ. vel folia eiuſdem decocta pariterque mixta. Sic ℞. cortic. mediani ſambuci ℥ j. ol. roſ. ℥ ij. maſtiches, thuris ana ʒ j. ceræ albæ ℥ ij. bulliant ſimul in aquæ font. ℔ iiij. ad conſumptionem dimidiæ partis & cum refrixerit, colligatur quod ſupernatabit, & applicetur.

Licet denique puſtularum eruptionem mixtis paucis ſiccantibus remediis, à quibus ichor cuticulam attollens abſorbeatur, opportunè cohibere. In hunc finem

℞. ſucci ſolani & plantag. ana ℥ ij. cortic. mediani ebuli & ſambuci ana ℥ j. olei roſati ℥ ß coquantur in vaſe duplici ad conſumptionem ſuccorum: tum adde ceruſæ aqua roſar. lotæ & lithargyri ana ʒ j. cortic. thuris ℈ iiij. tuthiæ præparatæ ʒ ß axungiæ ſuillæ inſulſæ ℥ ij. albumina ouorum duorum, ceræ albæ parum, fiat vnguentum. Sic

℞. ſucci plantag. & olei roſ. ana ℥ j ß. calcis lotæ in aqua roſar. ʒ ij. miſce. Item ℞. ceruſæ lotæ in aqua roſat. ℥ j. calcis decies lotæ in ſucco ſolani & vnguenti citrini ana ℥ ß mucilag. ſeminis cydoniorum extractæ cum aqua roſar. ℥ iij. ducantur omnia in mortario ad formam linimenti, addendo parum aq. ſolani inter agitandum.

Quod ſi pars aduſta euaſerit iam puſtuloſa aut etiam excoriata: tunc frigidis illis inflammationis remediis ſiccantia validius miſcenda erunt, quæ intemperiem ſimul deleant vlcuſque conglutinent.

nent. Tale est vnguentum album camphoratum, vnguentum de calce, vnguentum diachalciteos, vnguentum de fimo columbino & pauco limeolo combusto, cum oleo rosato subactis. Talia quoque componuntur ex metallicis vstis lotisque, vt cerusa, tuthia, lapide hæmatite, ostreorum cinere. vt.

℞. olei rosati ℥ iij. calcis lotæ ℥ ß cum cera alb. fiat vnguentum. ℞. vnguenti ros. ℥ iiij. cineris sarmentor. vitis & vinaceorum ana ʒ ij. misceantur cum oleo rosato: puluis denique gallarum, sanguinis draconis, folior. myrti aspersus, eiusdem facultatis est.

De casu.

PVeri cursu incessuque temerario & ascēsu præcipiti sæpissime corruunt. Casus autem differentiæ sunt multiplices, tum ex loco ex quo, & in quem fit, vt humili, sublimi, duro, molli, medio: tum ex offensę partis substantia, vel molli, vt ventris, vel dura, vt capitis, crurum, brachiorū, thoracis, spinę: tum denique ex consequentibus affectibus & symptomatis, vt fractura, luxatione, paralysi, contusione, obmutescentia, deliratione, hęmorrhagia interna, externaque. Ab his omnibus casus differentiis indicationes curatiuę variantur. Qui enim humilior leuiorque est in partem locumque mollem & sine alterius affectus implexu, sola sanguinis timore pueri cadentis agitati compressione indiget, vt per potionem aquę frigidę, vel sincerę vel mixtę cum paucissimo aceto, vel cum syrupo de granatis acidis vel myrtini ℥ j. vel ij. Sin sublimior grauiorque casus in quamcunque

partem vel mollem vel duram locumque fuerit, victu primum eget prætenui, frigidoque & sicco, deinde repentina reuulsione sanguinis per suspectā anatomosim, vel potius rhexim venarum, in viscera, aut ventres effluxuri, graui interim & pestifera eorum phlegmone. Reuulsio fiet per frictiones & deligationes aduersarum partiū, vt brachiorū, crurumque, per balanos & enemata acriora, cucurbitulas femoribus, natibus, dorso & scapulis admouendas. Phlebotomiæ autem eximia quidem promptaque ad reuellendum vis est, sed pueritia eius fere incapax est. Eius vicem subeat scarificatio post cucurbitulas.

Postremo confirmanda sunt protinus intus viscera vasaque ne quid sanguinis effluat, astringentibus potionibus vt ex ʒ j. pulueris mummiæ, boli armenæ & terræ sigillatæ cum ℥ iij. aquæ plātagin. vel bursæ pastoris & ℥ j. syrupi de granat. acidis vel de rosis siccis, vel myrtini, vel

℞. rhab. tosti, seminis nasturtij, tosti, terræ sigill. boli armen. an. ʒ j. fiat puluis, detur ʒ j. cum prædictis aquis & syrupis, bis quotidie toto principio, id est per quatuor vel quinque dies primos. Quod si totus habitus grauiter contusus sit, tunc quidem post reuulsionem & corroborationem internarum partium vngendus est oleo rosato vel myrtino, vel omphacino, moxque aspergendus puluere myrtillorum, sandalor. omnium, mastichis, balaustiorum, rosar. vel obuelabitur pelle arietina recenti adhucque calente, eodem puluere imbuta, tantisper dum sudor emanarit: sic enim qui in habitum effluxit digeri, qui fluxurus est supprimi constrictis venulis poterit.

Atque

Atque hæc quidem remedia toto principio, id est quinque aut sex dierum spatio, ex vsu sunt: quibus exactis, iam grumi suspecti sanguinis tenuantibus & tergentibus dissoluendi sunt, vt hoc puluere.

℞.rhab.torrefacti, radic.costi, aristol. rotundæ, rubiæ maioris & centaurij maioris ana ℥ ß fiat puluis, capiat ʒ j. cum syrupi acetosi simplic. ℥ j. aquæ symphyti maioris ℥ iij. fiatque potio, detur sex vel octo diebus perpetuis, mane. vel

℞. vini ℔.j. mell.opt.quart.j.radic.ari, filicis masculæ, & caudæ equinæ ana ℥ ß coquantur omnia simul, diligenter despumando colandoque: dentur quotidie in introitu lecti ℥ iij.vel iiij.

Postremo contusus habitus omni lassitudine & reliquiis sanguinis sub cutem expressi concoctique per stuphas & balnea per triduum iteranda liberabitur, in quibus cum paucis astringentibus ad venularum robur, vt symphyto maiori, plantagine, equiseto, plura digerentia incoxerint, vt absinthium, melissa, orig. calam. saluia, artemisia, cymæ lauri, hederæ, lauendulæ, flor. cham. meliloti & anethi. Eiusdem generis remediorum est si corpus ægri intra fimum equinum calidum condatur, sudoribus abundanter mouendis.

Quod si qua pars durior priuatim læsa sit, sitque contusio modica, hæc quidem sine reuulsione vlla præuia curabitur, primùm astrictione, deinde resolutione. Illa enim clausis venulis sanguinis effluuium cohibet per duos vel tres dies: hæc effluxum dissipat. Astrictionis materia sit vnguentum album rhasis camphora-

tum aut sæpius aceto albo ablutum. Digestionis materia erit cera noua aniso vel cumino mixta, aut frustulum carnium arietinarum tostarum. Si grandior fuerit contusio tumorque inde eminentior, præmissis reuulsionibus prædictis astrictio validior tentanda initio est. vt,

℞. olei rosati & myrtini, vel omphacini ana ℥j ß. pulueris myrtillor. sumach, gallæ, & boli arm. ana ʒ ij. ceræ albę parum, fiat vnguentum. vel

℞. phaseolorum & oryzę ana ℥. j. boli arm. fol. sumach siccorum ana ℥ ß aloes aluminis gypsi, calcis viuę extinctę ana ʒ ij. fiat puluis omnium, concorporetur cum albumine oui & applicetur parti. Post quartum diem, id est principium fouebitur pars hoc aut simili decocto digerente, & parum astringente.

℞. fol. symphyti vtriusque absinthij melissæ, saluię, summitat. lauend. & lauri ana m. j. seminis fœnugr. & cumini ana quart. ß flor. stœchad. vtriusque & salis marini ana p. j. coquantur in vino & melle, & foueatur pars.

℞. residentiam contusam cribratamque, eique adde butyri recentis & vnguenti resumptiui ana ℥ iiij. farinæ fœnugr. oryzæ & fabar. ana ℥ ij. succi absinthij ℥ iij. fiat cataplasma. Digesto & dissipato sanguine pars ipsa deinceps apponendo emplastrũ ceroneũ magis magisque exonerabitur. Sin ad suppurationẽ contusio nõ resoluta vergat, hæc ipsa remediis pepticis antea expositis accelerabitur. Quod si pars ipsa cõtusa liuore cõtracto sẽsũq; stupido gãgrænã minitari videat: tũ verò appositione cucurbit. cũ leui scarificatione prohibebit, cui subinde admoue-

admouebitur fot* ex aceto decoctionis folior.orig. calam.absinth.hyssopi,thymi,satureię,summitatum lauri, hederę & lauendulę, vel ex vino decoctionis radicum aristol.ari,serpentar.gentianæ & similium.

Cùm grauior è sublimiori loco casus delirationẽ vel obmutescentiam asciuit, tunc explorata prius ægri vita, (neque enim mortuo remedia prosint) vt tractato pulsu, vulsis temporum & pudendorum pilis, nomine proprio conclamato, cotone aut lana ad nares admota, & cyatho aqua pleno ad stomachum inducto: tunc, inquam, à cerebro, cuius hæc sunt propria symptomata ex commotis vehementer spiritibus animalibus, & sanguine effuso humores omnes deducendi sunt, vt frictione externorum duriori, hæmorrhagiæ prouocatione per setas, paleas, vel iuncos penitus naribus insertos, sternutationis & masticationis: tandemque vbi clariora vitæ indicia fuerint, clysteribus acrioribus & phlebotomia in cubito, ex cephalica, vel in fronte & lingua, siquidem ætas viresque omnino non abhorreant. Postremo capiti ipsi roborando cõsulendum erit vel puluisculis aromaticis & discutiẽtibus atque roborantibus, qui vel inspergentur capiti raso tonsóue per plures dies, vel cucupha diutius circumferenda ex cotone & serico rubro excipientur, non neglectis etiam lotionibus similib.sub æstatẽ & æstate. Si forte ex casu grauiori fractura ossis alicuius inciderit: tunc præter reuulsionum prædictas species præmittẽdas, iunctę protinus ossis fracti orę emplastro oxycroceo muniantur, vel cataplasmate ex farina fabarum cum oxymelite coctis & probè subactis.

Luxationis quoque propria curatio est per repo-

ſitionem ſubitam ante reuulſiones ipſas.

Denique diſtenſionis articulorum per quam ligamenta ſine oſſiũ fractura aut luxatione, in pedibus, genibus, manibuſque tantum elongantur, curatio eſt per blandam repoſitionem partis, dolorisque & caloris ſedationem repentinam, ex linteolo in frigidam immerſo, vel ex cataplaſmate aſtringente ex boli armenæ, ſanguinis draconis, gallarum & myrtillorum puluere, ex albuminibus ouorum ij vel iij excepto cũ oleo roſato & aceto roſato. Poſt principium autem, id eſt poſt quartum vel quintum diem, nouum cataplaſma priori omiſſo, aſtringẽs, lenienſque & digerens articulo læſo inducendum eſt, quale eſt hoc:

℞ folior. abſinthij, verbenæ, tapſi barbati, plantag. ana m. j. roſ. rubr. flor. chamęm. anethi, centaurij minoris ana p. ij. aluminis & balauſtiorum ana quart. ß. coquantur in aqua ſimplici, addendo poſt finitam coctionem vini rubri auſterique partem tertiam. Hoc decocto foueatur pars dolens bis in die, & tepide cum ſpongiis nouis, & per horam ſingulis vicibus.

℞ reſidentiam contuſam & cribratam, eique adde farinæ fabarum & hord. ana ℥ ij radic. iridis Florent. ℥ j olei myrtini & roſati ana q. ſ. fiat cataplaſma admouẽdum tepide poſt fotum. Simile eſt emplaſtrum oxycroceum.

De achoribus & fauis.

Meliceris tumor eſt inſignis ex abſceſſuum genere. Melicerium tuberculum eſt, cuius ſpecies duæ ſunt, ἀχὼρ & κηρίον, id eſt fauus. Illius foramina magis ſunt exigua, ſanies tenuior, tumor magis

gis pusillus, indolēs & inflammationis expers. Hinc illius nomen vel à tenuitate excrementi ischorosi quo constat, vel ab angustia sedis seu foraminum. Huius, id est faui foramina ampliora sunt, excremētum crassum magis & melli simile, estque inflammationis dolorisque particeps & crustosus. Latini vocant has species vlcera manantia capitis, Galli tineam: sed vltimam speciem quę deterior est fauum appellant, Monspelienses la Rasque. Affectus est compositus vtrobique, nempe vlcus cum tumore: sed fauus etiam cum inflammatione & dolore: Sedes est cutis capitis: Causa proxima, humor crassus, cum sanie magis minusve tenui mixtus, qualis est pituita salsa & quasi atrabilaria, & melancholia cum bile mixta. Origo, aliàs est ex contagione propter magnam putredinem fœtoremque exhalantem, aliàs ex impuri mēstrui reliquiis, aut ex prauo lacte corruptisque alimentis. Distinguuntur à psydraciis quæ pustulæ sunt duræ, subalbidæ, siccæ, in ambitu rubræ, quibus expressis sanies sola redditur, in lue Hispanica frequentes. Differentiæ sunt vtriusque speciei, tum ex tempore, vt vel recentia vel inueterata sint hæc vlcera: tum ex situ, vt superficiaria vel profunda: tum ex spatio, vt exigua vel magna: tum à symptomate, vt sint dolentia, inflammata, crustosa, vel contra.

Prognosticum est quod recens vtraque species facile curabilis sit. Achor tamen celeriùs, fauus tardiùs, quòd huius crassius sit minusque dissipabile excrementum: illius tenuius. At confirmata vtraque est incurabilis, locumque glabrum ob cicatricem sequentem relinquit.

Curationis scopi sunt duo, vnus ne augeantur ista

duo nascentia tubercula: alter vt nata genitaque sanentur. Prior scopus attingitur, tum victu nutricis & infantis cacochymiæ contrario: tum cacochymię vniuersalis purgatione melanagoga vel phlegmagoga potius: quæ præscribatur tum nutrici, tum infanti: sed in hoc frequēs magis sit, quàm vehemēs & efficax ob ætatis infirmitatem & mollitiem.

Phlebotomia autem omnis ante septenniū interdicitur, à quo finito, in pulpis auriū, vel pone aures nullo sterilitatis metu tentari potest, nisi cucurbitulæ cum scarificatione ceruicis & scapularum, eius vicem suppleant. Alter scopus reliquorum quoque vlcerum communis est, scilicet exsiccatio attenuatione & detersione comitata, quæ vel simplex sit, vt in achoribus, vel mixta cum repellentibus, vt in fauis.

Medicamentorum topicorum efficacia variatur, tum ex origine, tum ex situ. Porro admouēdum illud quidem capiti est liquida magis & media, quia penetrantiori, quàm solida forma. Talis est fotus, lotio, linimentum, & vnguentum, idque post crebram capillorum rasionem, vel auulsionem, etiam per dropacem & pileum ex pice applicatum & violenter detractum bis in die, & per multam ex asperis linteis frictionem.

Ergo incipientes achores curant repellentia exsiccantiaque mitiora, vt folia salicis, myrti, fructus & cymæ lentisci, rubi, cortex pini, ex quibus in oxycrato coctis lotiones & fotus concinnentur, spuma argenti, cadmia, creta, cimolia terra, lemnia & samia: hæc puluerata affricantur, vel oleo rosato & myrtino, paucoque aceto excepta illinuntur.

Auge-

Augescentes curāt parum repellentia magisque digerentia, vt oleum lentiscinum, myrtinum, radix cyperi, lentes, ex quibus linimenta.

Perfectos curant siccantissima valideque discutientia omnia sine repellentium mixtione. Talia sunt sulphur viuum, chalcitis, sandaracha, charta cōbusta, fæx vini arida, sal vstum, fella animalium calidorum, & auium rapacium: quæ omnia vel aceto diluūtur, vel terebinthina, vel pice liquida excepta, linimenti instar admouentur.

Exemplum leuioris topici in principio.

℞ succi fumar. scabios. enulæ camp. oxylapathi ana ℥ iij tuthiæ præparatæ ℥ j axung. porci antiquæ ℥ iiij ol. nucum, & ceræ ana q.s. fiat vnguentum.

Exemplum vehementioris topici in statu & declinatione.

℞ olei nucum & iuniperi ana ℥ ij olei ex lucerna sordidiore ℥ j nuces cum suis nucleis vstas num. vj. myrrhæ, æruginis rasilis, fuliginis furni ana ʒ ij lithargyri ℥ ß argenti viui ℥ ij fiat vnguentum applicandum post lotiones ex lixiuio cineris tithymali & brassicæ.

Aliud.

℞ auripig. rubri, calcis nouies lotæ ana ℥ j ß fuliginis furni ℥ j vitrioli & aluminis an. ℥ ß tartari vsti ʒ vj argenti viui & axungiæ veteris ana ℥ ij cū prædictis olejs nucum & iuniperi fiat vnguētum. Mihi tamen mercurij vsus valde improbatur & suspectus est, maxime in puerorum capite, tanquam neruis & cerebro aduersissimi ob insignem frigiditatem eius & humiditatem cum tenuitate penetrabili.

Rusticum est illud ex melle, baccis iuniperi & aceto:sicuti & aliud ex sulphure,vrina pueri & oleo nucum.In fauo,cuius inflammatio dolorque comes est, topicum mixtum est ex refrigerantibus & discutientibus,qualia sunt ad incipientes achores præscripta, vbi iuncta crusta est ex malacticis & discutientibus,vt semine lini,manna thuris,resina, terebinthina. Sunt enim crustæ maturè auferendæ, sub quibus retenta sanies cutem magis erodit, semperque cicatrices glabras excitat. Auferuntur autem vel dropace prædicto, vel vnguibus, vel malacticis remediis:sed si mucosus humor multus emanet,discutientibus & siccantibus validioribus vnguentis præscriptis miscenda erunt valide detergentia, cuiusmodi sunt aloë, myrrha, gentiana, crebræque lotiones vsurpandæ, cuiusmodi sunt prædictæ. Denique quatuor vnguenta calida maiora vocata, mixta mercurij parte duodecima, his affectibus plurimum conferunt.

De tinea faciei puerorum.

ALtera tineæ species est minime mala & contagiosa,infantium faciei frontique sæpissime infensa,cuius origo est ex reliquiis menstrui impurioris,vel lactis crudioris. Causa efficiens est calor natiuus, vnde excrementitia materia musti more efferuescit,in capite præsertim suapte natura humidissimo & cerebro.Ex eadem cerebri pituitosa illuuie & intemperie fiunt naresmucosæ pueris,auresq; purulentæ, quæ tametsi symptomata sint omnia intemperiei humidioris,infantes tamen à grauissimis affectibus vindicāt,vt epilepsia,asthmate,catarrho, tussi,lienteria,scrophulis & gibbositate. Fiūt enim ex decur-

ex decurrente pituita secundùm spinam infantis vel obstipi vel repandi. Qui magis nitent foris sæpius sunt valetudinarij, collecta intus in capite multorũ malorum materia, quæ sese tandem proditura sit.

Curatio.

MEdicaměta sint vacuãtia, & vniuersalẽ cacochymiã, & particularẽ è capite: vtraq; sanè tãto leuiora, quãto infantium corpuscula ob mollitiẽ sunt magis dissipationi propriæ substãtiæ & excremẽtorum opportuna. Illa sint exẽpli gratia mel rosat. ℥ j pondere, propria vrina ad tria aut quatuor cochlearia, manna & syrupus ros. laxatiuus ℥ j pondere. Hæc topica sint, tum mollientia durã asperãq; scabiem vt faciliùs decidat, tum detergentia crassam lentamque pituitam & salsam cuti faciei & fronti impactã, siccantia deniq; digerẽtiaq; serosam;

Exemplum.

℞ terebinth. nouies aut decies lotæ in aquæ rosar. ℥ iiij butyri recentis ℥ ij salis vsti ℥ j lithargyri vel cerusæ ʒ ij vitel. ouor. duorum, olei ros. & succi mali citrij, vel limonij vel arancij acidi, ana ℥ j ß fiat linimentum. vel

℞ axungiæ suillæ ℥ iiij terebinth. abietinæ vt supra lotæ & butyri recentis ana quart. ß salis albi & sulph. viui ana ℥ ß albumina ouorum duorum, fiat vnguentum.

Huic etiam curationi deriuatio pituitæ à capite per phœnigmum scapulis & collo inductum multum conferat, sicuti & recta nutricis diæta atque purgatio phlegmagoga.

De hydrocephalo.

HYdrocephalos tumor est capitis sæpius aquosus, aliquãdo etiam fæculentus & cruore liue-

ſcẽte dilutus,nomen à parte affecta & frequẽtiſſima cauſa ſortitus.Oritur aliàs à cauſa euidenti, vt dura tractatione capitis ab imprudenti obſtetrice, cùm infantulus in lucem prodirurus eſt,vnde venulæ vel diuelluntur vel dilatantur, aliàs ab interna tantùm & ſeroſa ſanguinis ſubſtantia plurima, per diapedeſim ſenſim effuſa.

Quatuor ſunt ex ſede diuerſa deſumptæ differentiæ. Prima cùm eſt ſub cute: ſecunda ſub pericranio: tertia ſub cranio: quarta inter membranas. Mihi quidem anno 1597. interiorem hydrocephalum in puero trienni videre contigit, qui ingenti aquarum mole ſuturas capitis longo inter ſe diſſidio diſtraxit, ideoque ab obitu plures quam libræ quatuor aquarum puriſſimarum aperto cranio ab egregio Doctore Turqueto dimanarunt.

Interiores hydrocephali incurabiles ſunt: externi curabiles, tum pharmacia, tum chirurgia. Medicamenta quidem ſunt calida ſiccaque & tenuis ſubſtãtiæ & parumper aſtringentis,ob venarum laxitatẽ, & cerebri principatum, eaq; vel liquida vel media, vel ſolida forma. Ad liquidam refertur lotio,vel fotus,cum ſpongiis recentibus ex decocto calidarum plantarum, in lixiuio cineris ſarmentorum, vel tithymali. Media conſtet ex oleis calidis & digerentibus & mixto ſimilium puluere. vt

℞ olei laurini & coſtini ana ℥ ij olei de ſpica & de lateribus ana ℥ j ſulphuris viui, ſalis communis & aluminis vſtorum ana ℥ ß cineris ilicis ʒ ij terebinthin. ℥ ij fiat vnguentum, & aucta puluerum doſi emplaſtrum.

Chirurgica remedia ſunt, tum cucurbitulæ cum ſcarificatione,tum phœnigmi,tum cauteria potentialia,

tialia, vt ad occiput & ad sincipur, in coitu futurarũ coronalis & sagittalis, sed pharmacia pueritiæ fere tutior post leuem vacuationem, qualis antea exposita est in achoribus.

De phtheiriasi.

PHtheiriasis est affectus pedicularis, φθεῖρες enim pediculi sunt, scilicet bestiolæ paruæ, in cute altius nascentes præsertim pilosa vt capitis, superciliorum, ciliorum, axillarum, pubis, sicuti in cutis superficie excitantur pulices nigræ salaciores acrius ferientes.

Affectus autem est symptoma secundi generis, nempe excrementum totius substantiæ. Pediculorum differentiæ sunt tres, à loco & figura. Omnes quidem fere albi sunt: sed quidam magis teretes in capite & barba nascentes, qui pediculi priuatim dicuntur: hi cùm parui sunt, lendes vocantur: Alij latiusculi sunt, hinc lati nuncupantur, in pube & axillis frequentes, à quibus ægerrime cum auellantur, feri vocati sunt. Alij denique exigui peneque imperceptibiles, cutemque sinuosis cuniculis fodientes, cirones appellantur.

Porro symptomatis huius morbus author, est cutis obstructio exigua, ex qua putredo generationis eorum proxima materia est. Nam fuliginosis cohibitis excrementis, alienus in humoribus accensus calor easdem putrefacit. Vnde in venis febris, in cute, pediculi.

Tres sũt generationis pediculorum causę: vna est materia, scilicet sordes redũdãs ex tertia coctione, porosque cutis obfarciens. Porro colligitur sordes

hæc, vel ex humore calido humidoque vt ſanguine pituitoſo, aut ex pituita inſipida dulciue, qualis puerorum eſt ſæpius & mulierum, non ab acri bile aut acida, acerbaue melancholia. Propria tamen magis materia teretibus pediculis, eſt ſanguis pituitoſus, latis pituitoſa & glutinoſa, cironibus ſeroſa cacochymia. Cauſa remota eſt, vel victus calidus humiduſque & excrementitius vt ex fructibus horariis, præcocibus & ficubus, vel ex crudioribus cibis vt leguminibus, caſeo, lacticiniis, caſtaneis: vel certe intemperies viſcerum humidior ſimilem proferens ſanguinem & aliquando cachexia partis allapſum etiam vtile alimentum corrumpentis, Vnde duplex origo ſymptomatis huius colligitur, vna rarior per idiopathiam; altera crebrior per ſympathiam totius corporis.

Cauſa efficiens putredinis eſt calor putridus & obſtructio pororum cutis à ſordibus iſtis putreſcentibus. Symptomata phtheiriaſim conſequentia ſunt, moleſtia & ſcalptus ex morſu, indeque vigiliæ & aliquando virium collapſio, marcor & interitus..

Signa demonſtratiua cauſarum, ex temperie propria, & anteacta vita ducuntur, vt ex vitioſis eſculentis & potulentis, neglecta corporis munditie, cultuque & veſtium mutatione, vt in pauperibus & mancipiis in triremibus vinctis, iiſque qui lanea veſte religionis cauſa vtuntur..

Prognoſtica ſigna ſunt ſalutis: niſi forte cachexia adſit totius corporis & viſcerum, quæ mortem tandem inferat. Breuis quoque curationis ſunt, ſi ex idiopathia: longioris ſi ex ſympathia hoc ſymptoma ortum ſit.

Curatio-

Curationis pediculorum ex idiopathia triplex est indicatio,relaxatio pororum cutis,detersio sordis, & pediculorum genitorum necatio:hę indicationes tres sub iisdem remediorum formulis lotionum & linimentorum coniunguntur, quæ rasis prius pilis vsurpetur. Porro lotiones illæ & linimenta cōstant medicamentis salsis, acribus, amaris communiter: priuatim tamen necant pediculos capitis semen staphidis agriæ contusum & affricatū capiti: latos argentum viuum siue parti affectæ siue distantiori appositum: cirones muria & acetum.

Exemplum lotionis fotusque relaxantis poros detergentisque pituitam purem, & pediculos necantis.

℞ radic.aristol.rotundæ,gentianę, enulæ camp. quart.ß folior.betæ,absinthij,tanaceti,abrotani,sabinæ,calamint.nepitæ & persicariæ vtriusque an.m. j flor.centaurij minoris p.j lupinorum;seminis staphidis,& raphani an.℥ j coquantur in lixiuio cinerum brassicæ, in quo dissolue salis & aluminis ana quart. j hoc decocto lauetur aut foueatur caput tōsum,vel potius rasum,bis quotidie & ante pastum.

Exemplum linimenti similis.

℞.ol.amygd.amar.absinth.& persicariæ an.℥ ij ligni aloës magmatis rhabarb. agarici vilioris pulpæ colocynthidos, salis vsti, staphidis agriæ, coralli, scordij ana ʒ ß fiat linimentum sine cera instar nutriti,quod applicetur multùm & duriter fricando, & statim post frictionem. vel

℞ aloës & myrrhæ ana ℥ ß dissolue cum sufficienti quantitate aceti instar linimenti.

Vnguentum pro feris pediculis.

℞ ol.communis vel amygd. amarar.℥ iij axung.

veteris & rancidę ℥ ij mercurij depurati: misce diligenter & applicetur parti rasę, vel illinc potius cingulum lineum quod circumscratur carne nuda.

Lotio pro cironibus.

℞ aquæ decoctionis piscium salitorum vel muriæ q. s. fiat crebra lotio.

Quod si cacochymia iūcta sit, vel ex prauitate vict⁹, vel ex viscerū intẽperie, pręcautio illius pręponēda, primùm ex victu euchymo cacochymiæ contrario, cutis detersione per balnea, frictiones, & vestiū linearū crebræ mutationes: deinde per purgationem humoris pituitosi crudique: postremo ex viscerum intemperiei curatione. Diætæ autem & purgationis materia atque alterationis mox exponenda est capite sequenti de alopecia & ophiasi.

De pilorum vitiis.

PIli, corporis humani partes sunt, (non quod viuant: sed quod in eo naturaliter contineantur,) terreæ, frigidæ siccæque ob materiam, graciles & longæ ex cute erumpentes. Pilorum generatrices causæ sunt tres: efficiens duplex, tum calor natiuus singularum corporis particularum, nutritionis, eiusque excrementorū secretionis author: tum spirituum calorisque fluētis impetus eadem excrementa in cutem exigentis. Materia est duplex, vna excrementū fuliginosum nutritionis crassius: tenue enim facile transpirat: altera glutinosus humor, qui cuti subest, & glutinis instar fuliginem connectit, quæ alioquin non conglutinaretur in pilorum materiam, porosque obfarcit, ne eadem fuligo tota digeratur. Causa sine qua non, sunt meatus occulti cutis temperatæ. Nam in molliori, sicuti in

recenti

recenti caſeo facile & repente conniuent: in duriori non aperiuntur, vt in vola manus & planta pedis. Sic ſquammoſi piſces & ſerpentes, oſtrea, & teſtacei piſces pilis carent, ſicuti neque hyemalis neque paluſtris humiditas herboſa eſt: ſed veris temperies vbi iam hyemalis humoris redundãtia abſumi cœperit. Cæterum, ex pilis alij ſunt congeniti à facultate procreatrice vt in capite, ciliis & ſuperciliis, ob maiorem ornatus & integumenti neceſſitatem: Alij materiæ & temperamẽti humidi in ſiccius acriuſque mutationẽ ſequuntur, vt qui in mẽto, pube, axillis, ano, crurib⁹, bracchiis & thorace ſuccreſcunt. Sic ex ſtirpibus aliæ agricolarum induſtria, aliæ ſponte ſua & ſolius naturę vi ex terra prodeunt.

Differentiæ pilorũ triplices cauſas ſequũtur. Nã in calida ſiccaque natura multi magnique & craſſi pili naſcũtur: minus in calida humida, minus adhuc in frigida ſicca, minimum in frigida humida vt muliebri. Color quoq; variat ex varietate materiæ & temperamenti. Niger enim fit à deuſto vapore omninoque in fuliginem verſo: flauus à vapore minus toſto: ille nigræ bilis, hic flauæ eſt excrementum: albus fit à pituitæ vapore. rufus à mixto pituitoſo & bilioſo: hic enim medius eſt inter flauum & album. Figura aliàs recta, aliàs criſpa eſt. Hæc naſcitur ob ſiccitatem vaporum materiæ, eiuſque ab aëre exſiccationem, vel ob eorundem vaporum paucitatem cutem ipſam non niſi obliquis foraminibus aperientium: vel certe ob cutis ipſius duritiem prohibentis rectam eruptionem materiæ: vel denique ob vtramque cauſam: tum imbecillitatem ſeu paucitatem exhalationum, tum duritiem, & denſitatem ipſius cutis. Hæ ſunt

triplices pilorum differentiæ ex discrimine materiæ &efficientis causæ, id est temperamenti, caloris natiui & meatuum cutis. Itaque eædem differentiæ variant pro ætate & regione, à quibus potissimum temperies mutatur. Sic habita ætatis ratione pueri pilis illis aduentitiis sunt nudi, quod nec meatus in cute illorum sit peruius ob mollitiem, nec fuliginosum excrementum insigne, ob calorem mitiorem. Puberibus ad 14. annum parui & exiles: iuuenibus multi validi magni sunt, ob meatuum amplitudinem præ caliditate & siccitate, indeque vaporum copiam. Pueris etiam insiti, sunt magis rufi: iuuenibus nigri; Ex regionibus quoque discrimen sumitur. Incolæ enim calidarum & siccarũ, & meridionales fere omnes vt Æthiopes, Arabes, Indi, Ægyptij, Hispani nigros, breues, & crispos edunt. At qui frigidas humidasque incolunt, vt Illyrij, Sarmatæ seu Poloni, Germani, Scythæ, Angli, Flandri, graciles, longos, rectos, rufos. Qui verò temperatas, plurimos longissimos & robustissimos edunt.

Vitia pilorum sunt quantitatis & qualitatis. Illud defectus siue diminutio & raritas, hoc coloris mutatio dicitur. Defectus principes differentiæ duæ sunt. Vna secundum naturam, Græcis φαλάκρωσις, Latinis caluitium dicitur: plerisque senescẽtibus & in sincipite familiare. Aliæ contra naturam sunt tres: vna sine area effluuium vel profluuium pilorum dicitur, Gr. vocãt τριχὰς ῥέουσας, cùm ex capite aut mento aliisque partibus pilosis, exceptis ciliis & superciliis, pili sensim decidunt & æqualiter rariores euadunt. Aliæ duæ cum area fiunt, quæ si sine certo ordine & figura serpat, alopecia

pecia vocabitur, à vulpe huic symptomati in cute obnoxio: Sin certum ordinem & figuram seruat, ophiasis dicitur. Incipit enim hæc ab occipitio duorum digitorum latitudinem non excedens, serpitque per tempora ad frontem vsque, vbi fines eius serpentis instar committuntur. Atque hæ duæ contra naturam differentiæ menti & capitis sunt propriæ: sicuti effluuium harum partium & reliquarum quæ pilosæ sunt cõmunes. Vtraque species differentias habet non solùm à diuersa cacochymiæ specie, pilorum radices erodentis (de quibus postea) sed à tempore etiam, vt vel incipiens tantùm vel facta iam sit vel etiam inueterata. Isti pilorum affectus morbi non sunt (cùm pili partes non sint viuentes, sicuti neque folia aut fructus arborum) neque etiam causa morbifica: tametsi enim pilorum casum in ciliis superciliis & capite morbus ex accidenti sequatur, nullus tamen in barba & pube axillis fit. Symptoma igitur est tertij generis in qualitate scil. mutata. Pilorũ quidem symptoma quod effluuiũ dicitur, oritur, tũ à laxitate pororum cutis, tũ ab inopia alimẽti, idq; ob calidã siccamque intemperiẽ simplicẽ partis, poros aperiẽtem & digerẽtem humorẽ lentum & viscosum, qui cuti substratus radiculas pilorum effingit (vt per febres acutas longasque) vel ob siccitatem temperamenti cerebrique contractionem, & recessum à cranio, vnde caluities. Aliæ duæ species, alopecia & ophiasis oriuntur ab intemperie calida siccaque capitis, humoribus acribus humorem lentum absumentibus scatente. Tales sunt sanguis corruptus, pituita salsa, bilis flaua, æruginosa, atra. Porro colliguntur hi vel per sympathiam totius corporis, idque

ex prauis cibis, aut ex viscerum intemperie, vt per luem veneream & elephātiasim: vel per idiopathiā propriamque capitis mentiue cachexiam, vtile etiam alimentum corrumpentis.

Signa.

EFfluuium noscitur ex casu æquali & sine area. Causa quoque eiusdē, laxitas scilicet & penuria alimēti, ex prægressa febre lenta longáue. Ophiasis & alopecia ex area deteguntur: hæc quidem incerto eius ordine, illa ex certo & figura. Causa ex colore cutis glabratæ: ex antecedente victu: ex temperamēto totius corporis & capitis innotescit. Cōmune signū vtrique est, quòd pili primùm maximè extenuentur, deinde excidant. Tum si locus acu cōfigatur, sanguinem aut liquidum aut crassum aut etiam nullum reddit, sed pingue quiddam, lentumque ichorem.

Prognosticum.

CAsus pilorum ex se nunquā funestus est, etiam si morbos sequatur: sed indecorus tātum. Defluuium à morbo vt febre sæpius, sine morbo rarius accidit, vt in caluis. Illud omni ætati cōmune accedentibus causis, hoc senili est proprium. Ophiasis pueris magis est familiaris, & sponte sua sæpe, vel leuioribus remediis curatur. Alopecia adultis, magisque contumax est. Vtraque fit in barba & capite: aliquando etiam ciliis & superciliis tametsi firmius hærentibus.

Defluuium pilorum curabile est, etiam spōte sua ex bona renutritione, nisi sit adsit caloris natiui infirmitas, vel ob ætatem senilem, vt in caluitio: vel febrem hecticā, vt in tabidis. In vtrisque enim materia non reponitur. Ophiasis & alopecia curabilis

vtraque

vtraque est, nisi cacochymia ex viscerum intemperie confirmata & incurabili, vt elephanticorum genita sit. A cutis fricatione rubor velox facilem: tardus difficilem: nullus nullam curationem promittit. Quæ enim inueterata est, neque fotu neque frictione erubescere potest.

Therapeia.

DEfluuium pilorum, quod nō à natura & senio est, vt caluitium, neq; à marcore, vt in tabidis: sed à laxitate pororum est & inopia alimenti, propter febres acutas longasve, curatur duplici scopo, vno astrictionis leuiusculæ pororum relaxatorum, altero deductionis alimenti & sanguinis ad partem cutis glabratam, vnde pilorum restituendorum materia exuberet. Posterior hic scopus comparatur primùm quidem victu sanguinem multiplicante, vt ex alimentis euchymis & temperatis, aëre temperato, exercitatione mediocri, somno longiore, vita hilari & secura, balneis crebris & tepidis, sudore raro, aut nullo: deinde topicis sanguinem ad caput allicientibus, modicè calidis, (ne à calidioribus attenuata allectaque materia discutiatur) hyeme tamē paulò validioribus, vt oleo nardino. Prior scopus expeditur medicamētis astringentibus quidem: sed non validis, cuiusmodi sunt galla, acacia, nux cupressi, balaustia, ne materiam gignendorum pilorum & sanguinem acutè repellant: neve poros viasq; cutis nimis coangustent, per quas excrementa tertiæ coctionis exhalāt, sicq; cumulatis excremētis illis, cephalalgiæ & fluxiones in nares, fauces & reliquas partes internas externasq; capiti subiectas cō-

moueant: sed leuioribus, qualia sunt oleũ myrtinũ, rosat. omphac. lẽtiscin. Mixta igitur topicorũ facultas fit calfacientium, ad deductionẽ alimenti: astringentiumq; ad densitatem pororum siue in diuersis, siue in iisdem formulis. Talis est facultas absinthij, tanaceti, abrotani, capillar. omniũ, verbenæ, cymarũ & granor. myrti, lauri, & hederæ, flor. stœchad. vtriusque, cinerum sarmentorum vitis, brassicæ, radic. cannar. testæ, auellan. & amygdal. mastichis & ladani. Vsurpantur autem commodiùs forma liquida, vel media, qualis est mellis, quæ tamen neq; hæreat neq; obsarciat poros, neq; diffluat: mane & vesperi applicanda, idq; ieiuno vẽtriculo, ne ciborũ vapores in cerebrũ attrahãtur, capillitio per hyemẽ tantum tõso, ne caput aëris frigore lacessatur & obstipetur: per æstatem etiam raso. Liquida forma vt fotus & lotionis cõcinnatur ex decoctione prædictæ materiæ in æqualib. partibus aquæ & vini rubri additi (finita coctione: fames enim mittit.) Forma media posterius applicanda conformetur ex pulueribus mixtis quadrupla proportione ex oleis prędictis, vt

℞ ladani cum vino rubro in mortario dissoluti: vtrũque. n. calfacit & astringit, & mastich. an. ℥ j ol. myrtini, vel lẽtiscini vel nardini, in hyeme, ℥ vj fiat vnguentũ à quo cera quod emplastica sit abesse debet, vel ℞ pulueris absinthij, abrotani, granor. myrti & iuniperi an. ℥ j olei myrtini triplũ, fiat linimẽtũ. vel ℞ cineris sarment. vitis, cortic. cannar. vsti, testę amyg. & auellan. vstæ an. ℥ ß. excipiatur triplo olei alicuius prædictorum. Vstura tenuitatem substantiæ conciliat, repressa interim immodica astrictione, ideoque ex infusione & decoctione eiusdem materiæ vstæ olea fiunt efficacissima, vt

℞ fol.

℞ fol.absinth.abrotani,capillar.omniũ,summitatum myrthi ana m.j.baccar.myrti,rosar.flor.stœchad.vtriusque ana p.j.seminis coriandri præparati ℥ ß coquantur contusa leuiter omnia in olei & vini rubri æquis partibus,ad consumptionem vini. Denique fortiter oleum prædictum exprimatur, & seruetur ad linimenti vsum.

℞ ladani,absinth.mastich. ana ℥ ß baccar. iuniperi ℥ ij. contusa omnia infundantur quatuor aut quinque dierum spatio in oleo ad solem,deinde exprimatur oleum fortiter per linteolum.

Curatio alopeciæ & ophiaseos.

CVratur vtrũq; hoc symptoma diæta,chirurgia & pharmacia. Diæta opponatur cacochymiæ quæ ex colore cutis deglabreatæ & depilatæ,anteacta vita,& ex temperamẽto totius,aut partis deprehensa sit. Pharmacia alterãs vacuansq; decernatur, cùm sit intemperies humoralis: vel particularis, si capitis idiopathia sit, eiusque intemperies cachectica,frugi sanguinem corrumpens: vel vniuersalis etiam cùm sympathia est totius corporis, aut ex victu prauo, aut ex viscerum intemperie. Vacuatio vniuersalis constet primum quidem phlebotomia, cuius infantia incapax est,etiamsi plethora pura impuraque adsit, deinde purgatione cacochymiæ, idque per pilulas potius, ob capitis distantiam à quo humor reuellendus est:à quibus tamen pueritia abhorrere solet.Biliosa cacochymia remouebitur per pilulas aureas, addito diacrydio, electario de succo rosar.diapruno solutiuo,rhab.syr.rosato, vt atrabilaria per pilulas de fumaria, & de lapide lazuli, addito veratri nigri momẽto,vt ℈ ß electar.diasenna,

diacathol.& confect. hamech. Pituitosa purgabitur per pilulas coccias & de agarico per electar. diaphœnic. Præmittenda est eiusmodi validæ purgationi præparatio duplex, vna intestinorum per clysterem mollientẽ, & per lenitiuum bolũ superioris vẽtris: altera humoris per alterãtes syrupos & apozemata contraria: Sed validæ purgationis vsus sit in adultiorib⁹: at in infantib. clemẽtioris per infusum rhei, agarici, sennæ aut per syr. rof. & de cichorio cõpositũ cũ rhabarb, His purgationibus vniuersalib. hidrotica decocta vtiliter subiungantur, vt guaiaci in pituitosa, chynæ, salsæ parill. & ligni sassafras in calida vel biliosa vel atrabilaria cacochymia. Est altera quoq; vniuersalis alteratio post vacuationem necessaria ad tollendã viscerũ intemperiẽ per balnea contraria, tũ naturalia, tũ artificiosa, & electaria solida mediaq; assumenda (tabellas vocant & opiatas.) Particularis vacuatio, siquidẽ intemperies fiat per sympathiã, multiplex est pro variis affectus tẽporib. Nã in principio & augmento deriuandus est humor afluẽs per os & nares, & repellẽdus leuiter, atq; digerẽdus qui iã affluxit, per topica in defluuio mox dicta. In statu autem sola resolutio vsui est, (sicuti etiam vbi idiopathia est) per medicamẽta tum pharmaceutica, tum chirurgica. Hæc sunt rasio pilorum, frictio dura capitis, compũctio, scarificatio cucurbitulæ, ex quibus rasio quidem vel crebrior fit vt quotidiana, matutina & vespertina: vel rarior pro affectus magnitudine varia. Frictio fiat ex rebus asperis durisq;, vt ex linteo nouo, offe sepię, pumice, foliis vrticæ: mollior in leuiori, durior in cõtumaciori affectu vsurpetur, & donec inde cruor moueatur; eaque quotidie duplex, mane & vesperi.

Compun-

Compunctio fiat per plures acus ſimul alligatas vbi tenuis magis eſt materia: at in craſſiori ſcarificatio & cucurbitulæ vſurpetur. Remedia pharmaceutica ſint acri natura in tertio gradu & tenui ſubſtantia; quæ altam partem ſubeant, indeque cacochymiam tenuando in vapores verſam diſcutiant: vitanda tamen ſunt acriora in quarto gradu, quæ cutem vrant & præter modum exſiccent, pilorumque gignendorum materiam diſpellant. Sic imbecilla quæ nihil iuuant, remouenda ſunt, moderata retinenda, quæ cutem modicè calfaciant, & veluti quandam pruriginem excitent. Sunt tamen horum gradus tres, tribus horum affectuum differentiis aptādi. Nam malignis, vetuſtis & contumacibus fortiſſima: leuioribus & recentibus leuiora: mediocribus media adhibenda ſunt. Harum differentiarum ſigna captanda ſunt, tum ex colore pártis affectæ, poſt fricationem. Nam ſi erubeſcat, & poſt pūcturam, ſanguinem emittat, leuior eſt: contra ſi color non mutetur, aut ſanies pinguis emittatur: tum ex tempore durationis: poſtremo ex cacochymiæ ſpecie colligenda, vt ante dictum eſt, ex anteacta vita, temperie ægri, & ætate. Leuiora ſunt adeps anſerinus, gallinarum, ranarum axungia vetus, aut deraſa ex axibus rotarum, fæx ampullæ lucernarum aut candelabri, pix liquida aut oleo ſoluta, oleum anethin. de ſtœchade, thus aceto ſolutum, teſtæ vſtæ auellanarum & amygdalarum amararum, arundinis cortex & radix vſta, diachylum ireatum, & ceratum de Vigo oleo ſoluta. Mediocria ſunt cortex vſtus vtriuſque ellebori, radix ari & ſerpentar. ſemen erucę, cinis muſcarū, apū, muriū, ſcarabeorū, oſtreorum, piſcium ſalſorum, ſtercora volatilium,

olea laurinum, anethin. terebinthinum. Vehementissima sunt sulphur, euphorbium, cantharides, thapsia, semina nasturtij, sinapi, tithymali cineres.

Horum omniũ puluerabilium pulueres miscẽtur proportione tripla vel quadrupla prędictis pinguibus, vt oleis & axungiis. Vsurpãtur enim forma duplici tũ liquida, vt lotionis fotusque: sed magis inefficaci quia celeriter diffluit: & media, vt vnguentorum. Dura autem ineptior est quòd emplastica sit, potiusq; offarciat, quàm subeat aut aperiat poros: denique vtraque bis in die illinenda, prægressa toties rasione & fricatione.

Exemplum leuium topicorum.

℞ olei anethini, vel de stœchade, vel de amygd. amar. & axungiæ veteris suillæ an. ℥ j ß puluer. rad. cannar. & testæ amyg. amar. & auell. vstæ an. ʒ ij seminis erucæ ʒ j misce, & fiat vnguentum.

Exemplum mediocrium.

℞ ol. tereb. & laur. an. ℥ j ß picis naualis oleo liquatæ ℥ j seminis erucæ, ciner. muscar. vel apum, & capitũ pisciũ salitorũ an. ʒ j ß stercoris colũb. & muriũ an. ʒ j fiat vnguẽtum sine cera, quia emplastica.

Exemplum vehementissimorum topicorum.

℞ ol. de laterib. & de petra, vel costini, vel de castoreo ana ℥ j axungiæ veteris, ad solem lotæ ex aqua vitæ ℥ ij gummi eleuni ℥ ß. liquefactis omnibus, probeque super cineres calidos mixtis, adde euphorbij & thapsiæ, sulphuris & seminis sinapi ana ʒ ß cantharid. ℈ j fiat vnguentum. Quod si à vehementioribus topicis cutem exulcerari contingat, leuibus medicamentis illinatur, modicè exsiccantibus & astringentibus, vt cerusa & lithargyro solutis oleo rosato, & aceto instar linimenti.

De

De ramicum differentiis.

RAmicis vel herniæ duo sunt genera, bubonocele, & oscheocele. Vtrique tum à parte affecta, tum ab affectu ipso inditum nomen est: βουβὼν enim inguen, ὄσχεος scrotum Latine significat, sicuti κήλη tumorem, earum præsertim partium. Ergo bubonocele inguinis, oscheocele scroti tumor est. Vtriusq; speciei multiplices sunt differẽtiæ, pro discrimine causarũ coniunctarum & substantiarum tumefacientium, quę vel aliunde illapsę sunt, vt est intestinum & epiploon, aut ibidem genitæ vt est aqua, flatus, caro, varix; Bubonoceles autem duę tãtũ sunt, epiplocele & enterocele: oscheoceles verò sex, enterocele, epiplocele, pneumatocele, sarcocele, & cirsocele. Ex his tamen quatuor primæ propriæ sunt scroti: reliquæ impropriæ & incurabiles, sed bubonocele à tumore testiculi sursum in inguẽ reuulsi distingui debet, sicuti oscheocele à duplici vel triplici in singulis scroti laterib' testiculo, quibusdã hominibus gẽtilitio iure proprio, & ab vnico etiam sed multo semine turgente.

De causis.

HErniæ specierum causæ antecedentes diuersę quoque sunt: nam bubonocele, fit à sola ruptione peritonæi interioris, appareteque tumor in lateribus ossis ischion sensim ex pusillo augescens. At oscheoceles species duæ (epiplocele & enterocele) præter ruptionem illam, fiunt etiam à relaxatione apophyseos exterioris peritonæi in scrotum descendentis ad deductionem vasorum deferentium & eiaculantium. In reliquis duabus, hydrocele & pneumatocele, nulla ruptio aut relaxatio est.

Vtramque ruptionem & relaxationem peritonæi mollities & humiditas immodica, vt fere semper in pueris, adiuuat. Causa externa est vehementior quilibet motus corporis vt ploratus puerorum, distensio abdominis, in adultis verò sarcinæ grauioris vel sublatio, vel gestatio, vociferatio, fœtus grandior aut multiplex in fœminis. Hydrocele autem & pneumatocele ex crudiori sanguine est & nutricum lacte intemperatarum & intemperantium. Stillat enim sensim per diapedesim ex vasis deferentibus, vel ex sublimiori ventre, aut etiam in nutritione testium redundat.

Signa demonstratiua.

Signa diagnostica sunt, enteroceles quidem & epiploceles tumor spõte recedit resupinato corpore, reditque eodem surrecto; sicuti per ventris saginam acrem humidam cibumque flatuosum crescit. Ex intestinis autem solum ileon ex parte dextra & cæcum ex sinistra in scrotum illabitur; sed intestini facilis est reductio leui pressu manus blandoque & cum rugitu, ob inclusos flatus. Epiploi ægra magis est & sine murmure repositio; estque tumor eius magis inæqualis. Contra hydroceles & pneumatoceles tumor perpetuus est sensimque augescẽs. Distinguuntur etiam inter se, quòd hydrocele mollis quidem leuisque sit, nisi ex copioso admodum humore constet, quodque perspicuus sit opposito lumine, nisi sedes eius inter membranas testium abdita sit, aut in scroto propria cystide cõclusa: quod quidem ex magnitudine & figura internoscitur, vel rotunda in cystide, vel oblonga & ouali in teste: sed pneumatocele leuior multo est molliorque

molliorque & ex impulſu reſonans. At tumor ex ſanguine effuſo per attritas venas maiori duritie, nigritie, & cauſa externa contundente deprehenditur: ſicuti ſarcocele quoque colore fuſco aut ſimili. Cirſocele denique ex flexibus duris venarum nodoſiſque & rotundis in ſcroto & inguine agnoſcitur.

Signa prognoſtica.

HIs omnibus ſpeciebus pueritia omnium ætatum maxime infeſta eſt & præſertim primis quatuor mẽſib. ob eiulatus clamoſos, molliitiẽ tunicarum peritonęi, & crudioris aliquãdo lactis vſũ. Bubonoceles ſpecies duæ enterocele & epiplocele, mulieribus viriſque ſunt communes: illis tamen rariores ob maiorem peritonæi firmitatem & duritiẽ continẽdo fœtui à natura deſtinatam: ſed oſcheoceles differentię omne s viris ſunt propriæ.

Accidũt tamen etiã pudẽdis muliebrib. eorumq; ripis hydroceles. Siniſtra enterocele grauior eſt dextra, eò quod cæcum craſſum ſit, & fęcibus repletum, neq; omẽto ligatũ: ſed incũbentib. tenuib. inteſtinis preſſum. Omniũ funeſtiſſima eſt enterocele, vbi inteſtinũ aut reduplicatũ eſt, aut fęcibus duris obſtructũ, vt violẽtiùs reponendũ ſit: hoc enim etiam repoſito remanens gangræna febriſque ſingultuoſa ægrum rapere ſolet. Sarcocelem præſertim inſignem & cirſocelem curari non expedit, neq; pharmacia, neque chirurgia. Enterocele & epiplocele in pueris ad pubertatem vſque pharmacia curabilis eſt: in adultioribus non niſi chirurgia. Hydrocele denique & pneumatocele ſemper quidem pharmacis curabiles ſunt, niſi earum materia aut teſtium inuolucris aut propria cyſtide circunſcripta

sit, vnde chirurgia sola euocari possit.

Therapeia & victus.

IN quatuor primis herniæ differẽtiis diæta sit calida siccaq; præsertim in hydrocele & pneumatocele, interdicto omni grauiori corporis motu vt ambulatione, cursu, saltu, ascensu, descensu, statione, clamore, tussi, sternutatione, risu effuso, & ploratu, deiectione violenta alui: manus etiam inter deiiciendum si reductum sit intestinum, ad inguina fortiter apprimenda est. Reprimãtur etiam animi motus, vt iracũdia, iurgia, vociferationes. Denique decumbat puellulus vel æger lecto molli per spatium quadraginta dierum, quo topicis mox describendis curabitur, ad pubertatem vsque: nam lactantib. sola topica ex vsu erunt, instituto prius nutricum victu, humiditatis & cruditatis experte.

Curatio.

CVratio enteroceles & epiploceles, siue ad bubonocelem, siue ad oscheocelem vtraque pertineat, tribus præcipuis indicationibus expeditur. Prima est repositio intestini vel epiploi in suam sedem, à mutatione situs vtriusq; ducta. Secunda est astrictio dilatati in inguine & scroto peritonæi. Tertia rupti peritonæi vnio & agglutinatio. Porro reponẽdũ est intestinũ vel epiploon corpore resupinato, clunib. sublatis, fęcib. prętmollitis idoneo fotu, & manu leuiter & frequenter impellente. Repositũ continendum est perisomate, id est subligaculo ex panniculis cannabinis cõparato, inter se ita compactis vt ad inguen durum sit, aliquo ligno vt buxeo vel subere aut ferro interposito. Relaxatio coangustatur remediis astringẽtib. vt fotib. vnguẽtis, cataplasmatis, emplastris. Ruptio vnitur tum victu temperato

perato non nimis crasso, ne sit flatuosus, neq; tenui; & medicamētis emplastricis. Vtrumq; tamen medicamentorū genus, tum agglutinātium, tum abstergentium miscendum est in implicitis hisce affectib. ruptione scilicet & relaxatione.

Astringētiū generis sunt radices symphyti, bistortę, tormētillę, osinundę regalis, folia fragorū, millefolij, pentaphylli, prunellæ, polygoni, tapsi barbati, equiseti, bursæ pastor. plātag. sumach, lysimachię vtriusque, rubi, lētisci, ligustri, semen rhois obsoniorum, plantago, portulaca, spongia bedegaris, balaustia, cytini, psidiæ, gallæ virides, calices glandiū, nuces cupressi, acacia, hypocystis, terrarum genus omne, lanugo salicum & rhei magma, rubigo ferri, & scoria eiusdem, lapis hæmatites, magnes, sorba, mespila, prunella, acini vuæ, acetum, oxycratum, vinum tortiuum, aqua fabrorum.

Agglutinantia sunt, gummi arabicum, ammoniac. tragacantha opopanax, mastiche, thus, manna & cortex eiusdem: aloë, ičthyocolla, pix sicca, terebinthina larigna lota, & abietina: gypsum, farina pistrinalis, amylum, cochlea cum domo sua trita, lumbrici terræ.

Vsus.

ITaque ex decoctis eorum quæ decoqui possunt in oxycrato, vel aqua ferrata fiant fotus per splenia inducendi, vel potius per spongiam nouam.

℞ rad. prædictarum ℔ j aut ß folior. & cymarum prædictarum m. iiij nucum cupress. gallę viridis, balaustior. psidiæ ℔ j rosſ. rub. pug. j coquantur vt dictum est.

Hoc decocto foueatur pars scroti & inguinis mane & vesperi finita ventriculi coctione & exonerata aluo.

℞.residētiā cōtusam & cribratā,eiq; adde farinæ oryzæ & fabarum an. quart.ß boli armen. sanguin. draconis,mastiches, thuris & gūmi arab.ana ℥ j.ol. lentiscini, omphacini & myrtini ana ℥ ij. fiat cataplasma applicandum tepidè post fotum eidem regioni super stupas cannabinas bene pexas & vino tortiuo imbutas, expressasque.

Olea quoque balsamina vocata post fotum ante cataplasmatis appositionem, vel etiam per se validissimè agglutinant rupta vulsaque: quale hoc est,

℞. folior. viridium vtriusque symphyti,plantagin.equiseti,millefolij,pentaphylli,verbenæ,hyperici an.m.j.contusis omnibus adde aquæ vitę ℥ viij. macerētur dies quatuor: quinto exprimatur succus ex iisdem prius tepefactis illico dissolu.olei optimi loti cum aqua rosf.℔ ij.coquantur in vase duplici ad consumptionem dimidiæ partis: ac tum adde terebinthinæ bene lucidę ℔ j.percoquatur ad consumptionem succi: coletur & recondatur in ampullam vitreā,qua locus affectus mane & vesperi perfundatūr.Ex hoc oleo vnguenta & emplastro in primis efficacia addita puluerū dosi idonea comparantur. ℞.olei vel balsami præscripti ℔ j. thuris mastichis ana ℥ j. sanguinis draconis, scoriæ & rubig. ferri, lapidis magnetis ana ʒ ij. ceræ albæ & resinæ ana ℥ ij. fiat vnguentum loco cataplasmatis applicandum post fotum : aucta verò puluerum dosi fiunt emplastra, quale etiam hoc est,

℞.lumbricor. terrestrium vino albo lotorum & contusorum ℔ j. contusarum cochlearum cum suis

bolutis

bolutis ℥ iiij. maceretur diebus quatuor in olei optimi ℔ j deinde ebullitione facta, exprimatur oleũ, cui adde seui arietini & picis nigrę ana quart. j. resinæ ℥ ij. gummi ammoniaci & opopanac. aceto solut. ana ℥ ß thuris mannæ, & corticis mastichis, sanguinis draconis, boli armenæ, spongiæ bedegaris, rubiginis & scoriæ ferri, lapidis magnetis ana ʒ ij. postremo coquantur in emplastric. cera addita. Simile est in pharmacopoliis emplastrum dictum contra rupturam. Emplastrorum autem vsus post finitos fotus olea vnguenta cataplasmata, à quindecimo die ad quadragesimũ cum subligaculis & sine mutatione cõtinuabitur. Interna remedia astringentia in pharmacopoliis prostant, trochisci de terra sigillata de charabe, quibus vti licet ʒ j pondere, cum vino tortiuo. Similes sunt conseruæ symphyti, rosar. absinthij, & cydonior. ex quibus, & mixtis pulueribus fiant condita & opiatæ. vt

℞. conser. antiquæ rosar. & radic. symphyt. ana ℥ ij. conditæ carnis cydonior. ʒ j. gummi tragacanthi, mummiæ coralli rubri, terræ sigil. ana ʒ j. limatur. chalybis præparatæ lapidis magnetis ana ℈ ij. cum sacch. rosato fiat conditum: vel addito syr. de rosis siccis fiat opiata, capiat ʒ ij. singulis matutinis si paulo grandior sit puer, superbibendo parum vini tortiui.

Potiones hæ laudantur à peritioribus ex succo vtriusque iaceæ ad ℥ j. vel ij. cum momento vini albi: ex succo rad. symphyti maioris, sigilli Salomonis cum eodem vino. Omnium est efficacissimus succus herbulæ herniariæ dictæ aliquoties vino albo affuso expressus, nouemque dierum spatio percurare proditur affectum nunquam redi-

turum. Ex iisdem succis addito saccharo, iulepi fiant aut syrupi pueris gratiores, sicuti & pulueres eiusdem materiæ ʒj. pondere pueris dantur iucundissimè cum lacte nutricis ex cochleari, vel cum pulticula iisdem grandioribus.

Hydroceles & pneumatoceles diæta calidior sicciorque dolicis & ablactatis pueris primum remedium est (fere enim hydropis imminentis vtraque index est) ideoque præter reliquas duas species ante curatas, his duabus motus omnes corporis conueniunt augendi caloris natiui causa. Vtriusque curatiuæ indicationes duæ sunt, vna causæ antecedentis, altera causæ coniunctæ, id est morbi. Illius reuulsio debet esse prior, tum per clysteres & purgationes hydragogas puerorum vt dictum est non amplius lactantium, tum per decoctum hidroticum vt guaiaci in adultioribus & salsæ parillæ vel chinæ, vel ligni sassafras in iunioribus, tum per balnea naturalia vt sulphurea, nitrosa, bituminosa & similia arte comparata ex liquato sale marino, sulphure, bitumine, sale petræ in decocto plantarum calidarum. Altera vacuatio est causæ coniunctæ, constatque resolutione & exsiccatione per medicamenta insigniter siccantia. Tale est acetum præsertim coctum cum plantis calidioribus vt origan. calaminth. pulegio, hyss. baccis lauri iuniperi, floribus rorisin. stœchados. Tale est sal vstum, nitrum, & loco eius sal petræ, alumen vstum, sulphur præsertim viuum, cineres plantarum vstarum præsertim siccarum vt brassicæ, fabaceorum truncorum & siliquarum, ilicis, sarmentorum vitis, præsertim plantarum causticarum vt tithymalorum, & lixiuia ex illis cineribus

confecta,

confecta, stercora animalium, olea de lateribus, de petra, de lauro, de spica, de costo, de euphorbio.

Hæc autem vsurpantur, fotus, litus, vnguenti, cataplasmatis & cerati specie. Fotus duplex est, siccus & humidus, ille aptior, vt

℞. furfuris macri, seminis milij, salis, auenæ ana quart. j. sulphuris, baccarum iuniperi laurique ana p. j. contundantur omnia, & includantur sacculis lineis duobus quibus foueatur sæpe & diu calidè scrotum, & sacculi vicissim apponantur dum refrigerato vno alter recalescat: sed materia hæc cum pauco aceto frixa in sartagine multò fit efficacior. Iidem sacculi vel sabulo vel arena vel cineribus calentibus farcti parti vtiliter applicantur. Fotus liquidi potentia, actuque calidi & maxime siccantes ita comparantur.

℞. aceti fortiss. ℔ ij. in quibus bulliant rad. pyrethri, semen staphis agriæ, viticis, baccæ iuniperi, lauri ana ℥ ß fol. lauri, hederæ, summitat. thymi, lauendulæ, rorism. ana p. j. hoc decocto foueatur cum spongia pars affecta. Idem decoctum fiet ex lixiuio vt ex cinerib. sarmentor. in quo similium plantarum partes coxerint, salque, sulphur, aut alumen liquatum fuerit. Linimenta ex oleis prædictis post fotum admouenda aut ex iisdem vnguenta, addito puluere metallicorum vstorum aut cinerum hoc pacto.

℞. olei rutac. & laurini ana ℥ ij. ol. petrol. ℥ j. axungiæ veteris & salsæ ℥ ij. ceræ parum, fiat vnguentum. Hinc quoque emplastra concinnantur, vt.

℞. olei de terebinthin. de costo & de spica

ana ℥ ij. terebinth. ℥ iij. salis petræ & ciner. ficulnei ana quart. ß ceræ albæ ℥ iiij. fiant magdalia.

Cataſplamata denique concinnantur tum ex reſidentia plantarum calidarum coctarum, tuſa cretaque: cui farinæ digerentes vt oryſæ, lupinorum, lentium, cineres prædicti, axungia vetus & olea prædicta admiſceantur. Vtiliſſimum eſt ex ſtercore vaccino mixtis cineribus digerentium plantarum aut ſeminibus vt baccis lauri, iuniperi, ſeminibus rutæ, cumini, viticis, cubebarum. Quod ſi curatio hæc irrita ſit quia materia cyſtide comprehenſa, vel membranis teſtium coercita ſit, tum ad chirurgiam decurrendum eſt, quam Paul. lib. 6. Celſus & Guido de Cauliaco accuratiſſime perſequuntur.

De puſtulis & maculis cutis.

COmplura ſunt cutis vitia, partim ex puſtularum, partim ex macularũ genere variis diſtincta nominibus Græcis, Arabib. Latinis, barbariſq;, quibus anceps & dubia ſit affectuum intelligentia & curatio. Maculæ igitur vitioſo colore conſtant ſupra cutem non extãtes: puſtulæ verò cum minuto tumore. Omniũ cauſa proxima eſt vitioſus humor, quique aſſimilari nequit, aliquãdo etiã contagioſus magis minuſue pro putredinis & corruptelę modo.

Antecedẽtes cauſæ ſunt, per quas huiuſmodi ſuccus vitioſus vel colligitur in corpore, vel ad cutem tranſmittitur, vel ad eandem attrahitur, vel ſub eadem retinetur. Colligitur autem, vel ex cibis cacochymis, vt poſt annonæ caritatem & famem: vel ab intemperie viſcerum, hepatis lieniſque & vẽtriculi: & ab

& ab interiori cacochymia frugi succos corrūpente. Transmittitur à viscerū facultate expultrice, quæ vel copia vel qualitate lacessitur, maximè in vere, cuius tepore fusi, liquatiq; sponte sua cōmouentur. Attrahūtur ab eodē veris tepore. vnde vernis morbis pustulę ab Hipp. ascribuntur tertio aph. aph. 20. Eadem vis est exercitationis balneique. Retinentur aliàs ob astrictionem à frigore, vt per hyemem: vel propter obstructionem à sordibus, neglecta munditie & vestium mutatione, sensim pullulantibus.

Signa.

Macula Græcis ἄλφος, Latinis vitiligo in cutis superficie, sine squama, asperitate & exulceratione excitatur. Estque duplex, vna alba, altera nigra. Illa alba rursus duplex est (Albaras Arabib. vtraque dicta) vna ex pituitoso sanguine prouenit, subaspera, similis quibusdā lactis guttis dispersis, colore albicāte, sine pilorū mutatione, quia superficiaria est, generisq; nomē retinet, & vitiligo dicitur. Altera fit à pituita lenta & viscida, ideo albidior, & quia profundior est cū albedine pilorum, λεύκη priuatim dicitur. Nigra autē μέλας Græcis, & Arabibus morphea dicta, colore nigro & vmbrę simili, ab humore melācholico fit. In macularū genere sunt lētigines à lentis similitudine, & ἐφηλίδες inustæ à sole, & rubra macula faciei, vulgo chirurgorum dicta gutta rosæ. Pustularum differentię principes sunt, quòd aliæ humidæ, aliæ siccæ, aliæ exiguæ exanthemata dicuntur: aliæ maiores ecthymata vocantur. Illius generis sunt hidroa: huius verò variolæ, morbilli, pruritus, scabies, impetigo, phora, lepra, elephas, & his quoque leuiores, psydracia, epinyctides, phlyctænæ. Huius generis complures

pustulæ infantibus plurimum molestæ esse solent.

Therapeia uniuersalis.

COmmunis therapeia macularũ & pustularum, si sint criticæ, in præseruationẽ & curationẽ diuidatur. Illa incremẽtum prohibet numerumq;: hæc factas obliterat. Illa.n. tum diætã instituit interiori cacochymiæ contrariam, tum eandem vacuat & per phlebotomiã in adultioribus tantum, & per purgationẽ in omni fere infantiæ & pueritiæ parte.

Curatio cõstat vacuatione causę cõtinentis, eáq; vel obscura, vel manifesta. Illa resolutio dicitur, per relaxãtia poros, attenuãtia & tergentia humorem crassum lentumq;, & digerẽtia. Eiusmodi sunt fotus & lotiones ex decocto plantarum calidarum. Manifesta fit per apertionem pustularum maiorum, quarum est copiosa materia. Quod si pustulis iuncta sit phlegmone, refrigerãtia: sin maturãda eadẽ sit, peptica vt tetrapharmacũ & thus, topicis iũgẽda sunt. Si vlcuscula deniq; iũctã sint, siccantium mixtio erit necessaria, vt metallicorum vstorum lotorumque.

Particularis curatio macularum.

IN hac particulari therapeia hoc obseruandum, quod ex maculis istis ἄλφος & μέλας semper curabiles sunt: at λεύκη si acu puncta non sanguinẽ, sed humorem albidum lentumque emittat, & si durius perfricata nõ erubescat, incurabilis est: indicat enim partis κακοήθειαν propriũ alimentũ corrumpentem.

Vitiliginum, id est albarum macularum præseruatio duobus instrumentis constat, dięta, redundãti pituitę cõtraria, id est calida siccaque: & vacuatione pituitosæ interioris cacochymiæ, atque viscerum intemperiei, vt ventriculi hepatisq; temperatione.

Vacuatio autem illa, aliàs sola purgatione constat, aliàs phlebotomia, etiam si pituita sanguini mixta est, ætásque huius remedij non impotens. Purgatio phlegmagoga est, ex pilulis de hiera, de agarico, ex electuar. diaphœnic. & ex agar. trochiscati & sennæ infusione. Curatio absoluitur vacuatione causæ coniunctæ per cutem & partem ipsam, non manifesta quidem vacuatione (non enim humor per substantiam partis foras transfundi potest.) sed obscura per digerentia, attenuantia tergentiaque topica, pituitam crassam & lentam, cutisque poros laxantia: validiora quidem in inueteratis, inualidiora in recentibus: leuiora quoque in alba macula & nigra: validissima in λεύκῃ: sed antequam vsurpentur topica hæc præseruationis remedia vsurpanda, locus quoque frictione incalescat prius & relaxetur, pilis tonsis vel potius rasis, vt profundior promptiorque sit topicorum penetratio.

Leuiora sunt farina hordei, fabar. cicer. lentium, lupinor. rad. cucum. agrest. anchusę, dracunc. serpentariæ, erythrodani, cyclamini, veratri vtriusque, cepę, amygd. amararum. Media sunt, semen sinapi, nasturtij, erucæ, vrticæ: validissima sunt metallica, vt sulphur, atramentum sutorium, arsenicum, sandaracha, alumen, nitrum, calx.

Quibus omnibus vti licet forma tum liquida, vt lotionis & fotus; tum media, vt vnguenti: vtraque enim penetrantior est quàm solida.

Exempla topicorum compositorum.

℞ seminis raphan. erucæ, sinapi an. ℥ ß contusa omnia concorporētur cū aceto, & applicētur parti post fotum aut lotionem relaxantem: vel cepa cō-

tusa applicetur post frictionem ad solem. vel

℞ aurip.rub.℥ j ß, excipiatur succo fumariæ, & applicetur. vel

℞ tartari & fuligin.furni ana ℥ j salis nitri, sulphuris viui ana ℥ ß auripigmenti, aluminis sicci, & veratri vtriusque ana ʒ ij cum succo fumi terræ.fiat linimentum.

Decoctiones & fotus fiãt ex decoctione rad.prędictarũ in lixiuio sarmentorũ & fol.absin.tanaceti, abrotani,fumariæ,mercurial.betæ, fol.centaur.minoris,chamęm.Omnia sunt bis in die nocteque applicanda,& toties abluẽda eodem decocto.Quod si his topicis nõ sanetur locus, applicẽtur cãtharides cũ fermento & aceto, & vesicularũ fluxus alatur superpositis foliis caulium.His phœnigmis nõ proficientibus scarificari locus possit,nisi cicatricum deformitas metuatur.Iidem sunt scopi curationis,eademq; remedia eius quæ μέλας dicitur,topica nempe: nam purgatio melius instituatur ex longo vsu epithymi in aqua casei, vtpote illius ʒ ij vel iij. huius ℔ ß.Quod si curatio desperata sit, vt in leuce,locus fucandus erit hoc linimento:

℞ lithargyri,calcis,alcannę gallarũ,tragacãt.an. partes æquales:puluerata excipiãtur melle & aceto, & fiat linimẽtum.Hæc curatio esto vitiliginis albæ vtriusque & nigrę,raro in pueritia necessaria,sicuti neq; vitiliginis rubræ quæ dicitur gutta rosæ, cuius curãdæ duo sunt scopi, præseruatio ne incalescat,& abrogatio eius quæ genita est. Est autẽ rubor alienus aut totius faciei,aut nasi aut malarũ: estq; simplex vel cũ inflatione à vaporibus malignis:aut crustis etiã & vlcusculis, si mixta est salsa pituita: sæpe cum pustulis.Causa proxima est sanguis vstus, aliàs simplex

simplex, aliàs cum pituita salsa aut atra bile mixtus. Ægrè tardéque curatur ob raritàtem faciei ad recipiẽdum aptissimam, & ob hepatis mãdantis calorẽ.

Præseruatio constat victu frigido humidoque, & fuga rerum omnium non naturalium quæ calfaciunt, deinde cacochymiæ interioris purgationẽ per electar. de succo rosſ. & confect. hamech. syr. de fumar. & de cichor. compositum: sed purgationem præcedat missio sanguinis ex vena cephalica. Reuulsiones quoq; frequentes ex vsu sunt per frictiones, ligaturas extremorum, & clysteres molles. Intemperies denique viscerum, præsertim hepatis, calidiori temperentur balneo, epithemate & vnguento frigidis humidisque sæpius antea expositis.

Curatio quę causę cõiuncta est, cõstat deriuatione & euacuatione. Illa fiet per cucurbitulas cum scarificat. in scapulis & collo: sectionem venarũ frontis & nariũ, phœnigmum in collo & faucibus. Vacuatio in principio & recentis mali origine constabit repercussione & astrictione cutis faciei per crebrã lotionem fotumq; ex linteolis oxycrato madefactis, aut aqua aluminosa quæ cõstat succis acetos. plantag. agrest. cum albuminibus ouorum & alumine destillatis: In antiqua autem cum detergentibus & repellẽtibus mixtis, vt aqua rosat. sulphurata, ex vnguento albo mixtis sulphure & mercurio, ex vnguento de cerusa cum acetositate citrij & pauco mercurio, ex lacte virginali; quod constat ℔ ij aceti albi, & ℔ ß litharg. præparati, ad solem sæpius versati, deinde per filtrum destillati, & vsus tempore cum aqua salsa pauca commixti.

Deniq; cæteris non proficientibus locus erit cantharidibus, post quas idem locus foliis ciclæ deter-

gebitur. Adhuc de vitiliginis speciebus quatuor.

Aliæ maculæ sunt leuiores, vt lentigines & ephelides, leuioribus detergentibus curabiles.

Deniq; ecchymoma est pueris quoque frequens, macula scilicet nigra ex pauco sãguine sub cutẽ effuso cõcretoq;, idq; ex minimis venis, vel ob internas causas reseratis, per anastomosim ex copia, diapedesim ex tenuitate: vel diaurosim ex acrimonia sanguinis: sępius ob externas vt contusionem ex ictu casuue. Effusus autem sanguis ex perfrigeratione primùm liuescit, liuores Latini vocant has maculas, Græci πελιώματα: deinde cõcrescit & nigrescit, hinc μελάσματα & nigrities. Vtraque Latinis suggillata dicuntur. Quæ si minora sint & vibicibus flagellorũ similia, σίγματα vocãtur. Nigrescit itaq; in medioeribus poris vt sub cute: suppuratur in minimis vt poris, nõ solum musculorũ sed ossium, sicut corrũpi solet in maioribus capacitatibus vt vteri, ventriculi, intestinorũ, thoracis. Ecchymoma igitur ab internis causis, pręseruatione eget, per phlebotomiã & purgationem. Quod ab externa causa est, sine pręseruatione curari debet: pręsertim si tumor adsit, detergentibus scilicet topicis mixtis cum astringẽtib. Hæc enim indicãtur à venæ affectu ne noua sanguinis effusio à calidis digerentib. alliciatur. Illa à materia crassiori concreti sãguinis. Tales sunt lotiones fotusque ex decocto foliorũ plantag. bursæ pastor. orig. calam. thymi, summitat. oleæ, rubi, lentisc. rosar. flor. anethi, chamæm. &c. Tale est emplastrum ex cera noua mixto semine cumini & anisi.

Adhuc de propria macularum therapeia. Enarranda deinceps ea, quæ pustularum propria est, rariorum in primis, deinde earum quæ sunt frequentiores

quentiores.Huius generis sunt scabięs,phora,lepra, (nam elephas ad tumorum maiorum genus pertinet)variolæ,morbilli,serpigo,impetigo:Illius verò hidroa, psydracia, epinyctides & phlyctenæ.

Hidroa igitur sunt minima exanthemata & pustulæ similes vestigiis verberum vrticæ,sub quibus cutis minimis pustul.s exasperatur,ita dicta à sudore cuius retentæ reliquiæ similes pustulas excitant. Causa proxima est serum acre vel bilis vtriusq; vel pituitę salsę, quod tametsi sit tenue,sub cuticula tamen cohibetur densiori. Causa antecedens cacochymia est collecta vel ex prauo victu, vel ex intẽperie viscerum. Therapeia duplex est,vna præseruatiua,ne scilicet crescant aut multiplicentur,constatque diętа contraria & vacuatione per purgationem & per phlebotomiam, si adsit multitudo sanguinis cacochymi,ętasque & vires consentiant. Altera est curatiua factorum hidroum,constatq;astrictione modica,ne cutis clausis foraminib. cacochymã nouam admittat:tum digestione. Illius instrumenta sunt, aer frigidior, ventus & flabella : item summitates lentisci,myrti, rubi,balaustia,cortex malorum granatorum, rosę:Huius materia est ex leuioribus abstergentibus vt farina hordei,fabarum, erui, lupinor.oryzæ,cineres myrti,folior. Vtriusque generis materia commiscenda est : forma conuenientior liquida est , vt balnei, fotus , lotionis , & media vt vnguentorum. Frictiones quoque & sudores conferunt.

Psydracia,sunt ex ecthymatum,id est maiorũ pustularum genere, & parum supra cutem eminentia, albida,in ambitu rubra, duriuscula, lata, quæ compressa saniem quandam fundunt.

Post præseruationem per purgationem phlegmagogam aut phlebotomiam, curantur solis digerentibus attenuantibus & detergentibus validioribus, qualia sunt fotus & cataplasmata ex foliis viridibus vel coctis vel contusis lauri, hederæ, rutæ betæ, & similium, & vnguento ex sulphuris & salis ana ℥ j cum ceræ & olei idonea quantitate.

Epinyctides, pustulæ sunt paulo grandiores ita dictæ à nocte qua frequentius exoriri & infestare solent, maximè vero crura, pedes, & manus, suntq; humidę ex rubro liuescentes, cum vehementi ardore, quæ apertæ saniem cruentam effundunt. Post præseruationem ex victu refrigerante & purgationem vstorum humorum, & phlebotomiam, curatur, partim refrigerantibus ob ardorem leniendum, partim digerentibus mixtis vt cataplasmate ex hyoscyami foliis cum melle contusis, vt ex brassica, apio & farina hordei simul commixtis, vt denique ex coriandro viridi cum cymis oleæ coctis.

Phlyctænæ, sunt pustulæ lucidæ, instar vesicæ aqua repletæ, bullis ab igne excitatis similes. Causa proxima est serũ bilis feruẽtissimę, & propemodũ igneę sub densiorẽ cuticulã effusum ab aliquo vehementi animi corporisue motu: vulg' vocat ignẽ syluestrẽ. Curãtur triplici scopo. Vnus est, vt effũdatur humor serumq; subflauũ per perforationẽ bullarum ex acu factam filo laneo pendente, relictaque semper cuticula, donec exulceratio cutis verè persanata sit.

Alter est, vt exulceratio cutis subiectæ exsiccetur & inflammatio restinguatur. Vtraque hæc indicatio (exsiccationis & refrigerationis) comparatur exempli gratia cataplasmate ex lẽte decocta, vel ex emplastro diachalciteos dissoluto cũ oleo rosato.

Prurigo

Prurigo,vel pruritus Latinis,ex genere est pustularum siccarum,κνησμὸς Gręcis,nempe asperitas cutis parua cum sensu acris humoris vellicantis. Est igitur symptoma sensus tactus deprauati ex intemperie calida& solutione cōtinuitatis obscura in cute.Prurigo duplex est,vna simplex & leuior, altera grauior cũ rosionis & morsus molestia. Causa proxima vtriusq;excrementũ est tertiæ coctionis,nēpe serũ acre vel salsũ ex pituita putri,vel amarũ ex bile flaua atráue:sed in illa minori est quantitate, magis tenue,aquosũ quietũq;,in hac cōtraria omnia.Ideoque ex motu vel horror vel rigor etiā oritur.Causę antecedētes sunt cacochymia vel pituitosa salsa, vel amara collecta vel ab intemperie viscerum simili, vel à victu cacochymo.Ea vero vel emittitur ad cutem robore viscerum,vel ab eadem allicitur ob calorem ab aere,exercitatione & verno tēpore.Causa sine qua nō, cuticulæ densitas est,vel aliena vt ob astrictionē à frigore, vel obstructionem à sordibus relictis: vel natiua,vt in senibus.

Curatio constat vacuatione humoris acris sub cuticula cōcreti.Vacuatio hæc interdũ obscura est per discussionem vt per scalptum & cutis frictionem ex linteolo molli,vel blādā manu vt in prurigine simplici, vbi humor paucus & tenuis est.Aliàs manifesta est,vt per sudorē à balneo tepido illectum,quod refrigerandi humectandique, laxandi tergendique facultatem sortitum sit.Sic enim acrimonia humoris & prurigo mitigatur, intemperies cutis calida tollitur,eiusque astrictio obstructióue aperitur. Balneum tale conficitur ex decocto in aqua dulci quatuor remollitiuarũ betę, mercur.ciclæ,scariolę, fumar.lupul.lapathi acuti, rostri porcini, sōchi,agri-

monię. Talis quoque frictio est balneatis, ex sacculis lineis furfure macro repletis, aut farinis lentium erui, oryzę, hordei, fabarum. Hęc quoque frictio sola sine balneo hyeme proderit. Talia sunt linimenta quoque ex oleis frigidis humidisque vt violato, rosato, de nymphea admixto triente vel quadrante tergentis alicuius amarique succi, vt apij chelidon. scabiosæ. Tale vnguentum ex iisdem oleis, aloë, sale, ammoniaco & alumine, quod cùm sit vehemētius, inueteratæ prurigini & contumaciori materiæ aptari debet: sicuti validiora balneis misceri vt origan. calamint. absinth. praſſ. tanacetum, scabiosa, agrim. melissa. hæc curatio ordinaria est. At symptomatica est, quæ relicto excremento acri, eius acrimoniam & pruriginis molestiam compescit, vel anodynorum vsu vt balneo aquæ tepidæ simplicis, aut lactis, fotuque: vel stupefacientibus linimentis ex papaueris semine trito cum aceto, addito etiam opij momento, vt oleis illis frigidis admixta aqua rosacea, vel endiuiæ parte quarta.

Præseruatio denique constet purgatione cacochymiæ adultiorum, aut nutricum in pusillis, & conuenienti diæta vtriusque.

De impetigine.

IMpetigo ex pustularum quoque genere est, cutis nempe asperitas rosioq; maior & profundior, quàm in prurigine quæ solius cuticulæ affectus est, sicuti illa etiam veræ cutis.

Symptoma est in qualitate mutata: morbus intēperies cutis calida & solutio continuitatis. Causa proxima est humor quilibet acris crassusque vt pituita salsa, atra bilis, corruptus sanguis, bilis flaua, vitellina, aut magis vsta, sed mixtus cum tenui & aquoso

quoſo ſero, à quo cuticula exaſperatur, ſicuti ab illo cutis roditur.

Cauſæ antecedentes ſunt vel contagio euchymis humoribus acrimoniam contrahens, vel intemperies viſcerum, vel prauitas victus vel vtraque. Transfertur in cutem à viſcerũ robore, vel allicitur à cutis calore ob inſolatum, aut exercitationem: retinetur tenue præſertim ſerum à cute vel aſtricta frigore, vt per hyemem, vel obſtructa à ſordibus.

Differẽtiæ ſunt duæ: Vna leuior eſt, recentior ſine exulceratione cum minoribus puſtulis & roſione mitiori (hæc ſerpigo vocatur, ab aliis volatica, vel ignis volagius, vulgo enderbis) Altera grauior feraque magis cum maioribus puſtulis, roſione cutis, vlceribus ſquammoſis & furfuroſis, aliàs occultis, aliàs apparentibus. hęc Gręcis λειχὴν, Arabibus aſſaphati, in facie mentagra dicitur.

Signa.

DIgnoſcitur impetigo ex ſenſu duplici, viſu quidem quoad puſtulas, & tactu quoad roſionem & pruritum. Cauſæ proximæ dignoſcuntur ex colore partis & roſionis ſpecie, & præterea à cauſis externis vt victu, & internis vt natura & ætate.

Quæ leuior eſt & recens, quia à tenuiori humore magiſque ſuperficiaria eſt, citius perſanatur. At grauior difficilius, ſępeque deformitatem relinquit, aut tranſit in lepram.

Therapeia præſeruatiua prohibet incrementum & multiplicationem, tum vitata contagione, tum victu euchymo, tum vacuatione cacochymiæ internæ, tum denique viſcerum intemperatorum temperatione. Therapeia curatiua cauſam coniunctam

summouet digestione per medicamenta attenuantia & detergentia crassum lentumque humorem, & poros cutis relaxātia, quorū tamen gradus & efficacia in leuiori impetiginis specie minor erit, in grauiori maior, vt aliquādo etiam caussticorū aut ferramentorum candentium necessitas vrgeat.

Curatio symptomatica est quæ pruritum delet alteratione cutis & excremēti, vt cum succo portulac. & cucumer. & mucilagine seminis psyllij aut succo expresso ex semine maluę. Ordinarię curationis quæ ad leuiorē speciem refertur, remediorum exēpla hæc sunto: frequens frictio cum saliua hominis ieiuni, item triticum morsu multo tritum & cū saliua subactum: panis masticatus, esitatio radiculę, aloe dissoluta aceto, olea de tritico de ouo de myrrha de iunipero, de tartaro, farina lolij aceto excepta, sapo cum succo chelidonij, lotio ex aqua rosata sulphurata & insolata per xx. dies & ex lacte virginali: succus denique lacteus tithymali efficacissimus est sæpe illitus.

At vero inueteratæ impetiginis remedia acriora sint, magis attenuantia & tergentia. Talis est lotio ex aqua sublimatā. Tale linimentum ex fæce vini cum succo cucumer. agrest. Tale cataplasma ex foliis viticis & cappar. tritis cum aceto. Vtiles quoque sunt sanguisugæ, frictiones asperiores, ad cruoris vsque fluxum. Quod si cutis sit corrupta, caussticis detrahenda est: sed in eorum vsu partibus vicinis medicamentum ex bolo armena cum oleo rosato & aceto subactum imponendum est. Tale fuit Pamphili remedium Mentagræ Romanæ olim apud Galen. 5. κατὰ τόπους.

℞. squamæ æris ʒ vj. auripigm. rubr. & flaui ana ℥ ß æris vsti, veratri albi, ventris cantharid. ana ʒ j ß. trita omnia misceantur cum cedria aut terebinthina ad mellis crassitudinem, & reponatur in pixyde ænea: apponatur pluribus vicibus, vesiculæ excitentur phlyctęnarum modo curandæ.

Quod si impetigo altius descenderit vt non possit auferri à medicamentis causticis, ad ferramenta ignita decurrendum est, vt quicquid substantiæ cutis subiectæ vitiatum est, id totum aduratur, ad os vsque, & in crustam vertatur.

De scabie.

SCabies ex pustularum quoque genere est, nempe asperitas & scabrities cutis pruriginosa, rodens cum exulceratione manifesta vel occulta. Nascitur ex pustulis ruptis quæ saniem, vel pus, vel sordes emittunt recentes (& scabies humida dicitur) vel crustas colligunt ex resiccatis crassioribus sordibus post saniei vacuationem (scabies sicca vocatur) Ad hanc etiam referuntur phora, lepraque: illa quidem mitior, minus pruriginosa rodensque & tantum surfurea: hęc contra & magis squamosa.

Est igitur scabies omnis symptoma in qualitate mutata tum intemperiei calidæ siccæque, tum solutionis continuitatis. Causa proxima est acris & crassus lentusque humor, vt biliosum flauum excrementum atrumue & pituitosum salsum, & sanguineũ corruptum. Ab hoc scabies humida: ab illo scabies magis sicca, phora lepraq; oritur. Causę antecedẽtes sunt tũ intẽperies viscerũ, tũ cacochymia cruenta, vel ab eadẽ intẽperie, vel à prauitate victus

& intemperantia, vel à contagione ſcabioſorum.

Dignoſcitur cauſa coniuncta ex accidentibus partis vt colore calore dolore prurigine.

Prognoſtica ſunt, quòd ſcabies bona eſt vt ſignū, mala vt cauſa: Scabies curabilis eſt facile quæ à prauitate victus, vt in pueris & iunioribus, incurabilis eſt quæ ab intemperię confirmata viſcerū oritur, vt in ſenibus: mortifera etiam, vbi ex prurigine intolerabili, vigiliç corporiſque marçor conſequitur.

Curatio.

THerapeia prçſeruatiua cacochymiam interiorem amolitur purgatione & phlebotomia nutricum, optimaque diæta & puerorum leuiori purgatione. Sudorifica quoque decocta minimùm calfacientia vt ſalſæ parillæ, radic. chinæ & ſaſſafras multū profutura ſunt. Intemperiem quoque viſcerū alteratione contraria temperat therapeia curatiua: cauſam proximam vacuat inſenſiliter per medicamenta topica digerētia, id eſt attenuantia tergētiaque, indicatione ſumpta ab humoris cōditione: itē modicè refrigerantia, ſi comes ſit inflammatio calorque, tum ſiccantia ſi vlcus ſit madidum: emolliētia denique ſi cruſtoſum ſit. Debet autem remedium vel toti corpori vel partibus obſeſſis tantum aptari pro varia ſcabiei ſede, debetque in lepra validiſſimum, in phora paulo minus, in ſcabie tantum eſſe validum pro varia humoris & excrementi cōtumacia, craſſitie & lentore.

Forma liquidior, aut media vt penetrantior, eſt aptiſſima, qualis eſt balnei fotus lotionis linimenti & vnguenti.

Sint igitur balnea hæc tum naturalia, vt ferrea, aluminoſa, nitroſa, ſulphurea: tum artificioſa, quale eſt

est descriptum antea pro prurigine contumaci. Tales quoque fotus & lotiones particulares: tal. s litus ex oleo refrigerante & digerente, vt rosat. In quo sulphur. viui quarta pars dissoluta sit, vel ex styrace liquida cum succo limonum & sulphure. Tale vnguētum amicorum Galeni lib. nono simplic. cap. de sulphure: scilicet ex oleo, sulphure, terebinthina & melle. Tale quoque est hoc ex terebinthinę quart. j. axung. suillæ ℔ ß sulphur. viui ℥ j. mercurij ℥ ij. Tale denique hoc est præstantissimum.

℞. radic. asphod. enul. camp. lapathi acuti, veratri nigri ana ℥ ij. axungiæ suillæ, vitulinæ ana ℔ ß olei mastich. & laurini ana quart. ß olei rosat. quart. j. terebinthinæ puræ ℥ ij. folior. chelid. fumar. scabiosæ, agrim. ana m. j. contusis quæ contundi possunt omnibus, bulliant simul omnia, tandemque percolentur exprimendo, & expressioni addantur spumæ argenti ℥ ß cerusæ, si vlcus adsit ℥ iij. butyri recentis si durities & crusta adsit quart. ß. mercurij extincti saliua ℥ ij. misce & fiat vnguentum.

De variolis & morbillis.

VAriolæ morbillique ex pustularum genere sunt. Illæ quidem maiores, profundiores & tanquam stellæ quædam inter se distinctæ ad phlegmonem: hæ minores, densiores & superficiariæ ad erysipelata referuntur, vulgoque vocantur purpura. Materia omnium proxima sanguis est, non quidem fœdatus reliquiis materni menstrui, vt vulgo medicorum & Arabum placet, menses muliebres statuentium insalubres, cuius opinionis vanitatem clarissimè deteximus nostro de causis

ſterilitatis libello: ſed craſſior magiſque pituitoſus variolarum:tenuior & bilioſus morbillorum. Cauſa efficiens feruor eſt ſanguinis, vel ſimplex vnde ſynochos, vel putris etiam vnde febris ardens. Vtraque ſane contagioſa eſt. Feruoris cauſæ, aliàs externæ ſunt vt cõtagio, æſtus cœli, prauitas victus: aliàs internæ vt plethora.

Signa.

COmitantur vtramque ſpeciem prurigo totius corporis, maximè verò dorſi, cephalalgia, vel grauis, vel erodens: artuum diſtenſio, raucedoque, tuſſis, ariditas linguę, dyſpnœa, ſomnolentia. Differentiæ vtriuſq; ſpeciei ſunt, ꝙ alię leuiores vel grauiores: alię exquiſitę vel ſpurię: alię maiores vel minores: aliæ plures vel pauciores: aliæ in paucis vel pluribus partibus.

Signa prognoſtica ſunt, quòd vere magis, ſicuti cœlo & conſtitutione calida humidaque à plethora: autumno verò à cacochymia emergant.

Quod infantibus pueris & adoleſcẽtibus frequẽtius, iuuenib' rarius, ſenibus rariſſimè cõmoueãtur.

Quod leuiores ſint quæ rubent aut albicãt, quàm violaceæ, flauæ, liuidæ, aut nigræ: itẽ ſuperficiariæ, quã internę, ob multitudinẽ vitij os, fauces, arteriã, pulmones, œſophagum, ventriculum, & inteſtina obſidentis.

Quòd grauiores ſint quę vlcerãtur & saniẽ fũdũt: Itẽ quę intro recurrũt, prę imbecillitate ſcilicet naturæ reuocatę aũt frigore externo repulſæ: tum illę quę cruditatis perſeuerãtibus ſignis apparẽt, & ſine leuatione febris eiuſque ſymptomatum, & ægri facili tolerantia.

Grauiores deniq; ſunt quæ pluribus ſymptomatis

tis fæuiunt,vt vomitu, diarrhœa, epilepfia fub eruptionis tẽpus:febre æftuofa & ἀσώδ{,vrẽte fiti,lipothymia,prauis vrinis,dyfpnœa,aliifq; fignis critici s pro partium conditione ab eruptura materia appetitarum,ficuti capitis cephalalgia impatibili,rubore faciei,fulgore oculorum,lachrymis,fomno.

Exitus deniq;prȩuidetur falutaris vel funeftus,nõ folũ ex illis differẽtiis affectuũ:fed etiã virium ȩgri, ex ætate & temperie,tanquam ex caufis proximis,& ex regione atque tempore anni colligendarum,atque ex propriis earum functionibus, vt conftantia mentis, appetentia cibi, facilitate tolerantiæ, eruptione veloci & integra variolarum, & contra.

Therapeia.

THerapeia in tria tempora diuidatur:Aut enim imminent ifti affectus:aut iã apparẽt:aut omnino facti funt & emerferunt.Imminentes & fufpecti prȩcaueri pofsũt reftincto fãguinis feruore, idq; fi ab internis caufis, per phlebotomiã, nifi eius pufilla ȩtas fit impotẽtior,& purgationẽ:fi ab externis frigido &aftringente victu,vt aëris refrigeratione, frigidis ficcifq; cibis, acidis & aftringentibus,aquæ finceræ potu,cõtagionis fuga,&vifcerũ corroboratione,&rẽfrigeratione per electaria cardiaca,vt diamargaritũ frigidũ,triafandalum,diarrhod.abbat.& fyr.acidos,vt de granatis,de limonibus, de agrefta, acetofũ fimpl.oxyfacch.fimp.& de ribes,ex quibus cum refrigerãtibus aquis fiãt iulepi mane & vefperi fumendi,vel cũ aqua fimplici tẽpore fitis hauriẽdi.

Quoad eos qui iam emicant, fiue critici fint, fiue fymptomatici,prȩcaueri non debẽt neq; phlebotomia neq;purgatione,nifi aut ftrãgulationispericulũ

vrgeat, aut vitij multitudo expultricem naturæ facultatem opprimat. Nam vbi plethora grauis est, tum ad transpirationem corporis naturæque leuationem, aliquid moliri licet per phlebotomiā primo, secundo aut tertio die, illis etiam iam apparentibus, cúmque vehementior febris ardor est, & dyspnœa præfocans. Quamquam phlebotomiam tuto suppleat hæmorrhoidis fluxus, mensium, & hemorrhagia è naribus, aut cucurbitulæ dorso & scapulis cum scarificatione affixę. Eodem consilio purgatio quoque leuior decernatur ex rhei & agarici infuso cum syru. viol. vel rosa. portione iusta: Sed si leuiora hæc symptomata sint, incitandi potius sunt habitu ægri relaxato modica calfactione (maiorem enim respuit febris comes) per vestes & stragulas præsertim rubras (harum enim intuitu imaginatricem facultatem moueri, indeque sanguinis excretionem putant) & per vaporem aquæ feruentis lecto proximæ, denique per quemlibet conclauis teporem.

Victus sit temperatus, nisi naturæ motus sit segnior, qui aperiente cibo potius incitandus quàm eodem astringente retardandus sit, & somnus breuior frictioque mollis.

Quæ iam eruperunt, curantur materiæ per habitum euacuatione vel insensili & discussoria: si materia pauca est tenuisque, vt in morbillis & exiguis variolis: vel manifesta, per effusionem puris in variolis maioribus acu aurea apertis, postquam maturatæ sunt, quod fere 7. die accidit, quo & maximæ & mollissimæ sentiuntur. Quod si eodem tempore etiamnum duræ crudæque persistant, maturitas earum accelerāda est vapore aut fotu lenientium medicamentorum in facie sola, quæ subinde linteolis

tepidis,

tepidis admoueantur, donec maturatæ aut sponte sua dissoluantur, aut acu aperiantur, vt dictum est, ne diutius morata sanies foueas deformes in vultu effodiat, quæ præcauendæ sunt non solum opportuna saniei vacuatione & detersione: sed pulueris etiam sarcotici aspersione detergentis & modicè siccantis.

Quę tamen maculę relictę sunt, deleantur lotione ex lacte virginali, liquore ex ouo, dum coquitur exudante: aquis destillatis florum fabar. rad. serpentar. & ari, mellis, terebinth. myrrhæ pedum vituli, porcellorum & veruecum vnguine.

Dum sic materia in habitum deducitur: ante maturationem grauiora symptomata à partibus quibusdam arcenda sunt, vt ab oculis quibus vlcus & ὑπώπιον accidere interdū solet. Instillabitur liquor astringens, vt albumen oui agitatum cum aqua rosacea aut decocto foliorum sumach, corticis granatorum, rosarum, sandalorum, addito pauco croco. Iisdem etiam iam affectis & vlceratis imponenda sunt siccantia & tergentia, leuiter sarcotica, ne cauea & cicatrix relinquatur, vt

℞ farinæ hordei tosti & sarcocollæ lacte mulieris nutritæ an. ℥ j ß cerusæ lotæ ʒ ij tragacanthi ʒ ß opij grana ij fiat puluis albumine oui excipiendus, vt euadat vnguentum mollissimum. In ore & guttute variolæ maiores & densiores transglutitionem & respirationem impediunt: aut apertę pus in pulmonem affatim refundunt suffocando ægrum, aut vlcera maligna inurunt, vt etiam in intestinis. Ab ore igitur eruptio earum prohibenda est gargarismo crebro, vel ex oxycrato, vel ex rob diamorum, aut dianucum aquis rof. & plantag. solutis, vel ex

succo granatorum, vel ex decocto folior. plantaginis, acetos. solan. A pulmone verò, ex syrupo myrtino, de granatis acidis sensim lambendo: vel ex suffitu rosar. sandalor. cort. thuris, mastich. tragacanth. Sed & partibus iam vlceratis hæc ipsa conueniunt curando vlceri, detersione leui præmissa per decoctum hordei, addito pauco melle aut saccharo rubro. Ab intestinis arcebuntur clystere astringente, tandemque leuiter detergente, cum iam suppurant, postremo astringente & sarcotico. A naribus denique errhino ex oxycrati aut similis liquoris haustu & aqu. stillatit. pedunculi rosar. plantag. caprifolij, mixto etiam syrupo de rosis siccis, vel myrtino, vel denique vapore & suffitu ante descripto.

Ita tandem & diætam quæ pueritiæ conuenit, & morborum ac symptomatum quæ hanc ætatem infestãt, historiam medicam, partim Hippocratis doctrinâ & authoritate, partim multiplici nostra experientia per triginta annos confirmatam, breuiter complexi videmur. Hunc sane laborem nostrum, vt eruditioribus displicuisse doleam, ita rudioribus in quorum gratiam susceptus fuit, non infrugiferum fore, vt sperem facit singulare ipsorum desiderium, quod etiam me impulit, vt opus hoc vnà cum altero illo de sterilitatis causis & remediis, propter argumenti similitudinem, in vulgus emitti paterer.

FINIS.





